



Acerca de este libro

Esta es una copia digital de un libro que, durante generaciones, se ha conservado en las estanterías de una biblioteca, hasta que Google ha decidido escanearlo como parte de un proyecto que pretende que sea posible descubrir en línea libros de todo el mundo.

Ha sobrevivido tantos años como para que los derechos de autor hayan expirado y el libro pase a ser de dominio público. El que un libro sea de dominio público significa que nunca ha estado protegido por derechos de autor, o bien que el período legal de estos derechos ya ha expirado. Es posible que una misma obra sea de dominio público en unos países y, sin embargo, no lo sea en otros. Los libros de dominio público son nuestras puertas hacia el pasado, suponen un patrimonio histórico, cultural y de conocimientos que, a menudo, resulta difícil de descubrir.

Todas las anotaciones, marcas y otras señales en los márgenes que estén presentes en el volumen original aparecerán también en este archivo como testimonio del largo viaje que el libro ha recorrido desde el editor hasta la biblioteca y, finalmente, hasta usted.

Normas de uso


Google se enorgullece de poder colaborar con distintas bibliotecas para digitalizar los materiales de dominio público a fin de hacerlos accesibles a todo el mundo. Los libros de dominio público son patrimonio de todos, nosotros somos sus humildes guardianes. No obstante, se trata de un trabajo caro. Por este motivo, y para poder ofrecer este recurso, hemos tomado medidas para evitar que se produzca un abuso por parte de terceros con fines comerciales, y hemos incluido restricciones técnicas sobre las solicitudes automatizadas.

Asimismo, le pedimos que:

- + *Haga un uso exclusivamente no comercial de estos archivos* Hemos diseñado la Búsqueda de libros de Google para el uso de particulares; como tal, le pedimos que utilice estos archivos con fines personales, y no comerciales.
- + *No envíe solicitudes automatizadas* Por favor, no envíe solicitudes automatizadas de ningún tipo al sistema de Google. Si está llevando a cabo una investigación sobre traducción automática, reconocimiento óptico de caracteres u otros campos para los que resulte útil disfrutar de acceso a una gran cantidad de texto, por favor, envíenos un mensaje. Fomentamos el uso de materiales de dominio público con estos propósitos y seguro que podremos ayudarle.
- + *Conserve la atribución* La filigrana de Google que verá en todos los archivos es fundamental para informar a los usuarios sobre este proyecto y ayudarles a encontrar materiales adicionales en la Búsqueda de libros de Google. Por favor, no la elimine.
- + *Manténgase siempre dentro de la legalidad* Sea cual sea el uso que haga de estos materiales, recuerde que es responsable de asegurarse de que todo lo que hace es legal. No dé por sentado que, por el hecho de que una obra se considere de dominio público para los usuarios de los Estados Unidos, lo será también para los usuarios de otros países. La legislación sobre derechos de autor varía de un país a otro, y no podemos facilitar información sobre si está permitido un uso específico de algún libro. Por favor, no suponga que la aparición de un libro en nuestro programa significa que se puede utilizar de igual manera en todo el mundo. La responsabilidad ante la infracción de los derechos de autor puede ser muy grave.

Acerca de la Búsqueda de libros de Google

El objetivo de Google consiste en organizar información procedente de todo el mundo y hacerla accesible y útil de forma universal. El programa de Búsqueda de libros de Google ayuda a los lectores a descubrir los libros de todo el mundo a la vez que ayuda a autores y editores a llegar a nuevas audiencias. Podrá realizar búsquedas en el texto completo de este libro en la web, en la página <http://books.google.com>



Stattl. Bibliothek
Regensburg



Philas

1852

P. SIMPERTI SCHVVARZHVEBER,

Ex Congregatione Benedictinobauarica Monachi, ac Pres-
byteri Welffontani, AA. LL. et Philos. Doct. et in alma
archiepiscopali Vniuersitate Salisburgenfi Ethices,
ac Historiae Professoris publici
ordinarii

ETHICA,

SEV

IVS NATVRAE

PHILOSOPHICE

EXPENSVM.



CVM ADPROBATIONE SUPERIORVM.

**AUGUSTÆ VIND. ET OENIPONTI
SUMTIBUS JOSEPHI WOLFF. MDCCLXVIII.**

1911

1911

1911

Steel. 31. 10. 11.
Regenering

REVERENDISSIMO,
PERILLVSTRI,
AC
AMPLISSIMO
DOMINO DOMINO
NICOLAO
ORD. S. P. N. BENEDICTI
CELEBERRIMI ET IMPERIALIS
MONASTERII ZVVIFVLDENSIS
ABBATI
VIGILANTISSIMO,
S. R. I. PRAESVLI,
NEC NON ALMAE ET ARCHIEPISCOPALIS
VNIVERSITATIS SALISBVRGENSIS
PRAESIDI,
ATQVE INCLYTAE CONGREGATIONIS S. JOSEPHI
BENEDICTINOSVEVICAE
CONVISITATORI
LONGE DIGNISSIMO etc. etc.

DOMINO
AC
PATRONO SVO
PLVRIMVM GRATIOSO.

THE
LIBRARY
OF THE
MUSEUM OF
ART AND
ARCHITECTURE
CORNELL UNIVERSITY
ITHACA, N. Y.

REVERENDISSIME,
PERILLVSTRIS
AC
AMPLISSIME
S. R. I. PRAESUL,
DOMINE,
AC
PATRONE
PLVRIMVM GRATIOSE!

Quod TE potissimum, AMPLIS-
SIME DD. PRAESUL, huius Libri
Patronum ac Moecenatem exambierim,

propter eam factum est existimatio-
nem, qua summa apud omnes, quot-
quot in hac benedictina Vniuersitate
doctionis munere perfungimur, polles,
atque ita polles, vt, ex quo eiusdem
res ac negotia **DIGNISSIMVS, AC**
AMPLESSIMVS PRAESES, fa-
pientissime gubernas, certatim singuli
deutos grati animi sensus erga **TE**
quam maxime cupiant testificari, quod
autem huius rei exoptatissima cunctis
occafio praeter ceteros me primum
amauerit, eoque adduxerit, vt obse-
quii nostri publice demonstrandi causa
hunc quamuis exilem ingenii mei par-
tum **ILLVSTRI TVO NOMINI**
inscribere liceret: id sane benignitati
Tuae debeo, quae illos etiam conatus
haud aspernari, imo probare consuevit,
quo-

quorum successus dignitati grauitatique officii parum videtur respondere.

Hae igitur humanitate Tua fretus, quae inter tot alia decora praecipuum est **AMPLISSIMAE TVAE DIGNITATIS** ornamentum, librum **TIBI** offero, Philosophiae moralis dogmata complectentem; Librum, inquam, qui, licet rudi conscriptus sit arte ac ingenio; quoniam tamen bonarum litterarum incrementum, morum honestatem, atque publicum Vniuersitatis nostrae bonum, cum discipulorum profectu arctissima coniunctione deumetum, pro vnico suo fine respicit; totidem sane titulis Tuus est, Tibique, **REVERENDISSIME AC AMPLISSIME S. R. I. PRAESVL, ET PRAESES**

VIGILANTISSIME, prae omnibus aliis debetur.

Quippe quo apud **TE** loco scientiae semper fuerint, et quam sedula cura in illas propagandas atque amplificandas incumbere soleas, ut alia multa praetermittam, Ehingense illud Lyceum, commune ordinis nostri, et peculiare celeberrimi coenobii Tui decus, loquitur, in quo iuventutem studiosam ad omnem Litterarum elegantiam, et ad facundiae prae primis ac eloquentiae gravitatem tanta cum nominis Tui gloria instituisti. Ab illa autem cathedra pro tanta meritorum excellentia ad Praesulis dignitatem auspiciatissime tractus, et ex Rhetore confectus, totus iam in eo es, ut illam doctrinae et eruditionis celebritatem, quam

quam velut haereditariam ab Antecessoribus accepisti, nobiliorem et ampliorum ad posteros transmittas. Litteratus igitur orbis, qui adhuc in celeberrima illa copiosissimaque Monasterii Tui Bibliotheca totidem florentium inter Zuuifuldenses scientiarum testimonia non sine gratulatione suspexit, quot ibi pretiosa doctae antiquitatis cimelia veneratus est, deinceps magis adhuc alumnos Tuos religiosissimos admirabitur ad omnem, etiam nouioris eruditionis splendorem praeclare institutos, ac vberrime instructos.

Atque hoc quidem litterarum praesidio, ita monasticam circumuallasti disciplinam, ut hanc nullibi locorum pulchrius efflorescere, quam ubi

scientiarum maior viget amor, (id quod iam tot saeculorum perpetua experientia comprobatum est) Tuum praecipue celeberrimum coenobium irrefragabile sit ad omnem posteritatem argumentum. Quare hoc etiam nomine, Tuus est liber iste, qui virtutis et probitatis pulchritudinem docet, omnis honestatis rationem ante oculos ponit, ipsiusque verae felicitatis viam demonstrat, atque complanat. Namque licet naturalia haec praecepta cum illa morum sanctimonia comparari nulla ratione debeant, quae ad omnes euangelicae perfectionis apices exacta inter Tuos resplendet, et quorumcunque intuentium oculos atque animos admiratione suspensos tenet: id ipsum tamen pulcherrimum sublimioris virtutis spectaculum

enlum ad hoc plurimum valet, vt omnes
conuincat, ad quod fastigium diuina
opitulante gratia eluctari possint, qui
illam naturalis honestatis ac virtutis se-
mitam magno ingredi animo, serioque
tenere studio laborauerint.

Porro autem nullo alio magis titu-
lo hunc Tibi librum vindicas, **AM-
PLISSIME DOMINE PRAESVL,**
quam quod pro publico conscriptus sit
bono illius Vniuersitatis, cuius guber-
nacula id temporis ceteros inter foede-
ratos Praesules ita tenes, vt gratissi-
ma Regiminis Tui recordatio in exten-
tum fane aeuum non apud nos solum,
sed apud posteros etiam sit perennatura.

Qua in re quum modestia Tua ca-
lamum inhibeat, et in dignas euagari

laudes ne utiquam patiatur: Libero ego
quidem miram illam in subministrandis
consiliis sapientiam; neque dicam ali-
quid de tanta in rebus decernendis
aequitate, in complanandis difficultati-
bus prudentia, in negotiis gerendis so-
lertia, in commodis ac utilitatibus Aca-
demiae procurandis magnanimitate, in
splendore illius amplificando, et tuen-
da nominis celebritate vigilantia: vnum
tamen TE quamlibet invito tacitus
praeterire nulla ratione possum, Tuo
nimirum praesidio, Tuo exemplo reflo-
ruisse iterum, aut reuixisse verius iam
velut intermortuum nostri Ordinis Re-
ligiosorum, apud nos scientiarum di-
sciplinis vacantium, conuictum atque
coetum. Quod quidem praesidium si
in hac temporum difficultate semper
ab

ab aequis rerum aestimatoribus tot alias
ob causas necessarium fuit reputatum
tum sane illo minus adhuc carere pos-
sumus, ad ipsius Vniuersitatis dignita-
tem, meliorem litterarum vigorem,
et totius S. Ordinis, cuius Academi-
cum hoc litterarum emporium vnica
et pretiosissima gemma est, famam et
sinceram gloriam tuendam. Etenim
fuit iam inde a prima benedictinae
istius Academiae origine Religiosus
hic conuictus praecipuum Doctorum
et Professorum Seminarium, qui quum
inter nostras institutiones adoleuerint,
iam tum non solum apud Magistros,
Vniuersitatis Superiores, et familia-
res, verum etiam apud eiusdem Scho-
lae exteros Sodales magham sibi exi-
stimationem concilians fiduciam de-
se

se et expectationem securissimam fecerunt; hac autem potissimum suffragante ad cathedras deinde euocati spem olim conceptam fere semper praeclare atque ita impleuerunt, vt et nostris moribus nostraeque docendi methodo (quae non potuit non subinde cum temporibus, imo debuit vehementer innouari) innutriti, ea quidem doctrinae soliditate, tanta vastissimae eruditionis gloria illustrati sint, qua ipsam etiam Vniuersitatem non apud ciues magis atque incolas, quam vltiores etiam et longius remotas Prouincias nobilitarunt. Quod quidem quanti ad rem litterariam promouendam momenti sit, facile intelliget, quisquis se in his rebus non admodum hospitem ac peregrinum profiteri voluerit.

Igitur


Igitur quum nos omnes REVE-
RENDISSIME DOMINE S. R. I.
PRAESVL, ET PRAESES DIG-
NISSIME, tam validis rationibus de-
uinctos teneas, recipe hunc atque
sub amplissimo Tuo patrocinio tuere
librum, tot nominibus Tuum, atque
ita existima, me eundem TIBI non
tam meo priuato deuotionis obsequio
(quamquam id etiam longe sit maxi-
mum) inscribere; quam hac ipsa in
re reliquorum etiam Professorum vo-
luntati, sensibus, ac votis obsecundare.
Quibuscum uniuersis D. O. M. com-
precor, vt TE nobis semper fauen-
tem, Tuis sospitem, Reipublicae litte-
rariae incolumem, bonis omnibus quam
longissime superstitem et S. Ordinis
praecipue, ac Vniuersitatis firmissimum
colu-

columen futurum ad feros annos sal-
uum et integrum seruare dignetur.
Ita demississimo vouet affectu

**AMPLISSIMAE
DIGNITATIS TVAE**

**DEVOTISSIMVS AC OBSEQVENTISSIMVS
CVLTOR**

**P. SIMPERTVS
SCHVVARZHVEBER.**



Facultas et Approbatio

Serenissimi ac Reuerendissimi
Ordinarii.

Legi opusculum *Reu. P. Simperti Schwarzhueber Ord. S. Bened. p. t. in Archiepiscopali Vniuersitate Salisburgensi Ethices ac Historiae Professoris ordinarii, sub Titulo: 'Ethica, seu Ius Naturae philosophice expensum, illudque publica luce tanto dignius censui, quia contra sanam fidei morumque doctrinam non solum nihil continet, sed eandem et fidei et morum doctri-*

P. Schwarzhueber Eth. P. I. b nam

nam ex christiana Ethicae ac Iuris naturalis principiis mirum in modum stabilire solet. Ita censet Augustae Vindelicorum die 28. Octobr. 1768.

Henricus Sigismundus de Fercher,

SS. Theologiae Doct. Eccl. Cathedral.
Augustanae Can. Capitular. nec non
Reverendiss. ac Sereniss. S. R. I. Princ.
& Episc. Augustan. Consiliar. Eccl. &
Vicarius in Spiritualibus generalis.

Josephus Herz,

SS. Theol. Lic. Reverendiss. ac
Sereniss. S.R.I. Princ. & Episcopi
Aug. Consiliar. Eccl. Consistorii
Affector, Visitator generalis, ac
Libr. Censor.

Facul-

Facultas

Reverendissimi ac Amplissimi

DD. Praesidis generalis Congregationis Benedictino - Bauaricae.

Nos Petrus Abbas Prünfeningensis, Serenissimi, ac Potentissimi Electoris, ac utriusque Bavariae Ducis etc. etc. summus Capellanus, exerae Congregationis Benedictino - Bavaricae p. t. Praeses generalis etc.

Visis Theologorum, quibus commissimus, Approbationibus, Admodum Reverendo, Religiosissimo, ac Clarissimo P. Simperto Schwarzhueber, Ord. S. P. Bened. in antiquissimo, ac exempto Monasterio Wessfontano Professo, ac p. t. in alma Archiepiscopali Universitate Salisburgensi Ethices, ac Historiarum Professori publico, praesentium tenore litterarum facultatem impertimur, quatenus Ethicam a se compositam, ab omni labe innocuam inventam, Ius naturae solide explicantem, ad eruditionem multorum, ad confusionem Novatorum Semi-verbiorum, ad usum praecipue Congregatio-

nis nostrae Studii Generalis, ipsiusque Cla-
rissimi Authoris perennem laudem typis pub-
licis vulgare possit, ac valeat. In quorum
fidem hanc licentiam manu propria subscripsi-
mus, ac Sigillo Praesidii communiuimus.

Actum in exempto Monasterio Prün-
fening. die 25. Oct. MDCCLXVIII.

(L.S.)

PETRUS ABBAS,
Sereniff. Elect. Baw. etc. etc.
summus Capellan. Congreg.
BBavar. p. t. Praeses Gene-
ralis. propria.

Appro-

Approbatio

Sacrae Facultatis Theologicae.

Cum et officii mei ratio exegerit, et praeterea ex Reverendiss. ac Ampliss. DD. Praesidis Generalis Congregationis Benedictino-Bavaricae commissione iniunctum mihi fuerit: Perlegi istud opus Pl. Reverendi, ac Eximii D. P. Simperti Schwarzhueber, in quo Ethicam in sua nativa essentia Iuris Naturae explanat. Tam autem abest, librum istum contra Orthodoxam fidem bonosve mores quidpiam continere, ut ad illam quidem mirifice iuvet; istos autem praeclarissime doceat, & contra vafros Innovatorum quorumcunque impetus fortissimo vallo praemuniat. Quare istud opus dignissimum censeo, ut etiam aeri imprimatur, et serae posteritati adhuc commendetur.

Dabam Salisburgi die 31. Augusti,
Anno 1768.

P. Michael Lory, Benedictinus
Tegernseensis, SS. Theol. Doctor,
et eiusdem in Speculatio - Dogmaticis Prof. Ord. Cels. ac Reverendiss. Archiepif. et S. R. I. Princip. Salisb. etc. Consiliar. Ecclesiast. p. t. S. Facult. Theolog. Decanus.

Approbatio

inclytæ Facultatis Philosophicæ.

Opus id præfens Philosophiam moralem continens, quod eximius Auctor singulari plane solertia, & eruditione elaboravit, vsibusque Scholarum pia accommodavit sollicitudine, dignum omnino censemus, quod publici iuris fiat, et omnium commendetur manibus.

Dabam Salisburgi, 4. Sept. 1768.

P. Dionysius Holderrieder,
O.S Ben. in lib etia per Monast.
ad SS. Vdal et Affram Aug. Vind.
Prof. AA. LL. et Phil Doctor,
Physices Prof. Ord. et Facult.
Pint. Decanus.

Appro-

Approbatio

almae ac exemptae Congregationis
Benedictino - Bauaricae.

Ethica P. Reu. ac Eximii P. Simperti
Schwarzhueber, quam iussu Re-
uerendissimi, et Amplissimi DD. Prae-
sidis Generalis Congregationis Benedi-
ctinobauaricae perlegi, tantum abest, ut
in ullo contra sanam fidei morumque do-
ctrinam impingat, potius ut eandem cla-
rissimo, et irrefragabili nexu ex certissi-
mis Iuris naturæ principiis stabiliat, ac
ex ipsis Gentilibus Philosophis mella
propinans, genuina homines, iuuenes
praesertim studiosos erga Deum, se ip-
sum, et Proximum officia edoceat.


*Quare Ethicam istam non solum
utilissimam ; sed et , quia solertissime a
falsis Nouatorum principiis praecauet ,
quasi temporibus nostris necessariam , prae-
loque dignissimam iudico.*

Dabam Wessofonti die 16.

Octob. 1768.

P. Ioannes Damascenus Kleienmayrn,
Benedictinus Wessofontanus , p. t.
in generali Studio Congreg. Bene-
dictinobauaricae S. Scripturae. Pro-
fessor , et eiusdem Studii Director.

PRAE-



PRAEFATIO.

Discipulis scribo: Neque enim ita ad impudentiam frontem perfricui, ut festinatam laborem doctis obtrudere audeam; aut tam perditae sum rerum mearum amans, ut aliquam nominis celebritatem ex opere sperem, quod nisi alia intercessissent, horatiani illius (*) haud inmemor, nonnumquam in annum ipse premere, et membranis intus positis iterum iterumque delendo emendare malueram. Nunc vero privatis meis rationibus Auditorum meorum utilitas potuit sane, debuitque praevalere.

Quippe Superiorum voluntate ad docendam Philosophiam moralem tractatus illud mihi simul iniunctum credidi, ut disciplinam

(*) *In arte poetica.*

PRAEFATIO.

pulcherrimam iuxta ac saluberrimam maximo, quo possem, cum fructu Auditorum traderem; eamque a contemtu vindicarem, quo passim adhuc apud imperitos laborare videtur. Quod enim summi inter Litteratos vir nominis, facundissimus ille M. Antonius Muretus olim questus fuerat, *esse quosdam peruerso homines ingenio, qui causas, propter quas et ipsi a pulcherrimo studio abstineant, et ab eodem ceteros auocent, comminiscuntur, atque communia et contrita esse dicunt, quae haec docentur, ut ad ea percipienda doctore nihil opus sit: (**)* Id ipsum experientia doctus sum, ut igitur, qua ratione hunc praecipue errorem ex discipulorum animis euellerem, mihi ante omnia laborandum esse haud obscure intellexerim.

Ipsa autem usu comprobauit, quod ante Superiores, virique grauissimi monuerant, haud sane opportunius id totum perfici posse, quam si quaestionibus amputatis, aut certe in arctum contractis, quae in vulgus notae, velut

(**) Orat. VIII.

PRAEFATIO.

velut supermacanæe, prae ceteris contemni solent, totam hanc scientiam ad prima, anti-
taque *Iuris naturalis* principia reuocarem; quod quidem consilium geminam utilitatis rationem ostendebat: alteram quod vna eademque opera discipuli ad grauiores scientias, quae Iuris naturae dogmatibus fere omnes innituntur, solidius percipiendas rite possent praeparari, eoque ipso facile essent animaduersari, praepostere agere, qui hisce destituti praesidijs, et illotis veluti manibus (neque enim omnibus vacat, aut occasio suppetit Iuri naturae peculiarem operam nauandi) in altiores irrunt disciplinas, proque eo, vt speratum temporis compendium faciant, progressus felicitatem soliditatemque ipsi impediunt, atque retardant. Alterum emolumentum, quod ista docendi ratio promittebat, in eo situm est, quod occasio sup-
peteret, studiosae iuuentutis animos aduersus venenata Nouatorum, et Pseudopoliticorum principia mature praemuniendi, quae quidem sub specioso *Iuris naturae* obtentu in tanta scripturiendi non minus, quam quaelibet

PRAEFATIO:

bet legendi licentia nunc passim incautis propinquantur, ipsosque adeo iuuenum animos hac nostra aetate haud raro corrumpunt.

Verum enim toto intentus animo, quo pacto haec omnia confecta darem, in illum innox scopulum impegi: Namque scriptioni ex recepto hactenus more alligatus, et lectionum, uti vocant, paucitate, et temporis angustia aliisque praeterea molestis exclusum me sensi, quo minus instituta ad optatum exitum perducerem. Igitur Auctorem aliquem circumspicere coepi, quem exponendo finem praefixum assequi possem. At vero inter libros Philosophiam moralem complexos alii nostris erant consiliis accommodati; alii, qui opportuniores videbantur, comparari non poterant ab Auditoribus, nisi vastas in integram Philosophiam lucubrationes, quibus Ethicae pertractatio subiuncta est, simul emitturis, id quod magno iterum incommodo laborabat. Quare haud supererat aliud, quam ut ipse Philosophiam moralem nostris rationibus

bus

PRAEFATIO.

bus subseruituram conscriberem, et typis vulgare instituerem.

Huc igitur redactus nihil prius habui, aut antiquius, quam vt in primis diligenti lectione, et virorum clarissimorum consilio supplerem, quidquid tenuis ingenii deerat mediocritati; atque hos quidem, vt seueram in opus praematurum exercerent censuram, non orauí solum, verum etiam obtestatus, et monentibus semper obsequutus sum. Tum vero in id omnem intendi curam, solum vt veritatis studium, discipulorumque profectum sine partium studio, sine alicuius offensione prae oculis haberem; et in illis etiam controuersis, vbi aliorum errores necessario redarguendi erant, aut contrasentientium opiniones refellendae videbantur, me causae aduersarium, non personae inimicum profiterer, veritatemque ita tuendam susciperem, vt dignam alienae eruditionis laudem iustamque existimationem nunquam labefactarem. Ceterum, quum discipulis scribam, his etiam stili, docendi rationem, ipsumque typum accom-

PRAEFATIO.

accommodandi, maluique subinde in Prilciani, aut rigidiores methodi leges peccare, quam obscurus fieri, parumque ab illis intelligi, quorum gratia hunc totum laborem suscepi. Quae quidem ipsa causa mihi persuasit, ut dogmaticis Sectionibus, quibus moralis Philosophiae principia firmanur, et practicis, quibus honestatis virtutisque studium paulo efficacius inculcatur, scholasticas in singulis capitibus subiicerem, eademque methodo Prolegomena pertractarem. Quippe tentatis saepe ingeniis deprehendi, imbecilliorum (quorum in publicis scholis fere maximus solet esse numerus) non esse tantum acumen, ut, si qua difficultas mouetur, eisdem idonea solutione satisfacere possint, nisi responsiones velut ori ingerantur, istaque exercitatione assuefiant, ad id ipsum in aliis doctrinae capitibus rite tentandum. Vnum vero non nisi inuitus praetermissi. Destinaram principio pleraque, si non singula dogmata veterum exemplis illustrare, ut his velut illecebris ad saluberrimae disciplinae studium discentes tanto fortius allicerentur: verum

PRAEFATIO

rum in eam liber excreuisset molem, ut merito vereretur, ne aucto pretio tenuioris fortunae Auditores ab eodem comparando abstererentur; quare necesse fuit, istud condimenti genus explicationi reservare; nisi ubi ipsa quaestionis indoles tale quid exigebat.

Plura non addo: Quae enim ad moralis Philosophiae dignitatem necessitatemque commendandam spectant, ea in subiecta oratione inaugurali, fatis superque exposui: utrum autem pro rei grauitate ac dignitate ipse ego scripserim, peritiorum esto iudicium, cui me lubens, atque ita subiicio, vt praepimis S. Matris Ecclesiae romano-catholicae censurae singulos huius libri apices, ea, qua id fieri ab obsequentissimo conuenit filio, deuotione submittam. Errores typi, qui sensum turbare poterant, singulari in pagina notati; hanc igitur, candide lector, vbi dubium subortum fuerit, consulas precor; leuiores autem vt in ista operis festinatione condones, et typographo, abs me magno locorum intervallo distanti, et mihi, in rem
ipsam

PRAEFATIO.

ipsam magis, ut fieri assolet, quam in legum orthographicarum rigorem intento.

Iamque adeo frui hoc qualicumque meo labore; et si quid potui ad tuum emolumentum conferre, Deum solum, omnis boni fontem et auctorem, lauda: sin, illud saltem abs tua spero humanitate, fore, ut meam discipulorum voto obsecundare, et discipulorum progressui commodare desiderantis gratam habeas voluntatem.





DE
LAUDIBUS PHILOSOPHIAE
MORALIS

O R A T I O,

QUUM EAM DOCERE AGGREDERER
CORAM SENATU ACADEMICO, ET DIS-
CIPULIS DICTA VI. IDUS NO-
VEMBRIS MDCCLXVI.

Deliberantem me saepe numero, et cum animo meo reputantem, quale Orationis argumentum moralis Philosophiae doctrinam solenniter auspiciaturo potissimum conueniret, illud praecipue turbauit, atque impediuit, quod quum eiusdem disciplinae praestantiam Auditoribus meis commendare non opportunum magis, quam necessarium existimarem: haec tamen ipsa dignitatis et amplitudinis depraedicationis parum mihi ad finem praestitutum idonea et valitura esse videretur.

Etenim quum id communi omnium consuetudine sit receptum, vt, qui ad publicum docendi munus accedunt, eam artem, quam se tradituros profitentur, omnibus, quibus possunt, laudum encomiis extollant: huius certe generis elogia assiduo velut vsu detrita vilescunt, neque iam solent ad animos vsque permouendos penetrare. Igitur quamquam minime simus reprehendendi, qui in suarum quisque disciplinarum vberimas laudes certatim diffundimus; propterea, quod omnes se bonae artes, atque scientiae suamet dignitate vtilitateque commendant: tamen haec ipsa singulas depraedicationis contentio vniuers-

P. Schwarzhuber Eth. P. I. c farum

Oratio.

farum non nihil derogat auctoritati; quod, qui similia de quavis litteraria disciplina toties audiunt laudum argumenta, ita opinari incipiant, eum, qui de suomet instituto magnifice ac splendide dicere ingressus est, haud minus quidem alterius alicuius scientiae praestantiam, atque emolumenta exaggeratum fuisse, si hanc eandem aut docendam, aut exornandam suscepisset.

Deterruerat hoc me paene, atque perpulerat, ut ad alia potius omnia orationem conuertere mallet, quam praestantissimae disciplinae nobilitatem suspectis laudibus in vulgus eleuare, et meimet rationibus instituti praeiudicare. Verum autem reuocauit me ad pristinam consilium illa, quae omnibus congenita est, felicitatis adipiscendae cupido; haec enim quum non possit non singulorum ad se animos rapere; ita ego mecum sentiebam, nihil posse ad moralis sapientiae dignitatem inculcandam sublimius, nihil ad eius aestimationem excitandam fortius atque efficacius in medium afferri, quam si moneram Auditores, vnam hanc esse inter ceteras Philosophiae partes, quae aditum nobis ad illam tam ardentibus singulorum votis desideratam beatitatem aperiat, viamque tutam complanet; quippe in hunc solum intenta finem, ut homines ad securissimam felicitatis adeptionem perducatur, in ipsamque eiusdem possessionem veluti intromittat. Simul et illud cogitabam, si quas Philosophiae moralis recensere aggredior laudes, non ideo quidam abs me congestas arbitrarentur, quod ita se res habeat; sed propterea, quoniam iste potissimum ager mihimet excolendus obtigerit: eos quantum momenti Ethica ad vitam bene instituendam, et beate traducendam afferat ipsa quidem experientia breui esse conuincendos, ut me nihil supra veritatem magnificentius iactasse vltro sint confessuri.

Quocirca inauguralis haec mea oratio tota in occupabitur, ut moralis Philosophiae laudes

ob

Oratio.

ob oculos ponat, et eiusdem Candidatos ad diligentem atque assiduam saluberrimae huius disciplinae pertractationem, quam vehementer abs me fieri potest, inuitet, alliciat, atque perpellat. Porro autem quum propria rei vniuscuiusque dignitas ad eam magnificandam plurimum soleat excitare: tum sane nihil nos vehementius ad illam consecretandam mouere potest, quam offensio ratio emolumentum; hoc autem si praeterea cum necessitate ita coniunctum est, vt eadem re sine maximo nostro detrimento carere non valeamus; quis prudens vllis iam parcendum laboribus existimabit, quominus adipiscendae illius et occupandae occasio e manibus elabatur? Eadem ego ratione tantam esse affirmo Philosophiae moralis dignitatem, quae propter semetipsam cupidissime expetenda, et omnibus aliis humanae sapientiae disciplinis anteferenda fit; eam vero vtilitatem, cui nulla possit altera comparari; necessitatem denique ita singulos constringentem, nemini vt concessum fit, illius praeceptiones sine proprio salutis dispendio insuper habere. Quae tria orationis capita si rite probauero, nemo erit, opinor, qui me, quae huius instituti sunt, propria, sola amplificandi gratia in maius extulisse criminetur. Igitur breuiter, et philosophico magis more, quam oratorum ritu dicturo animis auribusque fauete.

Ita est Domini Auditores genere, doctrina et moribus ornatissimi! Ipsa mihi Philosophia os obstruat, si veritatis tenacissimam falsis audeam laudibus extollere, et velut meretriciis quibusdam pigmentis adornare; Neque sane sibi indiget scientia, quae nativa venustate diuinum prodit genus, et supra ceteras omnes humanarum artium facultates haud minus enitet, quam solis illud iubar reliqua inter coeli fidera videmus effulgere. Quodsi enim cuiuslibet rei dignitatem ex fine, quem sibi propositum habet, metiri debemus: quid potest illa disciplina sublimius esse

Oratio.

aut diuinius, quae tota in eo occupatur, vt omnes nostros actus ad honestatis, ad iustitiae, ad probitatis normam componat, et homines ipsos ad summam aeternamque prouehat felicitatem? Vnum istud si rite animo expendamus; nec iam inficiari, nec villo modo dubitare poterimus, quantum vitro gemma, luto aurum, auro virtus praestat, tantundem hanc scientiam reliquis artibus antestare. Neque vero haec ita dicta velim, quasi contendam aliquid de iustis ceterarum laudibus decerpere: Sane autem illud indubitanter asseuero, ceteras artes, quemadmodum ad hanc finis nobilitatem haud assurgunt; ita etiam ad istam moralem sapientiam referri, et huic omnes ancillari debere, nisi suo velint loco excidere, et honore spoliari.

Quo tu enim mihi ea omnia, quae siue ad acuendas animi vires, siue ad corporis necessitates subleuandas, seu etiam ad vitam commode traducendam acute, et praeclare inuenta sunt? Nimirum, nisi ad eum subserviunt finem, qui morali Philosophiae proprius est, et peculiaris, vt omni virtutum genere vitam excolant, iustitiam, honestatemque promoueant, nisi nos bonos efficiant, nisi verae sint beatitudinis assequendae instrumenta; in hominum pestem degenerabunt, in Reipublicae perniciem, in totidem vitiorum irritamenta. Quippe fieri non potest, vt ab altissimo illo scopo gradum deflectant, quin haereant in nociuis, et vel ad augendas opes, vel ad inuestigandas voluptates, vel ad consecretandos honores vnice dirigantur. Ego autem non iam illud dicam, diuitias innumerabilibus in dies, atque in singulas adeo horas subiacere casibus, ipsisque per saepe possessoribus suis exitiales esse solere; voluptates vero seu virorum indignas, seu cum turpitudine plerumque, ac dedecore; imo cum satietate, ac fastidio nunquam non esse coniunctas; honorum denique ambitionem, quemadmodum ipsa suum est

Oratio.

est tormentum, ita in omnibus hactenus vituperatam fuisse, quando contra gloriae contemptus fere singulos ad perpetuam posteritatis memoriam illustravit: sed, his in medio relictis, nunc quidem istud vnum contendo, quidquid funesti, quidquid malorum, quidquid calamitatum in omnem terrarum orbem inuectum est, per has fuisse portas intromissum; non propterea sane, quod res istae suamet natura malae, et bono cuius fugiendae sint: sed quod eiusmodi cupiditates moderatrice Philosophia caruerint, quae teste Romanorum eloquentissimo vna virtutum indagatrix, vitiorum expultrix, verae tranquillitatis inuentrix est, summaeque conciliatrix felicitatis.

Enimuero, credite mihi, ad omnis retro temporis experientiam prouocanti, Auditores; haec est ex omnibus humani ingenii disciplinis vnica illa scientia, quae opibus recte vti docet, vt eas, si absint, nec audius quis requirat, nec si accedant, augendi cupiditate, aut amittendi formidine torqueatur; haec, quae perturbatricem humanarum rerum mitigat ambitionem, vt neque petamus nisi alienae causa vtilitatis honores, neque de obtentis insolentius exsultemus, nec vero propter negatos beatissima animi tranquillitate excidamus; haec est, quae contemptis puerilibus voluptatum oblectamentis, et venenata libidinum suauitate, alias propinat, easque perpetuas ac sincerissimas delicias ex ipsa virtutis conscientia haustas, quibus sine vlla molestiae permissione fruitur, mentemque ita pascit, has vt solas charas habeat, atque iucundas. Vtque paucis omnia dicam: haec est, sine qua ex Xenophontis sententia vel id ipsum, quod optimum est, ad perniciem, non ad salutem valere potest; haec, sine qua ne Philosophi quidem nomen merito quisquam sibi vsurpare potest: namque qui huius praecepta non tenet, temerarius est nimis, ait Cicero, si Philosophum se dicere audeat; haec est tandem, quae suis imbutum disciplinis hominem in illo animi culmine ponit, quod

Oratio.

instar poetici Olympi semper innube, semper tranquillum, semper ventis tempestatibusque superius est, haec quae inconcussae ad modum rapis fluctus procellasque cupiditatum non tantum ridet, verum etiam frangit, atque reuerberat. Et quid multa? haec est, quae hominem vna ex omnibus vere bonum facit; atque beatum. O igitur praeclearam disciplinam, cuius praesidio et, quae mala sunt, innoxia fiunt, et sine cuius Ope, ne bona quidem afferunt vtilitatem. Nihil sane potuit, id quod merito Plato dixisse perhibetur, nihil potuit ea maius, nihil diuinius a Superis hominum generi donari.

Verum autem nec a nobis quid potuit evidentius et manifestius seu ad commendandam moralis Philosophiae dignitatem, seu ad vtilitatem illius demonstrandam afferri. Quis enim non cum maximo suo emolumento coniunctam esse videat rem, cuius vnus praesidio se bonum effici posse intelligit, atque beatum fore animaduertit? Tamen propius est mihi DD. Auditores, ad vestra singulorum commoda accedendum, eo vt planius perspiciatis, quanti vnus cuiusque vestrum interfit, vt ad Ethices studia totam animi afferatis contentionem. Atque inprimis illud vltro largior et concedo, naturalis Philosophiae, cui simul operam addixistis, notitiam multo esse praestantissimam.

Magnum enimvero est in remotissimas Metaphysicae veritates penetrare. Maius adhuc rerum omnium naturalium principia tenere, causas nosse, effectus stupendos ipsis etiam oculis cernere, animo comprehendere, et ad vitae quotidianae emolumenta posse traducere. Praeterea vero superatis iam ante Arithmeticae, Geometriae, et Algebraicis difficultatibus, in reliquis etiam mathematicas disciplinas quarum non iucundior est, quam vtilior ad omnem vitae rationem pertractatio, et denique ad ipsa huius scientiae intima Sacraia admitti, eius arcana animo complecti, clarissimo veritatis splendore omni ex parte circumfundi, ipso-

Oratio.

rumque adeo siderum, corporumque coelestium situs, interualla, magnitudines et vicissitudines non modo per euidentiae Lucem contemplari, verum etiam in feros annos posteritati praedicere; istud mea quidem opinione prope diuinum est.

Itaque primum quidem vos hortor, atque quam possem, vehementissime obtestor, nulli vt parcatis labori, quo in omni hoc philosophandi genere pro suis quisque viribus emineatis, tum autem illud etiam a vobis peto, vt quemadmodum ego ista admirabilia esse confiteor; ita vos nostra talia esse concedatis, quorum sit et fructuosior cognitio, et perniciosior ignoratio. Cui namque bono omnia ea, quae in reliqua doceri solent Philosophia, intellectu comprehensa tenebitis; si mentem virtute vacuum circumferatis? aut quid tam multa didicisse iuuerit, si honesti tamen, et recti fines nescistis? vbi vero est ille, quem ipsum quidem Philosophiae nomen exprimit, sapientiae amor, si qui rerum extra se positarum quidquam ignorare erubescit, is idem, quae sibi conueniant, atque agenda sint, perdiscere, et propriam adeo felicitatem curare detrectet?

Enimuero quod illa quisquam hand satis caleret, vir propterea minus bonus, aut cuius rei-publicae noxius a nemine vnquam est iudicatus: contra vero haec nostra ignorata, aut contempta non modo priuatos in exitium impulere, sed totas etiam funditus euerterunt ciuitates: Quid vero Socrates, Xenophon, Plato, Aristoteles, Xenocrates, Epictetus, Antoninus, Plutarchus magna illa Philosophorum nomina, et ad omnem posteritatem valitura? qua alia re nobilitati sunt, quam quod ad omnia recta, atque honesta non voce tantum; verum etiam exemplo suos sint sectatores cohortati? Plus id vnum ad amplificandam illorum gloriam valuit, quam quod rerum naturalium cognitionem praeclaris vastissimorum ingeniorum inuentionibus, et nouis quisque accessio-

Oratio.

nibus locupletarint. Quin quae Dialecticos toties maledicendi libido, et quae reliquam etiam Philosophiam perfringere haud est verita veteris commoediae licentia, numquam in hac moralis sapientiae grauitate, quod morderet, aut scurriliter saltem rideret, potuit inuenire.

Porro autem non cognatam tantum Philosophiam perficit ista morum disciplina: verum ad reliquas quoque artes et scientias praesidium subministrat, de quo, vtrum vtilius sit, an magis necessarium merito dubitaueris. Obmutescet his non imbuta praeceptis eloquentia, et in perniciosam transmigrabit garrulitatem; legum autem et iurisprudentia tota quanta est naturali innititur aequitati, quam docere proprium est Ethicae munus; ipsa quin scientiarum Regina, sublimior illa, et sacratior Theologia animos exacta et curatissima rerum nostrarum tractatione praeparatos, et praemunitos requirit; quandoquidem diuina, quae inculcat, morum praecepta potissimam partem alia non sunt, quam quae conditoris digito pridem in hominum cordibus descripta vtramque moralis Philosophiae implent paginam, et totum eiusdem iaciunt fundamentum. Nullum denique est vitae institutum, nulla viuendi ratio, qua quis possit eorum, quae nos quotidie tractamus, cognitione sine maximo suo incommodo carere. Quum enim vbique virtutem sectari necesse sit, et ad perfectam illam eluctari beatitatem; tum qui non ex nostris regulis, sed summum bonum sic instituit, vt nihil habeat cum Deo immortali, et virtutis sanctitate commune; sed omnia suis commodis, non honestate metiatur: hic, vt bene ait Tullius, si sibi ipse consentiat, et non interdum naturae bonitate vincatur, neque amicitiam colere possit, nec iustitiam, nec liberalitatem; fortis vero dolorem summum malum iudicans, aut temperans voluptatem summum bonum statuens, esse certe nullo modo potest.

At

Oratio.

At ego quidem ipso orationis impetu ad eam me partem delatum sentio, quam vltimam probandam suscepi, moralem nimirum Philosophiam non solum suamet natura multo esse praestantissimam; neque tantum omnibus vtilem: sed vobis cumprimis ornatissimi DD. Auditores necessariam videri debere. Verum enim quum ex illis, quae hactenus abs me dicta sunt, ipsam hanc necessitatem satis omnibus perspicuam, imo singulis euidenter factam esse existimem; vnum illud adiuciam, quod vestrum quemque multo maxime concernit. Certum nempe, atque indubitatum est, moralem istam sapientiam cum decantatissimo illo iure naturali penitissime coniunctam existere, ita vt ex illorum etiam confessione, qui has disciplinas abs se distrahere et separare malunt, nec tamen Ius naturae sine morali Philosophia; neque Ethica sine iure naturae bene doceri, aut satis percipi possit. Sane autem ab annis paulo plus centum tanta librorum ius naturae profitentium illuies orbem litteratum inundauit, vt nec isti in numerum cogi; neque iam satis caueri possit, ne cum illis, quae hac de re vtiliter et praeclare scripta sunt, putidi quoque et venenati improborum partus ad studiosae iuuentutis manus deferantur. Quum enim speciosa sint fere, quae ad nocendum excogitantur, pulcherrimus ille Iuris naturae titulus iuuenum praecipue curiosos ad se rapit animos sperantes, fore vt noui aliquid et incogniti doceantur ab hominibus, qui se, quod fieri amat, aequi iustique magistros cum aliorum, Catholicorum praecipue, contemptu iactare conuenuerunt. Isti autem quo occultius sua propinant venena, tanto altius ea incautis, nihilque mali suspicantium animis instillant. Sunt inter istos, qui longissime submota volunt omnia diuinae reuelationis, et cuiuscunque demum auctoritatis principia, illud insolenter depraedicantes, ius naturae ab istis repurgatum fordibus suamet opera ad natiuos et genuinos sanae rationis limites

Oratio.

renocatum fuisse: at vero hoc vnum interim ob oculos positum habent, Catholicam vt religionem per cuniculos vineasque oppugnent. Alii summum sibi et vnicum praefigunt scopum, vt huius tantum vitae commoda respiciant, atque haec ex ipso etiam iuris naturalis praecepto esse quaerenda contendant: et hi nimirum eadem opera omnem Numinis cultum, totamque Religionis curam euertunt. Alii denique alia obtrudunt principia, a quibus plana praecipitque via necesse sit ad Atheismum, vt vocant, Naturalismum, Indifferentismum, Deismum, Syncretismum, quaeque alia sunt eiusmodi nominum et errorum monstra deuenire.

In eius generis libros (quos ceteris diligentius terere vulgaris est nostri aevi libido) si sciola incidat et nondum sanioribus doctrinis praemunita iuuentus, fit nimirum, quod euenire nostris toties oculis perspicimus, et hisce auribus audimus: fit, inquam, vt praecocis nimium sapientiae erudituli nostri vix quaedam Iuris naturae et gentium elementa, et haec quidem ipsa haud satis intellecta ex talibus delibauerint fontibus, iamque Hobbefios, Puffendorfos, Thomafios, et nescio, quos alios crepent, et quidquid isti, aut eorum similes in Patres sanctos, in summos Pontifices, in Ecclesiam romanam, in Clericos et Monachos impotenti temeritate eructarunt, hoc illi quoque, vt eruditionis fumum penes vulgus capent, imprudenter effutiant; ignari scilicet, ipsis nunc quidem istorum scriptorum Gregalibus aduersus effrenem hanc sentiendi licentiam totis viribus esse depugnandum, ne impietas palam caput attollat, et cum omni religione ipsorum quoque sectam incipiat eliminare. Hac autem eadem re iam satis patet, quam sit necessarium, saniore morum Philosophia animos iuuenum praemunire; quum enim propter eos, quos Protestantes vbiq; tollunt de praestantia et iuris naturae necessitate

Oratio.

tate clamores nemo, qui altioribus se mancipavit disciplinis illud plane sustineat ignorare; hoc ipsum autem cum Ethica, aut res plane eadem, aut arctissimo saltem sit foedere copulatum; et omnes eiusmodi librorum pestes ex vrbe excludere, singulorumque manibus excutere res sit, quae optanda potius, quam speranda videatur: mea quidem opinione huic malo nunquam satis mature occurreretur, nisi, quantum moralis Philosophiae institutum permittit, simul cum illa doceantur adulescentes, quam futilia sint eiusmodi scriptorum principia, quam sibi non cohaerentia, quam ab omni sana ratione, quam a iusti honestique regulis remota et aliena.

Atque ego quidem probe sentio, quam arduum, quamque graue onus in me receperim, dum me ista praestitutum esse cum hac mea virium imbecillitate, et ingenii tarditate profiteor atque affirmo. Sed quo minus doctrina, usu, et perspicacia animi valeo, eo plus laboris impendam atque contentionis. Spero igitur, si quantum ego ad docendum; tantum vos diligentiae ad discendum afferetis, Ornatissimi ac doctissimi DD. Auditores, me per vos quidem ipsos profecturum, et vos mecum vberimum et copiosissimum ex hac disciplina fructum esse capturos.


Afferetis autem tantum, quantum peto sedulitatis; ita me non sperare tantum, verum etiam confidere iubet ille praeclarus ingenii vigor, quem in multis vestrum ipse ego iam olim suspexi; hoc ipsum promittit illa solertissimae diligentiae constantia, qua vos plerique iam a pluribus abhinc annis Superioribus continuo et maxime comprobastis. Illa denique ingenua et liberalis animi indoles me securum facit, quam in omnibus fere vestrum ego cum multis aliis saepe sum expertus. Cum his tam egregiis animi dotibus fieri non potest, quin vel sola moralis Philosophiae dignitate aliciamini, quam vnam honestatis Magistram, bono-

Oratio.

bonorum virorum progenitricem, felicitatis ducem aeternaeque beatitudinis conciliatricem esse vidistis. Monebit vos ea quoque tam ampla utilitatis ratio cogitantes, non aliud esse firmius validiusque ad quaslibet artes, et sublimiores scientias cum fructu hauriendas, et quamcunque vivendi normam bene ineundam praesidium, quam quod a saluberrimis huius moralis sapientiae petitur institutis. Denique de necessitate eiusdem convicti nūquam committetis, ut fidem, Religionem, honestatem, ipsamque adeo temporariae et aeternae vitae beatitatem in tantum coniciatis discrimen, quantum illi incurrunt, qui ex venenatis illis libris iuris naturae larvam falso praesefertibus temeraria nimis curiositate morum, dogmata haurire non verentur. Absit hoc a vobis Ornatissimi DD. Auditores! quin potius aduersus istam pestem sanioribus animum principiis praemunire, quantum in vobis est, contendite, ac festinate. Sed enim superuacaneum est sponte currentes stimulis diutius vrgere: illud igitur vnum addo praeclarum Ciceronis effatum: vnum diem ex huius moralis sapientiae praeceptis actum etiam immortalitati esse anteponendum.



PROLE-



PROLEGOMENA ETHICAE.

Omnis, ait Cicero L. I. Offic. C. II. *Quae a ratione suscipitur de aliqua re institutio, debet a definitione proficisci, ut intelligatur, quid id sit, de quo disputetur.* Igitur Philosophiam moralem tradituro mihi necesse est, ea praemittere, et suis stabilire fundamentis, quae naturam, qualitates, fontes, et principia huius disciplinae concernunt, ne in rem ignotam coeco quodam impetu, et illotis veluti manibus irruere videamur. Sit igitur

CAPUT VNICUM
DE NATURA, QUALITATIBUS,
FONTIBUS, ET PRINCI-
PIIS ETHICAE.

SECTIO I.
DE NATURA, ET QUALITATI-
BUS ETHICAE.

§. 1.

Ethicae nomen a graeca voce *ἠθικός* deriuatur, *indolem, ingenium, morum proprietatem* significante. Latinis *disciplina morum, Philosophia practica, seu moralis*, aut ob praestantiam antonomastice *Philosophia* dicitur. Inde intelligitur praecipuum eius munus, quod est, *mores hominum ad rectae rationis regulas componere.*

§. 2.

Ethicam Adamo infusam abs Deo fuisse, nemo sanus dubitauerit; hic vero primus hominum parens, idemque naturalis, quae sola ad Moysen usque vigeat, legis interpres, hanc eandem posteris docuit, et sic perpetua quadam traditione conseruata est; pura quidem apud illos, qui nunquam a veri Dei cultu descuerunt: admodum autem deprauata penes eos, quos vitia primum, deinde etiam idololatria in transuersum, et longissime a sana ratione abripuerunt. Et ille quidem Dei populus magnis huius disciplinae accessio- nibus locupletatus est per legem diuinam Moyssi traditam, et libros morales veteris testamenti: praecipue *Proverbiorum, Ecclesiasticis, Ecclesiastici, Sapientiae etc.* quae omnia sanae rationis dictaminibus multo sunt refertissima. Apud gentiles vero omnium fere gentium Philosophi tum sacer-
dotes,

doctores, tum legesatores, tum doctores, graeci praecipue post aegyptios in id incubuerunt, corruptos vt mores ad saniora reuocarent instituta (a). Horum praecipuae sectae fuerunt, 1) Pythagorei, 2) Platonici, quorum Dux Plato Socratis magistri, in hac sola Philosophiae parte immortalis, praecepta conscripsit. 3) Stoici item, quos apud Romanos etiam Cicero, Seneca, Antoninus Imp. Epictetus etc. sequuti sunt. 4) Denique Epicurei dissolutionis, et impietatis passim damnati. Verum palmam omnibus praeripuit Aristoteles Peripateticorum princeps, qui in hac Philosophiae parte ceteris ordinatius, et feliciter versatus est conscripsit decem libris Ethicorum ad Nicomachum filium, septem aliis ad Eudemum, duobus magnorum moralium, vno de virtutibus, geminis item de oeconomicis, octo denique de Politicis (b).

§. 3.

Multo plus, quam antea vnquam luminis morali Philosophiae accessit per legem Euangelicam; quandoquidem Christus non venit legem seu naturalem, siue diuinam soluere, sed adimplere, id est, perfectiorem reddere. Sancti etiam Ecclesiae Patres morum praecepta suis in libris vberissime docuerunt, quos inter praecipui sunt S. Ambrosius Libris III. de offic. et S. Thomas Aquinas tota P. II. Summae theologiae. Sed nimirum isti naturalia praecepta reuelatis admiscuerunt, propterea, quod hominibus scriberent non vtique in statu mere naturali constitutis, sed per Christum ad statum supernaturalem eleuatis, atque adeo non tantum rationis sanae dictaminibus, sed etiam posituis diuinae, christianae, ac ecclesiasticae legis

A 2

(a) Fuit haec sapientia quondam; Publica priuatis discernere, sacra profanis, Concubitu prohibere vago, dare iura maritis, etc. Hor. in Art. Poet.

(b) Plura de hist. Phil. mor. vide sis apud Corfinum, Grebnerum, Pluche histoire du ciel, et alios passim.

gis constitutionibus subiectis. Igitur successu temporis factum est, vt pleraque Ethicae dogmata in Theologiam, et Ius vtrumque immigrarent. Quamquam non deerant omnino inter Catholicos, qui Ethicam per se tractarent; nam in celebrioribus Academiis, vti in Parisiensi praelegebatur Aristoteles; et in nostra hac Vniuersitate a prima fere origine, vtique ad exemplum aliarum, proprius Ethices Professor fuit constitutus (c). Testantur id ipsum varii commentarii in Aristotelem scripti, et libri Philosophiam moralem explicantes, quales multos ex saeculo XVI. et XVII. Morhofius in suo Polyhistore recenset (d). Plures autem, et praestantissimi hodie in omnium versantur manibus.

§. 4.

Tamen Protestantium non vnus, et inter hos praepimis Samuel Puffendorpius hanc Catholicis ausi sunt importare calumniam, vt iactarent: Ius naturae (a quo Ethicam separari haud posse, infra videbimus) ad Hugonis Grotii, vel ad sua potius tempora a nostris partim ignoratum, partim sine certo fundamento misere confusum, partim scholasticis quaestionibus, et futili sacerdotum auctoritate turpiter conspurcatum fuisse (e). Quae num ita se habeant, heic ipso in Ethicae limine paulo diligentius est a nobis examinandum.

§. 5.

Illi porro, qui de Ethica ex instituto scripserunt, mirum est, quam diuersas procuderint huius facultatis

(c) Instituta 1622. per Celsi. Archiepiscopum Paridem Lodronium auctoritate Ferdinandi II. Imp. Vniuersitate, et confirmatione Urbani VIII. P. P. 1626, promulgata primus Ethicae ac Historiae Professor subintravit P. Thomas Weifs, Monachus Neresheimensis.

(d) Tom. 2. L. 1. C. 11. et T. 3. L. 1. ethico.

(e) Vide Puffend. Praef. in prim. edit. I. N. E. G.

facultatis definitiones. Verbis tamen, quotquot illae sunt, magis differunt, quam re ipsa, atque in illud fere coincidunt, quod Ethica sit *ars, vel scientia practica conformandi vitam, et mores rectae rationi ad veram felicitatem consequendam*. Quae sit nostra, patefaciet sequens

§. 6.

*Propositio.**Ethica est Disciplina Iuris Naturae.*

Explicatur data propositio. Ethica inprimis est *disciplina*, et quidem talis, vt *primario habeat prudentiae, et secundario scientiae practicae* rationem. Prudentiae rationem habet qua *utens*, quia est *habitus practicus ad finem aliquem* (nimirum verae felicitatis *per idonea media* (id est opera rectae rationi, seu, quod idem est, legi naturae conformia) *obtinendum disponens*, quae est ipsa prudentiae in genere definitio. Insuper *bona consultatio*, sive disquisitio, *bona iudicatio*, seu discretio mediorum, et denique *efficax imperium* in ordine ad eadem media eligenda, et exequenda, quae sunt essentialia Prudentiae munia, eodem modo Ethicae conveniunt. *Scientiae* porro notionem eidem disciplinae convenire qua *docenti*, inde patet, quia ex principiis certis demonstrationes evidentes deducit. v. g. *a parentibus summa accepimus beneficia: ergo sunt honorandi*. Porro autem illam *primario esse prudentiam*, inde manifestum est, quod ex sua essentia tendat ad *usum*, nihil sane immutanda, etsi scientifica methodo non traderetur, vt haec adeo velut ex accidenti adueniat. Igitur *disciplina* hac significatione accepta in definitione nostra habet rationem *generis proximi*. *Differentiam* autem ultimam statuunt verba posteriora *Iuris naturae*, per quae notio generalis scientiae, et prudentiae (nam et diuersae sunt scientiae, et data superius prudentiae definitio post-

test multis convenire e. g. Agricolaë, Medico, Architecto) contrahitur ad solam Ethicam, quippe, quae proprie docet vivere secundum rectam rationem, siue legem naturae, quam solam pro fundamento ponit. Atque sic ab aliis speciebus Iuris, puta, diuini, humani, ecclesiastici, ciuilibus, publici, distinguitur, quae licet a lege naturae magna ex parte deriuentur, tamen primario libera Dei, et hominum placita pro obiecto habent. Paulo igitur fusius Ethica definiri potest. *Prudentia scientifica morum humanorum ad legem naturae componendorum.*

§. 7.

Probatur eadem propositio. Ius naturae est, teste Puffendorffio L. II. Iuris naturae, et gentium C. III. N. I. Communissima illa actionum humanarum regula, ad quam quilibet homo, ut est animal rationale, se se componere tenetur: vel ut Heinecius statuit L. I. C. I. §. 12. Complexio Legum ab ipso Deo immortalis generi humano per rectam rationem promulgatarum: atqui haec eadem est notio Ethicae: ergo Ethica nihil est aliud, quam disciplina Iuris naturae. Maior est aduersariorum; quoad substantiam enim conspirant cum Puffendorffio omnes. Minor est certa, idem est enim dicere, Ethicam esse artem practicam conformandi vitam, et mores rectae rationi, quae definitio quoad rem ipsam ab omnibus recepta est, §. §. 1. et 5. quam dicere, Ethicam esse communissimam actionum humanarum regulam, ad quam se quilibet homo, ut est animal rationale, componere tenetur, id, quod vel solam vim verborum expendenti manifestum est. Praeterea non minus Ius naturae, quam Ethica debet ad veram felicitatem, tamquam vltimum finem tendere. Consequentia porro est legitima: ergo etc.

§. 8.

Obiicies I. Ethica respicit honestatem; Ius naturae iustitiam morum: atqui ista diuersitas obiecto-

lectorum formalium facit diuersitatem, vt aiunt, essentialem disciplinarum: ergo. *II*do. Ad Iuris naturae regulas se quilibet componere tenetur: at qui non se tenetur quilibet componere ad regulas Ethicae, nam ista praescribit etiam normam *decori*, et virtutes recenset, quae non praecipuntur, sed suadentur: ergo hae disciplinae non debent confundi, sed ad summum sequitur, Ethicam esse disciplinam Iuris naturae in sensu latiore accepti, vel Ius naturae esse partem Ethicae in quantum nimirum Ius rigorosum praescribit. *III*tio. Finis Ethicae est felicitas hominis, vt homo est: Iuris naturae autem, in quantum membrum societatis humanae est. *IV*to. Ethica tantum Theoriam virtutum tradit, solumque intellectum illustrat: Ius naturae vero vrget praxin, et stringit voluntatem, ergo:

Respon. ad primum Dist. Mai. Ethica respicit honestatem, et Ius naturae Iustitiam tantum; nego, Ethica simul respicit Iustitiam, et Ius naturae honestatem simul, concedo; sic autem cessat tota illa diuersitas obiectorum. *Iustum, honestum, et decorum* male a Protestantibus, et aliis ita separantur, vt *iustum* quidem referretur Iuri naturae; *honestum, et decorum* ad Ethicam, aut illud sub nomine *pii*, seu obligationis erga Deum, omnino ad Theologiam naturalem ablegetur. Inde natum est confusissimum illud chaos, quod inter se alter alteri exprobrant Iuris naturae scriptores, qui hanc finium diuisionem, quam tantopere iactant, hactenus seruare ipsimet non potuerunt (f) Nempe *honestum* est ex consensu omnium veterum Philosophorum id, quod ultimo fini, seu summo bono obtinendo idoneum est, siue quod rectae rationi conforme est (g). Hoc, si in rigore loqui volu-

A 4

UNA.

(f) Vid. Defing. Larua detracta C. 8. them. 9. etc.

(g) Hoc vnum toto opere de finibus Cicero demonstrandum suscepit.

mus, subdividitur in *Iustum*, et *Decorum* (h); iustum dicitur, quod a recta ratione stricte praecipitur, et hinc comprehendit sub se etiam *Pium*; contra decorum est, quod saltem generaliter loquendo sine stricta obligatione suadetur. Ex his sequitur, quod Ius naturae iustitiam non possit respicere, quin etiam respiciat honestatem; quum sub genere honesti iustum tamquam species contineatur. Deinde conficitur, quod Ius naturae ne quidem decorum possit excludere. Si enim loquimur de Iure naturae, utique sermo non est de particulari iurisprudencia, aut iustitia, quae bonum partium tantummodo respicit; et hinc non nisi rigorosa nititur obligatione: sed de uniuersali, cuius finis est bonum totius: atqui hoc impetrari non potest, nisi etiam decori talis saltem habeatur ratio, ut, licet ad eius obseruationem singuli et in singulis casibus obligari nequeant; fateamur tamen, ab illo tuendo neque omnes posse, neque semper absolui. Quo enim pacto poterit v. g. *Societas*, aut *amor* subsistere, quarum rerum illa Puffendorffio; ista Heineccio Principium Iuris naturae est, si decorum penitus hominum arbitrio relinquatur, et nemo, nisi quod stricte praecipitur, facere velit, aut teneatur? Vidit hoc Iac. Gabr. Wolfius in *Praef. Instit. I. N.* ingenue fassus, tam arcto honestum, iustum et decorum vinculo connecti, ut repudiata angustiore iusti stricte accepti notione haec omnia non in applicatione magis, quam doctrina semper sint coniungenda, neque fieri possit, haec ut quis segreget, quin eadem opera prima extremis, et ima supremis confusissime permiscere adgrediatur. Patet ergo hac distinctione nihil iuari Adversarios ad inferendam Ethicae a Iure naturae diuersitatem.

Ad IIIdum. Iterum dist. Mai. ad Iuris naturae stricte praecipientes regulas quilibet se componere tenetur, conced. suadentes tantum, subdist. quilibet

(h) Idem. 1. de Off. 27.

quilibet se ita componere tenetur, vt decorum in omni casu, et semper ac singulos obliget, *nego*: ita, vt decorum istud semper, et ab omnibus negligi nefas sit, *concedo*: eodem autem modo obligant regulæ Ethices; nulla est ergo distinctio illarum disciplinarum. Vide Respons. ad Imum. Porro id ipsum nobiscum velut sui immemores docent noui Iuris naturæ doctores protestantici, ex quibus Heineccius L. I. C. VIII. §. 214. *Officia*, inquit, *etiam imperfecta duorum generum esse, et in officia humanitatis, vel innoxiae utilitatis, et beneficentiæ recte dispesci patet: Vtraque ob rerum multarum indigentiam tam sunt necessaria, vt homines sine iis vitam suauiter, et commode traducere non possint.*

Ad IIItum. Nego imprimis suppositum antecedentis, socialitatem, id, quod Puffendorfius contendit, et nos infra refutabimus, esse principium Iuris naturæ. Igitur bonum hominis, in quantum est membrum societatis, est finis Iuris naturæ tantum particularis, adaequato, qui est vera felicitas, subordinatus. Deinde inuerto argumentum: finis Iuris naturæ ex mente Puffendorfi est bonum hominis, in quantum est membrum societatis, atqui hic finis, non potest sine officiis imperfectis, seu sine obseruatione decori obtineri: ergo hoc ipso decorum non potest a iure naturæ excludi, nec Ethica ab eodem separari.

Ad IVtum. Nego Antecedens. Ethica, et Iurisprudentia naturalis, vtraque, inquam, theoriam virtutum docet, vtraque intellectum illustrat, vtraque praxin vrget, quum vtraque sit Iurisprudentia legis declaratiua: stringere autem proprio loquendo neutra potest, hoc enim pertinet ad Iurisprudentiam legislatiuam, quam vtraque præsupponit.

S. 9.

Corollarium I. Falsa, et putida est Protestantium calumnia, qua ignorantiam, confusionem,

et corruptionem Iuris naturae Catholicis impuntant; vana porro illorum gloriatio, qua se se restauratores, aut omnino parentes huius Iuris iactare solent §. 4. Namque et sancti Ecclesiae Patres, et Theologi nostri, Iuriumque periti nihil sane intactum reliquerunt, quod ad Iuris naturalis notitiam pertinet; sed ea, et multo luculentius, et ordinatius pertractarunt, quam ipsimet Protestantes. Quod autem hanc doctrinam cum morali Theologia, et Iure positivo copularint, non propter augendam sacerdotalem auctoritatem, vti impudenter mentitur Puffendorfius, sed ea factum est causa, quam superius §. 3. indicauimus, et hinc consilio multo saniore, quam quale est Puffendorfi, et Nouatorum, qui hominem instituendum suscipiunt, qualem non est in hoc orbe reperire, nimirum praeter praescripta Iuris naturalis, et ne haec quidem integra, ex legem (i). Quodsi autem quidam ex nostris gregatim inania, aut noxia addiderunt, factum est nempe, quod Protestantibus multo saepius vsuuenit: At enim grauioribus nostris Theologi illa semper fastidierunt, haec autem Ecclesiae telis confixa certum praebent vigentis apud nos morum puritatis argumentum. Sed nempe illa coniunctio cum Iure diuino, et humano non potest non displicere iis, qui ingenii

(i) Porro autem operae haud adeo magnae esset in secunda S. Thomae parte, quae sunt Iuris naturae, ab iis segregare, quae ad Ius seu diuinum spectant, seu humanum, quod ipsum multi e nouioribus Catholicis obseruarunt, et ex hac ipsa Academia summi nominis viri, et Vniuersitatis Rectores P. Franciscus Schmier, in Iurisprudencia vniuersali, ac publica, et P. Gregorius Zalluein, Confrater meus, in Principiis Iuris Ecclesiastici egregie praestiterunt. Luculentius adhuc, et ex instituto id ipsum egit profundissimae vir eruditionis P. Corbinianus Thomas, Vniuersitatis nostrae Procancellarius in Iure naturae Theologicae expenso, quibus vnum adhuc addimus, praecipuum olim Athenaei nostri decus, Reuerendissimum nunc Praefulem, Anselmum Desingium in Larua I. N. detracta, et aliis operibus bene multis in hanc rem editis.

nii libertatem intra limites Euangelii, et Ecclesiae restringi indignantur. Interim, amabo, quid factum est tot Scriptoribus acatholicis solam illam rationem ducem sequentibus? Thomasius Grotium singulari Numinis beneficio missum fuisse, exclamat ad Ius naturae in luce ponendum: at vero insignibus erratis omnes eius paginas scaterere Salmasius, et integrum abs se refundendum fuisse Puffendorfius lamentantur. Puffendorfius Gundlingius accusat, quod Ius naturae Iuri gentium, et vtrique ciuile misceat, omniaque confundat. Velthufius stupet, neminem ante se Iuris naturae scopum tetigisse, et vt plures alios taceam, Heineccius ad vnum omnes criminatur, quod cuncta sua deque verterint, ita, vt data veluti opera tenebris omnia inuoluere voluisse videantur. Haec non ideo dico, vt de aduersariorum ingenii laude, quam multi maximam merentur, quidquam detraham, neque vt ethicos mediū aeni scriptores excusem, quos haud multum praestitisse ingenue fatendum est: sed vt ostendam, haec dum nobis obiiciuntur, manticas non videre, quod in tergo est. Nostra porro hac aetate, qui nobile sibi in Ethica, et Iure naturae nomen meriti fuerunt Catholicorum plurimi, quemadmodum in omnium manibus versantur, ita etiam illam aduersariorum calumniam satis superque refutant,

§. 10.

Coroll. II. *Obiectum materiale Ethicae sunt mores, siue actus humani, quatenus sunt Iure naturae dirigendi, et honestatis naturalis capaces. Formale est honestas naturalis, siue conformitas cum lege naturae. Subiectum est homo sapiens secundum rectam rationem, siue Ius naturae in quolibet vitae statu viuere assuetus. Finis intrinsecus, intermedius, et proximus vita honesta, et laudabilis. Finis extrinsecus, et ultimus vera hominis beatitas, seu felicitas naturalis per talem vitam obtinenda.*

tinenda. Haec omnia quum necessario ex data definitione consequuntur, nullā indigent probatione.

§. II.

Coroll. III^{ium}. Ethicae partes sunt imprimis vna *generalis*, quae mores hominis *sine respectu ad aliquem statum*; altera *specialis*, quae mores hominis *ad certum statum relati ordinat*. *Generalis* iterum diuiditur in *Eudomologiam*, quae de felicitate, *Praxeologiam*, quae de actibus humanis, eorumque regulis, et *Aretologiam*, quae de virtutibus, et vitiis oppositis tractat. *Specialis* autem Ethica officia hominis pro quolibet statu recenset, et hinc diuiditur in *Monasticam*, quae de statu priuato; *Oeconomicam*, quae de statu societatis minoris; et *Politicam*, quae de statu societatis maioris, siue ciuitatis agit. Ex his patet ordo, secundum quem totam pertractaturi sumus Ethicam, haud sane pro dignitate rei, quae amplissima grauissimaque; sed pro breuitate temporis, quod angustum hisce praelectionibus praefixum est. Superuacaneum autem duco, ea, quae de praestantia, vtilitate, ac necessitate huius disciplinae in oratione inaugurali dixi, iterum repetere, quum illa abunde sufficere credam ad ingenii cuiusque animum persuadendum.

SECTIO II.

DE FONTIBUS ETHICAE SEU IURIS
NATURAE.

§. 12.

Qui ignorantiam Iuris naturae Catholicis imputant, Doctores protestantici, duobus potissimum nituntur argumentis: altero, quod auctoritatem seu diuinam, seu humanam pro fonte, et regula cognoscendi Iuris naturalis adhibentes

hibentes longe ab eo recedamus, vtpote quod, quemadmodum sola ratione humana promulgatur, ita etiam hac vna regula adhibita explicari debeat; Isto autem recessu factum esse, vt apud nostrates genuini loco Iuris naturae non nisi confusissimum chaos ex Iure naturae, Theologia, et legibus humanis enasceretur. Altero autem se iactant argumento, quod nostrum Ius naturae quaecumque demum non innitatur vni, certo, et vltimo principio, vnde omnia eius officia secundum rigorem methodi scientificae deducantur. Haec duo, vtrum ita se habeant, penitus considerandum est; et in hac quidem quaestione disceptare libet, meritone illi etiam auctoritatis fontes *Ethices* studioso commendentur; an vero, quae Iuris naturae sunt, sola debeant ratione inuestigari.

§. 13.

Quonam autem hoc suo cum argumento Protestantes colliment, intellectu multo est facillimum: qui enim ecclesia Christi e throno deiecta reginam rationem genuini sacrarum scripturarum sensus, et ipsorum adeo fidei dogmatum iudicem statuerunt, iine patiantur, vt non eadem sola in Iuris naturae finibus regundis dominetur? non inde etiam suum stabiliant religionis systema, et Catholicorum doctrinam saltem per cuniculos subruant? hinc et Heineccium, et Puffendorium tam male habet, quod Hugo Grotius etiam ab auctoritate, et, quod nefas, etiam a catholicis doctoribus veritatis praesidium conquisierit. Puffendorius praecipue apertis fatetur verbis, se rationis nomine, more Protestantium, suam propriam, et illam cuiusque priuatam intelligere: *Si qui alii, ait in praefatione ad primam editionem, ad ista carpenda accedere velint, illi solis rationibus metum sibi agendum sciant, neque enim, si qui ex illis, quis diuinas litteras explicare iniunctum, non nullas quaestiones ad hanc disciplinam propriis per-*

tinentes sibi definiendas sumsero, ideo aut hæc in articulos fidei poterunt abire, aut sanæ rationi earundem decisio subtrahi debet, aut ipsis maiorem hæc sibi auctoritatem arrogare conuenit, quam quibus isthæc ex professo aguntur etc. Nihil potuit clarius dici ad manifestandum, abs se totum Ius naturæ suo folius ingenio inædificari.

§. 14.

Ius, prout huius est loci, dupliciter accipi potest. Imo *Actiue*, et sic significat *iussum*, aut *imperium rationale superioris*. *Ido*. *Passiue*, et sic est *obsequium rationale inferioris*. Hinc, qui non est *Atheus*, necessario debet admittere *duplex Ius naturæ*, vnum *dominans* ex parte Dei, et alterum *seruum* ex parte hominis. Praeterea inter *Christianos*, quibuscum nunc agimus, supponitur ex dogmatibus fidei, hominem sub principium suæ creationis fuisse *in statu integritatis*, et *innocentiae*, vbi præter alias præclaras dotes integras quoque habuit animi facultates, intellectum nimirum perspicacissimum, et voluntatem ad bonum rectissimam, pronissimamque. Has autem potentias, dum per peccatum *in statum naturæ lapsæ* detrusus est, grauiter fuisse vulneratas, vt iam et cognitio veritatis sit multo difficilior, et voluntas ad bonum amplectendum multo infirmior, ac impeditior. Illas porro peccati originalis poenas *in statu naturæ* per Christum *reparatae* saltem non ex toto fuisse sublatas, sed instar, aliarum magna adhuc sui parte perseverare. His præsuppositis hæc est nostra

§. 15.

Propositio.

Quamvis sana, et recta ratio, quae vere talis est, per se sit propria regula cognoscendi Iuris naturalis: tamen in moderno hominum statu non potest abstrahi ab auctoritate, praecipue divina, propterea, quod auctoritas illa nunc quidem sit necessarium criterium sanae, et rectae rationis.

Probatur prima pars propositionis. Iuris naturae est, mores ad rectam rationem componere: §. I. ergo hoc ipso recta ratio, quae vere talis est, propria est regula Iuris naturae cognoscendi. Quin illud etiam concedere vltro possumus, pro statu integritatis rationem solam suffecturam fuisse ad idem Ius agnoscendum, sed (quod nempe dolendum est) haud amplius versamur in hoc statu, nec de illo potest esse quaestio. Igitur

§. 16.

Probatur secunda pars propositionis. Patet, ait Puffendorfius in praefatione ad librum de officio hominis, et civis, et recte ait, patet, necessarium esse, ut in disciplina Iuris naturae homo nunc consideretur, prout ipsius natura est corrupta, adeoque prout est animal multis pravis cupiditatibus scatens, quia nimirum, ut infra ex decalogo probat, talis homo multis habet opus praeceptis, quae necessaria pro statu integritatis non fuissent: (1) atqui si homo ita est considerandus, hoc ipso

(1) Neque enim Deum perspicue cognoscens necessarium fuisset prohibere, ne quod sibi faceret sculpsit; intime amanti, ne eundem blasphemaret; immortalibus, utne immortales occideret.

ipso in cognoscendo Iure naturae non potest abstrahi ab auctoritate maxime diuina. Quodsi enim illa corruptio naturae et per se intellectum debilitauit; et adhuc illum, per prauas, quibus homo scetet, cupiditates a dignoscendo vero vehementer impedit; fieri non potest, vt in illis maxime, quae sunt a primis principiis remotiora, non saepe allucinetur. Quomodo autem ratio tantopere corrupta se sola par esse poterit Iuri naturae cognoscendo, siue ad id internoscendum, quod ratio re ipsa recta praescribit? Itaque nullo modo abstrahere licet ab auctoritate tali, quali tanquam necessario criterio opus habet ratio corrupta ad suam ipsius veracitatem inuestigandam: talis vero prae omnibus aliis vtique est Diuina.

S. 17.

Confirmatur I. ab experientia. Nam et veteres Philosophi, quidquid tradebant de moribus, id laborabant confirmare auctoritate antecedentium sapientum (m) et ipsi Protestantes veterum philosophorum, quin Poetarum etiam sententias in suis libris de Iure naturae coaceruant (n), nulla, puto, alia causa inducti, quam ut ex hoc consensu ostendant, rectam abs se stare rationem: atqui quid est hoc aliud, quam publice fateri, propriam et priuatam cuiusque rationem ex communi hominum opinione non esse talem, in qua tuto quis confidere possit; sed ad dispiciendum, vtrum recta sit, criterio auctoritatis indigere? Illud vero indignum, Socratem, et Platonem optasse, vt a diuino quodam homine circa diuina, et vltimum suum finem melius instruerentur: Christianos vero, quales se profitentur Protestantes, talem diuinum hominem, Christum inquam, et eius Euangelium penitus a suo Iure naturae exclusum velle; ab illo Iure naturae, quod Gentilium effatis,

(m) Vid. Larua detr. C. 9. Th. 8. N. 9. et 10. Th. 9. n. 17.

(n) Vid. passim illorum Libri de I. N.

tis, et Poetarum, licet impurissimorum ex Epicuri hara porcorum, Ovidii inquam, et Horatii etc. Laciniis exornant. Magis autem huius veritatis certitudo patet a contrario; nam quemadmodum illi ex praeiudiciis Philosophis in magis enormes contra Ius naturae errores prolapsi sunt, qui se longius ab auctoritate veterum segregarunt: ita protestantici Iuris naturae scriptores auctoritatem ab hac disciplina eliminando, et proprium sensum, quo quisque apud se abundat, rationem aio solam sequendo, cuius perspicacia in variis tam varia, et apud multos tot praeiudiciis, tot sinistris affectibus obfusata est; illa quidem enixi sunt opinionum monstra, quae nobis per decursum horrorem incutient. Interim observasse sufficit, ex quo illa librorum Ius naturae ex solo rationis principio explicantium illuvies nostram inundavit Germaniam, cum maximo ipsius Lutheranismi damno Atheismum, Deismum, Sincretismum, Naturalismum, quaeque sunt alia non barbara magis, quam pestifera sectarum nomina, indies magis magisque inualescere, evidenti argumento, quid in Iure naturae rite cognoscendo sola ratio possit. Confirmatur II. Obligamur Iure naturae seruo, vel potius vehementissimo naturae impulsu Numini supremum, et debitum exhibere cultum: quoniam vero natura ita comparati sumus saltem in statu corrupto, ut et modum colendi ignoremus, et vel per excessum, vel per defectum facile peccemus, ad divinam quidem pertinet providentiam, eius rei certam, ac indefectibilem regulam praescribere, id, quod Deus fecit per revelationem in sacra Scriptura. Nostrum autem est inde condiscere, quid nobis faciendum, quid omittendum sit, ut adeo iterum ab auctoritate divina abstrahere nulla ratione valeamus.

§. 18.

Obiicies I. Ius naturae est homini congenitum: ergo etiam principia cognoscendi debent esse congenita:
P. Schwarzhuber Eth. P. I. B

genita: atqui ea, quae sunt ab auctoritate, non sunt congenita: ergo hoc ipso non sunt principia cognoscendi. *II*do. Ius naturae sicut omnes homines obligat, ita etiam potest, et debet seruire ad omnium inter se gentium controuersias definiendas: atqui ad hoc seruire non potest, nisi abstrahatur ab auctoritate: numquid enim, in praefatione sua ait Heineccius, *si gens quaedam cum turcis, aut Sinensibus, vel Iaponibus de violatis foederum legibus expostulet, his scilicet facile persuadetur, iusta esse omnia, quae, non dicam, Iuris consulti, aut Pontifices romani, vel Thomas Aquinas; sed ipsi Prophetae, et Apostoli scripserunt?* ergo. *III*tio. Vtilitas discendi Ius naturae in hoc consistit, vt sciant homines distinguere inter ea, ad quae obligati sunt Iure naturae, et inter ea, ad quae adstringuntur Iure positiuo; item cur Iure positiuo ad hoc, vel illud fiat obligati: atqui hic finis obtineri non potest, nisi abstrahatur ab auctoritate. *IV*to. Primi Legislatores ex sola ratione didicerunt Ius naturae, ergo potest hac via disci. et certe docens saltem auctoritas semper est posterior ratione; quia examinari potest, et debet, vtrum doctrina sit rationalis, et iusta. *V*to. Auctoritatem diuinam affectant etiam pessimi Iuris naturae doctores; ergo consultius restringuntur ad rationem solam.

Respond. ad Imun. Conc. Ant. dist. consequens: ergo etiam principia cognoscendi *per se* necessaria debent esse congenita; *concedo, per accidens, et propter aduentitiam naturae corruptionem necessaria; nego.* Haec obiectio probat contra ipsos Aduersarios, quod quilibet, quantumuis rudis, possit, et debeat ex sola ratione omnes Iuris naturae obligationes scire, quod non tantum est contra experientiam, sed contra ipsam Protestantium doctrinam, qui bene gnari, quanto sibi labore steterit, illud perdiscere, et conscribere, vulgus arcent, et rudes ad auctoritatem amandant, propterea, vt ait Puffendorfius L. II. Iuris natu-
rae

rae C. III. §. 13, quod ipsis rationes probabiles desint, quibus eiusdem (Iuris naturae) veritas labefactari, et conuelli possit, et quod praesentem illius utilitatem quotidie deprehendant. Quodsi ergo ad cognoscendam, atque etiam multo exactius seruandam legem naturae, quam de illo scribunt Nonatores, rudibus auctoritas sufficit: quidni acutioribus sufficiat auctoritas coniuncta cum ratione? *ratione* inquam, quae ipsa propter suam, cuius sibi conscia est, infirmitatem admonet, vti auctoritate, praecipue diuina, vtamur tamquam criterio veritatis in examinandis nostris naturalibus obligationibus? Seruus certe non excusatur, si, quod ipse non satis intelligat, percipiatque voluntatem Domini, hanc negligit; licet eam ad ipsa domini penetralia admissus in tabulis scriptam legere, aut a conseruis peritioribus explicatam nosse valeret. Nunc autem haec est moderna nostra conditio: Ius naturae quoad nos est seruum, et hinc inducit obligationem, omnibus opportunis remediis in non satis agnitam voluntatem Domini inuestigandi: auctoritas vero est remedium opportunum; neque enim sumus in statu naturae purae, sed eleuatae, vbi talia remedia nobis praesto sunt.

Ad Idum cont. Maior. neg. min. Quin per auctoritatem certi efficimur, illa, quae fouemus, Iuris naturae principia genuina esse, et rectae rationi conformia: igitur Ius naturae multo certius ad dictum finem seruit, si non abstrahatur ab auctoritate. Ad verba Heineccii respondeo: In tali casu non vtique auctoritatem, sed doctrinam ipsam Iuris naturae inde haustam, et pro certa agnitam allegandam fore; quantum autem ad istam certitudinem auctoritas conferat, ipse fatetur Heineccius in fine praefationis, dicens: *se consensum veterum, ac recentiorum, ipsarumque sacrarum literarum ostendisse, quod ea omnia conuincere possint, talia esse huius disciplinae praecepta, vt ea et veteres solo rationis ductu perspexerint, et ipsi sacr*

Scriptores diuino afflatu humano generi inculcarint.

Ad IIIitium transmissa maiore nego min.
 Quemadmodum multo certius Iuris naturae principia deteguntur, si ratio saltem per criterium auctoritatis examinetur: ita etiam Ius naturae multo securius distingui a positiuo potest, atque ratio naturalis, cui positiuia lex innititur, inuestigari, si ad lydium auctoritatis lapidem rationis veritas expendatur. Porro autem maior non concessa, sed transmissa fuit; principium namque illud in sensu, vel saltem in vsu Protestantium admodum periculosum est; dum enim solam semper rationem inelamant, omnemque remouent auctoritatem, non pauci ab ipsis etiam officiis erga Deum, et Religionem, ab animae immortalitate etc. abstrahunt, et in statuendis regulis Iuris naturae, quas nihilominus pro viuendi norma iactant, ad solam hominis naturam, ad vitam praesentem, ad bonum societatum reflectunt, Principes etiam, qua Principes sine ordine ad Religionem confiderant: et illorum Iura in ecclesiam ex natura, et Iuribus collegiorum, et societatum in genere metiuntur. Id, quod non tantum est contra prima Iuris naturae principia, et officia, quae utique sunt erga Deum, et religionem, ac Principes magis adhuc, quam priuatos ligant: verum etiam ad illam Pseudopoliticorum, et Semichristianorum impietatem apertissimam sternit viam, Religionem subruit, naturalium, et positinarum legum vim labefactat, et Libertinismo, vti vocant, fores pandit apertissimas. Quodsi enim cuilibet sola priuata ratione duce, quid sit de Iure naturae, quid de Iure positiuo; curue lex positiuia ad hoc, vel illud obliget, definire liceat; quid, amabo, fiet, si illis, qui sibi acutiores videntur, a contrario eius, quod supra ex Puffendorffio audiuius, rationes probabiles non desint, quibus se alicuius legis veritatem labefactare, aut conuellere posse existiment, aut praesentem ipsius utilitatem non deprehendant?

numquid eam insuper habebunt, et saltem intra animum negligent, ac contemnent? quoties autem apud homines ad malum ita pronos id euenire possit, per se quisque facili negotio agnoscit.

Ad IVtum nego Ant. Adamus absque controuersia fuit *theodidactus*, seu singulariter a Deo illuminatus: Ab hoc ergo notitiam Iuris naturae etiam posterius per continuam traditionem accepere. Vide dicta Sectione 1. §. 2. etc. si autem sit sermo de illis primis graecorum legislatoribus, quis nescit, Lycurgum, et Solonem ad Aegyptios profectos esse; Romanos autem ad graecos legationem misisse, ut inde Legum ferendarum sapientiam haurientes illorum auctoritate suimet sensus arbitria stabilirent? quid autem est rationem criterio auctoritatis examinare, si hoc non est? Ad id, quod additur, respondeo, *docentem* utique non debere ita suae confidere auctoritati, ut, quae docet, non ante ad limam rationis, aliorum etiam auctoritate probatam exigat: *docendum* autem, seu *discentem oportet credere*, ait Aristoteles, secus postea non sciet. Namque examinare acceptam doctrinam non est docendi, sed docti; et debet iterum cum eo fieri criterio auctoritatis, quod nos requirimus.

Ad Vtum Retorqueo argumentum: solam rationem affectarunt hactenus illi Iuris naturae doctores, qui hanc disciplinam insanis opinionum monstris repleuerunt: ergo consultius rationis libertas restringitur ad auctoritatem. Nimirum haud ideo, quia lupi veniunt in vestimentis ouium, pellem suam oves exuere debent, ait sanctus Augustinus. Itaque ex proposito argumento sequitur tantum illud, solam auctoritatem nondum satis probatam non sufficere, sed et ipsam, vtrum talis sit, debere examinari, adeoque etiam sanam rationem requiri.

§. 19.

Coroll. Post auctoritatem diuinam, qualis est Scripturae, Traditionis, Ecclesiae, etiam auctoritatem humanam in primis publicam, nimirum legum tum ecclesiasticarum, tum ciuiliū; deinde priuatam doctorum, et proborum hominum multum valere in cognoscendo Iure naturae, ex illis ipsis, quae hactenus asseruimus, patet argumentis; neque enim negari potest, consensum horum omnium legitimum esse criterium stantis pro sententia aliqua ad Ius naturae pertinente sane rationis, et veritatis (o).



SECTIO III.

DE PRINCIPIO IURIS NATURAE.

§. 20.

Quid huic quaestioni inter ipsa Prolegomena occupandae ansam dederit, dictum est §. 13. heic autem aduertere oportet, non esse sermonem de *Principio obligationis*, quod in *voluntatis diuinae decreto* situm esse Protestantes fere consentiunt cum Catholicis, quum nimirum supremus naturae auctor, et rerum omnium finis, Deus optimus maximus, quemadmodum creata omnia ad proprios ordinauit fines, non potuerit non rationalem quoque hominem ad se tamquam finem vltimum ordinare, et certas ei leges ponere per communicatum rationis lumen promulgatas, ad quarum normam si se componeret, vltimo potiretur hoc fine; sin, eodem excideret: atqui hae leges

(o) Si quis maximam Iurisprudentiae Romanae partem Ius naturae factis hominum applicatum dixerit; is me non admodum habiturus est dissentientem. Heinecc. in Praef. I. N.

leges sunt ipsum Ius naturae. §. 7. *Controuersia igitur deuoluitur ad principium cognitionis et quidem practicum; etenim, quum promulgatio legis naturalis homini saltem principaliter fiat per rectam rationem; haec autem fit facultas veritates alias ex aliis per necessariam conclusionem deducendi, facile patet, ait Heineccius L. I. C. III. §. 68 dari aliquam veritatem, vel propositionem, ex qua per necessariam concludendi rationem, quid voluntati Dei consentaneum, adeoque iustum fit; elici possit, adeoque esse oportere commune aliquod, ac generale Iuris naturae cognoscendi principium.*

§. 21.

Ex his sequitur, eiusmodi principium debere esse *primum, unum, et adaequatum*, quia nimirum ex illo tamquam ex radice omnes leges naturales deriuari debent. Praeterea *verum, intrinsecum, ac euidens* fit, oportet: *Verum*, quia *falsum*, ac *fictum* similes etiam post se traheret conclusiones. *Intrinsecum*; nam quum sit Principium Iuris naturalis non positiui: debet etiam in interno naturae rationalis dictamine, non in externo alicuius legislatoris placito fundari. *Euidens* denique; homines quippe, quos Ius naturae omnes obligat, vtique deficerent in deducendis consecutionibus, quas, remotiores saltem summae arduas esse etiam Doctissimi experiuntur, si vel primum quoque illarum principium obscuritate laboraret.

§. 22.

Porro autem, quum propter tale abs se positum principium Protestantes velint restauratores Iuris naturae haberi; tamen vix est aliqua res, in qua magis collidantur, quam haec ipsa. Longum nimis foret omnes illorum opiniones recensere: itaque praecipuas tantum adducere, simulque breuiter refutare libet. *Imo*. Hugo Grotius duplex statuit: alterum, quod apud ipsum ordine secundum est, primum a nobis compendii causa

ponitur, ex Aristotele, Cicerone, et aliis defumtum: *fac ea, in quae omnes gentes bene moratae consentiunt.* Sed enim numquid olim moratiores etiam Gentes fere omnes in idololatria, et aliis manifestis sceleribus confenserunt? Fateamur vero hanc regulam ad ea, quae Iure naturae sancita sunt, facilius dignoscenda admodum esse utilem; eritne propterea cuius tam pronum ea scire, in quae gentes fere omnes confenserunt? Igitur istud principium nec semper verum, nec satis evidens, neque adeo adaequatum est. In altero principio consentit Grotius cum Puffendorffio, qui quidem *Illo* totus in eo est, ut *socialitatem* pro Fundamento Iuris naturae ponat. At vero numquid Ius naturae debet hominem dirigere etiam in officiis erga Deum, et se ipsum? Si quis iam in occulto horrenda quaelibet flagitia contra vtramque decalogi tabulam committat, quin rempublicam propterea turbet, aut vitae socios in effectu offendat, si solo tenus animo pravis se cupiditatibus, et illecebris penitus immergat etc. haud ille quidem in leges socialitatis, et tamen in Praecepta naturae grauissime impinget. Praeterea vnde demonstratur, statum solitarium, in Lege veteri Eliae, in noua ipsius Dei hominis, et diui Praecursoris exemplo probatum consecratumque, Iure naturae prohiberi? Verum de hoc alias. Denique numquid officia erga Deum, et semet ipsum pleraque locum essent habitura, si quis forte homo e naufragio enatans ad locum aliquem desertum deferretur, ita, ut illi longo etiam tempore extra omnem mortalium societatem esset viuendum? ergo hoc etiam principium nec adaequatum, nec verum est, quin haud immerito in suspicionem impietatis vocatur, quum solam respiciens externam reipublicae tranquillitatem eo suos deducat sectatores, ut ad rationem status ipsum etiam Ius diuinum praepostero ordine detorquere non iam obscuris conatibus moliantur. *Illio* Wolfius sequens statuit principium: *Fac ea, quae te, statumque tuum perfectiorem reddunt;*

ant: quotusquisque est autem, qui, quae ad hanc perfectionem requirantur, et conducant, per se exacte nouerit? Igitur hoc principium parum est euidens, sed nec primum; namque saltem notio boni prior est notione perfectionis. Quam vero male illustris auctor Deum a fine Iuris naturae, atque adeo a summo hominis bono excludat, suo loco patebit. *IV*to Valentino Alberti placuit pro norma Iuris naturae amplecti *statum naturae integrae*; inde principium posuit, *id esse faciendum, quod cum hoc statu conuenit, omittendum, quod illi repugnat*. Satis bene. Quis vero nobis erit Oedipus, quaenam sint obligationes status, etiam christianis haud satis cogniti? aut quomodo ex hoc principio Iura ciuitatis, belli, multorumque contractuum etc. deducuntur, quibus quidem rebus omnibus in illo statu vix locus aliquis futurus fuisset? Neque ergo euidens, neque adaequatum dici potest istud principium. Denique *V*to nihil est opus infaniam Hobesii refutare docentis, *Ius omnium esse in omnes, siue vt eius sequaces clarius se explicant: pacem colendam, et vbi ea haberi non potest, belli auxilia circumspectanda esse*. Nihil heic de officiis erga Deum, nihil de officiis hominum erga se ipsos: officia autem erga Proximum penitus euertuntur. Numquid enim praepotentibus, atque litigiosis hominibus arma sic contra omnes subministrantur? numquid valentiores viribus illius instar in fabula Lupi turbatam sibi ab agno aquam, quoties libitum erit, querentur? Tales nimirum consecutiones prono fluunt alueo, quoties ita dictus *Egoismus*, seu amor proprius pro fundamento Iuris naturae ponitur, qui, si semel pro principio adoptatur, necessario se amoris proprio aliorum, adeoque Iuri omnium reliquorum opponit. Quodsi insuper finis illius praecipuus conseruatio sui, seu, vt aiunt, *vita quam maxime diuturna, commoda, iucunda, ac felix statuatur*, epicurea quidem eiusmodi sagina diuinis aduersa doctrinis, et spiritui non grauior, quam corporis saluti nocentior bobus potius, quam homi-

hominibus ratione praeditis congruet. Vnde superuacaneum est, tempus talia principia longius enarrando conterere.

§. 23.

Verum nec inter catholicos quidem fatis de hoc principio conuenit. Imo. Non nulli *perfectiones diuinas* velut in genere; alii (quod fere in idem recidit) *summam Dei bonitatem* in specie, ceu vltimum finem, propter quem et Numen omnia velit, et ad quem etiam hominem ordinauerit, tanquam normam praescribunt, ita, vt quae cum illis perfectionibus, aut hac bonitate intrinsece connectuntur, tum quidem, quando et vbi ad eundem finem obtinendum, retinendumue necessaria sunt, Iure naturae praecepta; contra, si his repugnent, prohibita sint aestimanda. At tamen licet hoc principium forte sit primum in ratione *speculatiua*, et respectu *Dei ordinantis*: non est tale in ratione *practica*, et respectu *hominis cognoscentis*. Certe quid cum Dei bonitate, ac perfectionibus intrinsece connectatur, aut pugnet, in rebus, quamuis saepe occurrentibus, paucis pronum est definire: itaque utrumque hoc principium minime euidens est mortalibus obscuram nimis diuinarum perfectionum ideam semper habituris: sed nec ita adaequatum videtur, vt inde possint omnia, etiam quotidian a officia Iuris naturae v. g. gratus erga benefactores animus, reuerentia erga Superiores, modestiae, et sobrietatis leges nisi per longissimas, difficillimasque ambages, deduci, vtpote, quae omnia in Dei perfectiones minime cadunt. *Ido.* Magnificus P. Franciscus Schmier cum multis aliis duplicem statuit regulam: In primis *ea esse faciendâ, aut omittendâ, quae ad felicem statum naturae humanae expediat esse praecepta, vel prohibita.* Porro huius generis illa habenda esse, in quorum praeceptionem, vel prohibitionem omnes homines consensissent, si ante omnem casum particularem ab auctore naturae interrogati

rogati suffragium tulissent. Verum autem hoc principium oppido obscurum est; quis enim tam exacte sciuerit, quae ad felicitatem humanam praecipua, prohibitaue esse expediat? Neque maior claritas ex altera accedit regula. Quippe da mihi hominem ita diuinum, vt, quid mortales eo in statu facturi fuissent, satis probabili coniectura assequatur? *III*tio Clariss. P. Donatus cum non exiguo idem sentientium numero principium cognitionis ad mentem S. Thomae collocat in illa scripturae et doctrinae christianae generali lege: *declina a malo, et fac bonum.* Sed haec etiam regula sufficere haud videtur; Certe quum toties boni, et mali specie omni etiam adhibita industria fallamur; merito quaeri potest, quid ergo sit pro malo, quid pro bono habendum? ergo hoc principium non est euidens, neque primum, sed vltiore quodam indiget principio, ac criterio, quid vere bonum, quid malum sit, declarante; atque illud denique genuinum erit Iuris naturae principium. Igitur sit nostra

§. 24.

Propositio.

Principium Iuris naturae est: fac, vel omitta ea, quae ex amore Deo, tibi, et proximo naturaliter debito, hoc est, ad felicitatem naturae rationali propriam necessario faciendae, vel omittendae sunt. Ita plurimi ex Catholicis, et Protestantibus.

*Probat*ur propositio ex ratione; quia nimirum hoc principium omnes habet illas proprietates, quas supra §. 21. requisuimus. Namque est *primum*, quia omnium primo inest homini inclinatio ad propriam felicitatem, cuius ex impulsu omnia agit; et ipse etiam

etiam Deus, cuius voluntas norma est humanarum actionum, post propriam suam gloriam hanc nostram felicitatem, qua auctor naturae intendit: totum denique Ius naturae ad eandem conseruandam comparatum est: ergo principium, quo docemur, quid sit vera felicitas, est primum principium practicum cognoscendi Iuris naturae: atqui felicitas hominis, ex dicendis suo loco, consistit in amore Dei, a quo pendet amor sui ipsius, et Proximi, et hic etiam solus amor docet nos veram beatitatem, quin perducit ad fruendum illud verum ac summum bonum, quod naturaliter possumus habere: ergo principium nostrum primum est; sed est etiam principium non nisi *unum*; neque enim diuerso amore Deum, nos, et Proximum diligimus, nisi quoad modum: quippe et nostri, et Proximi amorem ad Deum tamquam finem vltimum referre tenemur, vt adeo, vterque hic amor amor Dei subordinatus sit. Deinde hoc ipsum principium est *adaequatum*, neque enim est aliqua lex naturae, quae non ad illud referri possit, et quum dictus amor sit causa formalis, et immediata finis, seu felicitatis, per superius dicta; necessario est etiam causa mediorum, seu legum naturalium: ergo omnes leges naturales ab eo deducuntur. Praeterea *verum* esse hoc principium, sole est clarius, quis enim negauerit, ea esse facienda, vel omittenda, quae hic amor praecipit, aut vetat? Item illud esse *intrinsecum* patet ex dictis, quia nempe nostra felicitas in amore consistit: omnium autem primo inest homini inclinatio ad propriam felicitatem. Denique ita *evidens* est, vt vel a rudi plebe capi possit, quid enim amor saltem secundum prima exigat principia, nemo est, qui nesciat: At vero valde remotas deducere conclusiones quocunq̄te in principio longe est difficillimum, et ideo criterium auctoritatis necessarium esse diximus Sectione praecedente. Habet ergo nostrum principium omnes necessarias proprietates; consequenter est legitimum.

§. 25.

Confirmatur ex oraculo Christi, qui Matthaei 22. ait. Diliges Dominam Deum tuum ex toto corde tuo, et in tota anima tua; et in tota mente tua, hoc est maximum, et primum mandatum, secundum autem est simile huic: Diliges proximum tuum, sicut te ipsum: in his duobus mandatis NB. uniuersa lex pendet. Apostolus etiam post varia recensita non mere diuini, sed naturalis Iuris praecepta concludit: plenitudo ergo legis est dilectio, ad Romanos 13. v. 10. quam etiam finem praecepti vocat 1. ad Timoth. 1. v. 5.

§. 26.

Obiicies I. Auctoritatem sancti Thomae, qui Ima II dae Quaest. 94. Articuli 2. in corpore docet: primum inter omnia praecepta naturae, et a quo omnia reliqua descendunt, esse illud: Declina a malo, et fac bonum, quia nimirum, ut ibi ait, sicut ens est primum, quod cadit in apprehensione simpliciter: ita bonum est primum, quod cadit in apprehensione practicae rationis, quae ordinatur ad opus. Ido. Vel per amorem illum intelligitur, quidquid ad felicitatem naturae, seu finem vltimum perducit, adeoque moraliter bonum, si fiat; malum autem est, si omittatur? et sic positum principium nihil est, nisi inutilis paraphrasis illius principii: declina a malo etc. vel intelligitur dilectio naturalis lege aeterna Dei creaturae rationali praecepta? et sic non est primum, quia dilectio illa, ideo praecepta est, quod sit bona, et ad finem vltimum perducatur: vel intelligitur amor debitus titulo Iustitiae? et sic non est adaequatum, quia ad Ius naturae etiam illa pertinent officia, quae sunt ex aliarum virtutum motiuo praestanda. IIIto Amor ille per se est praeceptus: ergo non potest esse principium praeceptorum naturalium. IVto Amor ille est medium ad finem, seu

feu felicitatem: ergo non est ipse finis, consequenter nec principium cognoscendi Iuris naturae. *Vto* Amor, maxime ille sui ipsius, et Proximi saepe degenerat in amorem spurium: ergo indiget criterio, quod ipsum erit principium illo amore prius.

Respond. ad Imum. Nos quidem sancti Doctoris auctoritatem summo opere venerari; propter allata tamen §. 23. argumenta ab eius opinione discedere. Ad rationem, cui innititur sanctus Thomas conc. totum, et nego suppositum, hanc primam boni apprehensionem sufficere pro principio Iuris naturae; ista enim apprehensio nihil est aliud, quam naturalis inclinatio in bonum, consequenter ipsa voluntatis essentia, quae ex sua natura est potentia boni appetens: atqui haec non potest esse principium cognitionis, et norma omnium praeceptorum Iuris naturae, secus, quod soli Deo conuenit, homo suamet sibi esset norma. Itaque progrediendum est ulterius, et inquirendum, quodnam sit illud bonum, quod nos vere felices, ac naturaliter beatos reddit, et quum recta ratio facile detegat, illud situm esse in fruitione summi boni, id est, in amore Dei, a quo etiam ordinatus amor sui ipsius, et Proximi pendet; tum denique reperiet illud primum principium morale legis naturae, quod habet omnes requisitas proprietates, et in quo inuestigando non est nimis speculationibus indulgendum, maxime si longior progressus in subtilitatibus veritatem semel inventam nouis involuere tenebris videatur. Itaque aliud est longe de primo principio demonstratiuo rationis speculatiuae, a quo S. Doctor argumentatur; hoc enim eo ipso, quia non est practicum, non debet habere euidensiam tam late patentem, vt aequae facilliter omnes inde veritates possint deduci.

Ad Illud dico: nos sub amore intelligere illam dilectionem, quae est lege Dei aeterna, et naturalis

naturali praecepta, propterea, quia est ipsa hominis naturalis felicitas posita in possessione summi boni per amorem, et hinc propter se tanquam finis intenta ab auctore naturae. Quare negatur, hoc principium non esse primum. Hoc ipso primum est, quia dictus amor est regula, et criterium bonitatis: ea namque sola sunt vera bona, quae sunt huic amori conformia. Porro autem deducit ad felicitatem a se indistinctam; hinc iste amor non est posterior fine. Quod autem omnia officia virtutum sub se contineat, patet ex dictis Sectione I. §. 8. ad Imum.

Ad IIIum retorqueo argumentum: declinare a malo, et facere bonum, est praeceptum; ergo non est principium. Igitur distinguendum est: Amor est praeceptum a fine indistinctum *conc.* distinctum *nego.* Consequenter nihil obstat, quo minus possit esse principium.

Ad IVtum distingo: Est medium tantum particulare *nego*: vniuersale, et propter immediatam convenientiam fundamentale *concedo.* Hinc patet autem, quod hic amor praeceptus sit vt principium, ex quo ceterae leges in amore fundatae sunt deriuandae. Neque dicas, hanc igitur convenientiam esse principium amore prius, non enim est principium leges cognoscendi; sed ratio principii, quod ad cognitionem seruiat, statuendi; secus etiam quaeri posset, vnde conuenientia desumatur, et sic fieret processus superfluous.

Ad Vtum distingo: Degenerat propter defectum euitabilem in applicatione principii ad casus indiuiduos commissum *conc.* propter ineuitabilem; iterum *distinguo*; in conclusionibus valde remotis *conc.* secus *nego.* Ex defectu facile euitabili nulla potest inferri necessitas principii anterioris: Defectus autem in conclusionibus valde remotis semper est ineuitabilis, quodcunque assumatur principium, quia nostra quidem ratio nunquam non

non erit admodum limitata. Igitur in principio aliquo apto adquiescendum, aut sine limite progrediendum est.

§. 27.

Coroll. I. Illud omne, et solum est Iure naturae seu *grauiter*, seu *leuiter praeceptum*, et *prohibitum*, quod amor Deo, sibi, et proximo naturaliter debitus, siue ad felicitatem naturae rationali propriam necessarius pro diuersitate rerum seu *stricte*, seu *minus stricte* exigit, et vetat: Quidquid autem hic amor nec *positiue praecepit*, et quidquid ei *simpliciter non repugnat*, id heic, et nunc in his nimirum ipsis adiunctis, *concessum*, vel *permissum* est.

§. 28.

Coroll. II. Quam vere Catholicis a Protestantibus obiiciatur, quod Ius naturae non ab vno primo principio deducant, vt de aliis taceam, S. Thomas manifestum facit. Sed nempe aliud est Ius naturae vni certo, aut saltem satis probabili principio inaedificare, quod etiam Catholici fecerunt: aliud, principium quaecumque in singulis iactare paginis, et credere, tum demum multos esse egregios Iuris naturae doctores, si quilibet audacter scribat, et nouum aliquod, quantumvis ineptum principium ex proprii ingenii fontibus comminiscatur, quam laudem multis Protestantium et libenter tribuimus, et nequam inuidemus. Nunc autem his praemissis ipsam adgredimur Ethicam.



ETHICAE
PARS PRIOR, SIUE GENERALIS.

CAPUT I.
EUDOMONOLOGIA SEU DE FELICITATE
HOMINUM NATURALI.

SECTIO I.
DOGMATICA.

§. 1.

Finis est, cuius gratia aliquid fit.

§. 2.

Quum autem saepe eueniat, vt qui aliquid propter certum finem agit, id ipsum ad alium finem referat (exempli causa, *si quis studet, vt doctus fiat, et per eruditionis laudem sibi ad honores viam munit*): Sequitur, alium finem esse velut *intermedium*, qui proximus etiam, ac rei intrinsecus dicitur: alium autem esse *ultimum*, qui nempe ad finem vltiorem non refertur, et respectu finis proximi, ac intrinseci, remotus, et extrinsecus vocari solet.

§. 3.

Quidquid est, propter finem est. Quippe apage sis furorem Epicuri, et Atheistarum, cuncta temere enata esse contendendum, ita quidem vt non res propter vsum factas, sed vsum ex rebus prodiisse e. c. oculos non ad videndum formatos; sed iis semel existentibus videndi vsum introductum esse somnient. Praeterquam quod ista insania recto tramite ad negandam Dei existentiam ducat.

quam inuincibiliter, id est sine culpa ignorari non posse, ex Theologia naturali, demonstratum supponimus; pronius erit homini sana ratione pollenti horologia aurea ex faecibus temere proiectis subnascitura sperare, quam credere futuram, ut vilissimus quisque vermiculus, minimusue terrae flosculus fortuito oritur. Oculis haec solis opus est, ut ex mirabili singularum rerum structura videamus illas a prouidentissimo et omnipotente Deo ad certum finem creatas, et destinatas secundum statutas sibi leges suasmet vires exserere.

§. 4.

Homo igitur est propter finem. §. praec. quin etiam operatur propter finem. Quoties enim deliberate agimus; intimo sane sensu aduertimus, nos ad varia agenda, vel omittenda allici, excitari, et veluti trahi, non alia quidem causa, quam quod haec agere vel omittere nobis bonum existimemus: atqui hoc est alicuius rei gratia, id est propter finem operari. §. 1. Hinc ulterius sequitur

§. 5.

Finem et Bonum esse idem; Nemo enim intendens malum operatur, sed bonum. §. praec. Interim tamen bonum istud non semper verum; sed haud raro tantum apparens est, utrumque enim allicere, et trahere posse ipsa experientia conuincimur.

§. 6.

Quum ergo, quisquis operatur, bonum appetat. §. 4. Bonum quidem in genere recte dicitur, id, quod omnia appetunt. Arist. Eth. 1. C. 1. sed hoc ipso, quod homines saepe boni apparentis specie delusi illud appetant, quod re ipsa non est bonum, sequitur, hanc definitionem non satis exactam esse ad determinandam notionem veri boni. Itaque

§. 7.

§. 7.

Bonum verum respectu cuiusvis rei est id omne, et solum, quod perfectionem eiusdem naturae convenientem promouet; quod autem hanc perfectionem re ipsa non promouet, sed tantum videtur promouere, id non est bonum verum, sed tantum *apparens*.

§. 8.

Hinc sequitur I. Possit aliquid vni rei esse bonum, quod non fit alteri. Quia e. c. *volare* perficit naturam auis; non hominis: et pari modo *loqui* perficit hominem, non equum.

§. 9.

Sequitur II. *Malum* esse respectu cuiusvis rei id omne et solum, quod defectum alicuius perfectionis eiusdem naturae convenientis importat.

§. 10.

Bonum itaque verum hominis est, quod perfectionem illius naturae convenientem promouet; §. 7. Hoc autem in genere spectatum commode in certas species diuiditur, nimirum I. in bona *exteriora*, et *interiora*. Exteriora merito vocantur, quae sunt *extra hominem*, puta diuitiae, honores, potentia etc. vulgo *bona fortunae* dicta. Interiora nuncupari merentur, quae sunt *intra hominem*, nimirum tum bona *corporis*, tum *animi*. Ad priorem classem pertinent et voluptates, quibus sensus titillantur, et ea multo magis, quae ad hominis conseruationem conducunt, vt sanitas, robur virium etc. Ad posteriorem classem spectant, sapientia, scientia, virtutes etc. Certum porro est harum rerum omnium moderato et prudente vsu naturalem hominis perfectionem promoveri. Quoniam vero idem per haec magis et minus perfici potest; et simul ea est natura, quae fit certis circumscripta limitibus: quaeque

adeo debet ita tandem perfici posse, nihil ut amplius sit addendum; sequitur plane

§. II.

Bonum hominis II. aliud esse *summum*, quod nimirum eidem ultimam ac supremam affert perfectionem, ultra quam ad eius naturam nihil proficit amplius desiderari: aliud *non summum*, quod illum ulterius perficiendum relinquit. At enim hoc ipso bonum non summum respectu summi non est nisi bonum *medii*; bonum autem summum est bonum *finis*, quippe quum hoc ad aliud ultra haud referatur §. 2. propter se est expetendum; quum e conuerso reliqua tantum sint propter hoc ipsum appetenda, hoc ipso, quod ad illud referantur.

§. 12.

Itaque *ultimus finis, et summum hominis bonum sunt idem*. Namque ultimus finis est, qui ad alium non potest ultra referri: §. 2. quod autem ad alium finem non potest referri, debet homini summam afferre perfectionem; et quod summam affert perfectionem, summum est hominis bonum.

§. 13.

Proprietates summi boni in ordine ad hominem sunt, esse I. optimum, II. perfectissimum, III. pulcherrimum, IV. sufficientissimum, V. iucundissimum. Namque nisi sit optimum; habes quo ulterius tendas; hinc non erit finis ultimus §. 12. si non sit perfectissimum, erit, unde magis perficiaris; hinc non potest illud esse bonum summum: §. 11. si autem respectu tui sit optimum, et perfectissimum, hoc ipso etiam est pulcherrimum, et sufficientissimum; et si est tale, non potest non esse iucundissimum.

§. 14.

Hoc bonum qui habet, et stabiliter habet, est *felix atque beatus*; non enim est, quod ultra desiderare

siderare possit. Dixi, qui *stabiliter* habet: siquidem metus amittendi facit, vt saltem constantem summi boni possessionem possimus tanquam melius, perfectius, pulchrius, sufficientius, et iucundius bonum expetere, quam sit illius adeptio cum formidine amittendi coniuncta.

§. 15.

Igitur *Felicitas est status omnium honorum aggregatione perfectus*, et consequenter *finis ultimus, summum bonum, et felicitas hominis sunt unum et idem*. Enimvero qui habet finem ultimum, habet summum bonum; qui habet pro suo *statu*, quod ipsum *stabilitatem* dicit, summum bonum, est perfectus; qui est perfectus, nihil habet, quod expetat; qui nihil habet, quod expetat, habet omnia bona; qui habet omnia bona, est felix atque beatus. §§. 12. 13. 14.

§. 16.

Ex his sequitur I. *Felicitatem hominis non esse sitam in bonis exterioribus*. Namque in primis sunt *extra* hominem §. 10. ergo non possunt eius naturalem perfectionem, quae vtiq̄ue *intrinseca* esse debet, summo modo complere. Deinde illum in multis adhuc, et nobilioribus perficiendum relinquunt; puta in bonis internis, praecipue animi. Praeterea diuitiae, honores, potentia etc. possunt, solent, et debent ad alium finem referri; et propterea etiam *bona utilia* vocari consueverunt. Denique subiacent aliorum inuidiae, rapacitati, variis casibus etc. adeoque cum perpetua amittendi formidine copulantur.

§. 17.

Sequitur II. *Felicitatem hominis non esse sitam in bonis corporis*. Etenim voluptates saepe sunt turpes; saepius multis scatent molestiis; semper autem fluxae e captantium manibus elabuntur. Sanitas vero, et robur virium etc. quum

quotidie atterantur, perpetuoque sint amissionis periculo exposita; quid sunt, nisi bona admodum mediocria? Paucis, bona corporis non sunt homini peculiaria, sed communia cum brutis; ergo hoc ipso non summa, quia animum, nobiliorem nostri partem in plurimis adhuc reficiendum relinquunt.

§. 18.

Sequitur III. *Felicitatem neque esse sitam in sapientia, scientia, prudentia etc.* Quae res nimirum, licet sint multo nobiliora animi bona, adeoque nobis aditum aperiant ad vitam beatam; hoc ipso tamen quia ad aliud quidquam ordinantur, non sunt, nisi felicitatis instrumenta, et quidem talia, quae nunquam tam perfecta acquiruntur, ut non magis perfici possint, quod ipsum obstat, quo minus summi boni et felicitatis nostrae rationem habere merito censeantur.

§. 19.

Sequitur IV. *Eandem felicitatem non esse sitam in virtute.* Namque et ista medium est, quo ad altius aliquod bonum, ipsam nimirum felicitatem eluctari conamur; neque aliquando tam perfecta acquiritur, ut non maiora suscipiat incrementa. Illa vero Stoicorum virtus, quae in tauro Phalaridis sese beatam sentiat, immaniaque inter tormenta exultet, uti bene aduertit Cicero, in homine solis saltem naturae viribus nixo, fabula est risu, quam fide dignior.

§. 20.

Sequitur V. Neque Aristotelem bene docuisse asserendo: *felicitatem hominis esse, ut vivat secundum naturam, unde quaque perfectam, et nihil requirentem.* Quippe quoniam est tandem haec natura unde quaque perfecta? unde tanta eius opulentia, quae nihil requirat? Silet heic Philosophus: facit ergo petitionem principii, neque nos reddit

reddit doctiores, quam si dixisset, felicitatem finitam esse in eo, ut quis sit felix.

§. 21.

Quum igitur felicitas hominis nec in bonis externis, §. 16. nec in internis corporis, §. 17. neque in hactenus recensitis bonis animi, §§. 18. 19. et ne in aristotelica quidem illa perfectione consistat §. 20. Mens autem humana quantumcunque perfecta, teste intimo quodam sensu, semper aliquid se maius concupiscat, per quod ultimo perficiatur; atque istud maius aliquid increatum esse non obscure animadvertat, hoc ipso, quod in nulla re creata, finitaque quidquam, quo penitus exsatiatur, possit reperire: relinquatur (id quod ex Gentilibus ante Platonem nemo agnovisse traditur) beatitatem, siue summum bonum, et ultimum finem (§. 15.) hominis esse ipsum, et solum Deum.

§. 22.

Hic igitur Deus est beatitas hominis, ut aiunt, obiectiva. Est enim ultimus finis, qui non potest ulterius referri; et est summum bonum illius, secundum omnes proprietates §. 13. recensitas: consequenter Dei secunda possessio est status omnium bonorum aggregatione perfectus. §§. 14. 15.

§. 23.

Deum, quum purus sit spiritus (vti ex theologia naturali supponitur) possidere non nisi spiritu possumus; corporis enim ad illum nulla est proportio. Spiritus autem nostri, seu animi praeicipuae facultates sunt Intellectus, et Voluntas, quorum ille pro suo obiecto exsatiante Verum; ista Bonum habet. Igitur,

§. 24.

Beatitas, formalis in scholis dicta, consistit in perfecta cognitione, et perfecto amore Dei. Per

illam intellectus possidet summum verum; Per hunc voluntas summum bonum.

§. 25.

Ergo felicitas naturalis pro hac praesente vita datur suo quidem modo vera; quia potest homo proprium beatitudinis obiectum habere, et aliquid saltem de illius forma: *Attamen haec ipsa nunquam potest esse perfecta.* Vt enim nihil dicam de secura, qua caremus, Dei possessione; experimur sane, quod multum omnino, quamdiu degimus, nobis desit de perfecta eius cognitione, et amore; cuius quidem vtriusque rei impedimenta a corpore potissimum, quod natura sua corruptibile est, provenire, facile animaduertimus. Ceterum hoc ipso, quod omnes naturaliter, nulla etiam adiuti reuelatione, semper appetitum ad maiorem beatitudinem sentiamus, quam qualis in hac vita obtineri potest; quumque qui nihil gratis facit, naturae Auctor, hunc mentibus hominum frustra indidisse neutiquam credendus fit; Animae porro immortalitas ex Pneumatologia certa supponatur, sequitur

§. 26.

Perfectam nobis beatitudinem in alia vita, et has quidem aeterna esse reseruatam, vbi Deum pro modo naturalis capacitatis perfecte cognituri, et amaturi sumus, modo si nimirum ad hunc vltimum finem serio tendamus.

§. 27.

Et haec etiam spes adipiscendae perfectae felicitatis, si bene fundata sit in serio ad vltimum finem annisu, non potest non illam, licet imperfectam huius vitae beatitudinem multum perficere; neque enim fas est dubitare, quin Deus ex sua natura optimus nobis in ea assequenda sit adfuturus.

§. 28.

Interim tamen Beatitas illa perfecta, in quantum est mere naturalis, nullo modo spectat ad corpus

pus, sed ad solam animam. ex § §. 23. 24. Praeterea corpus morituram, et corrumpendum esse experimur omnes: Ex corruptione autem resurrecturum, non possumus naturae lumine, sed ex sola reuelatione scire.

§. 29.

Haec ipsa vero Reuelatio vtique nobis beatitatem omni ex parte longe perfectiorem ostendit. Illa siquidem *in praesenti vita* intellectum lumine fidei ad cognoscendum Deum multo clariore illustrat, et voluntatem ad eundem amandum auxilio adiuuat haud paulo efficaciore: Pro *vita autem futura* talem Numinis fruendi possessionem promittit, qualis rationis nostrae limites nunc quidem penitus transcendit, quaeque intellectum cum voluntate intime Deo coniungens, vtrumque ineffabili modo beatum est redditura, quae denique in ipsum etiam resuscitatum corpus summa cum voluptate in omnem aeternitatem redundabit.

§. 30.

Ex hactenus dictis euidenter sequitur, hoc ipso, quia Dei possessio summum est hominis bonum, et suprema beatitas; etiam *Priuationem possessionis Dei*, siue per eius *ignorantiam*, siue, et multo quidem magis, per *auersionem* ab ipso, summum esse hominis malum in hac, et *extremam aeternamque miseriam* pro futura vita.



SECTIO. II.
PRACTICA.

SIUE PRINCIPIA VITAE HONESTAE
EX POSITIS DOGMATIBUS
DEDUCTA.

§. 31.

Bonum hominis est, quod eius naturam perficit §. 7. Plene autem hanc nihil perficit, nisi ultimi finis asecutio. §. 11. Porro nullo modo perficit, quod ab asecutione ultimi finis, utpote summi boni, et vnicae felicitatis, retrahit; quia nimirum defectum perfectionis affert: ergo *nihil vere bonum est existimandum, quod non ad ultimum finem conducit.*

§. 32.

Pariter malum est, quod defectum alicuius perfectionis naturae competentis importat. §. 9. Magis vero natura humana a suamet perfectione deficere non potest, quam si ab asecutione ultimi finis aberret: ergo *omne illud malum iudicandum est, quod ab hoc fine retrahit.*

§. 33.

Ad istas quidem regulas, licet certissimas, quam paucissimi mentis aciem reflectant; tum utique homini Philosopho non ex populari opinione viuendum, sed quam maxime cauendum est, ne boni, aut mali tantum apparentis specie et ipse turpiter decipiatur. §§. 5. 7. Namque *populi scita ex magna parte sapientes abrogant (a), quare quaeramus, quid optime factum sit, non quid vfitatissimum, et quid nos in possessione felicitatis aeternae constituat; non quid vulgo, veritatis pessimo inter-*

(a) Seneca Consol. ad Heluid. c. 5.

interpreti, probatum sit. *Vulgum autem tam chlamydatos, quam coronam voco; non enim colorem vestium aspicio; oculis de homine non credo. Habeo melius, certiusque lumen, quo a falsis vera diiudicem. Animi bonum animus inueniat.* (b).

§. 34.

Nempe ad maiora nati sumus, quam haec ca-duca sint, in quibus plerique a sua dignitate dege-nerantes occupantur. Sollicitare ista animum pos-sunt; explere nisi Deus nequit, §§. 16. etc. 21. Ad hunc igitur erecta mens spernat, quidquid in-fra illum est: *sursum ingentia spatia sunt, in quo-rum possessionem animus admittitur. Quum illa tetigit, alitur, crescit, ac veluti vinculis liberatus in originem redit; et hoc habet argumentum divi-nitatis suae, quod illam diuina delectent; nec iis ut alienis interest, sed ut suis.* (c).

§. 35.

Quemadmodum ergo hominis dignitas hinc quidem inimmensum crescit: ita certe nihil illo errore indignius, nihil turpius, quam si sola illa fluxa, illa minuta, illa umbratica, illa falsa se-quetur boni praestigia, quorum affecutione vix sa-tis pecoribus exaequetur; immoderato vsu infra brutorum classem deiiciatur §. 17. Quam generose Seneca: *Quid mihi voluptatem nominas? Homi-nis bonum quaero, non ventris, qui pecudibus, ac bele-luis laxior est* (d).

§. 36.

Quid vero reliqua, quae extra nos sunt bo-na? quid opes? quid magna nobilitas? potentia, gloria, fasces etc.? quam arctis septa limitibus? §. 16. Sed tamen bona sunt? Quin adde sis, *uti-lia:*

(b) Idem de vita beata c. 2.

(c) Idem L. 1. qq. nat. Praefat.

(d) Idem de vita beata c. 9.

lia: Hoc ipso inferam, ergo bona sunt medii §. 11. atque non nisi bono usu bona; abusu, vera et magna mala §. 32. sicut e diuerso dolor, paupertas, contemptus etc. mali laruae, vera fiunt bona, si illis ad vltimum finem bene uti didicerimus. §. 31. Beatum dicamus hominem, cui nullum bonum malumque sit, nisi bonus malusque animus: honesti cultor, virtute contentus, quem nec extollant fortuita, nec frangant (e).

§. 37.

Sane igitur de bonis illis adipiscendis; his autem amolientis malis non est nimis anxie laborandum, tantoque id minus, quod neutrum saepe in nostra sit potestate: tum quidem multo feliciores erimus, si corporis dotes, et apta naturae conseruabimus diligenter, et impaude, tamquam in diem data, et fugacia; si non subierimus seruitutem; si eo nobis loco fuerint, quo sunt in castris auxilia, et armaturae leues: ita demum vtilia menti erunt (f).

§. 38.

Porro autem, quum haec omnia bonorum genera longe sint a desiderantis arbitrio remota: e contrario, *Prope est a te Deus, tecum est (g).* Hunc si cognoscere; hunc si amare laboras, beatus esse incipis; beator, quin beatissimus post hanc futurus vitam, vbi non iam praelibare summum illud bonum licebit, sed eodem totum toto frui dabitur. §. 22. etc. Huc itaque omnis est curarum contentio reuocanda.

§. 39.

Cognitionem Dei *sapientia* adituat; amorem illius *virtus* accendit. §§. 18. 19. 23. 24. Ad haec ergo beatitatis praefidia aquirenda praeprimis est in-

(e) Idem ibidem c. 4.

(f) ibidem. c. 8.

(g) Idem Ep. 41.

incumbendum; neque excusatur quispiam, quo minus id facere laboret; *Insunt enim in animis nostris virtutum igniculi, et semina, quae, si adulescere liceret; nec a pravis opinionibus, ceu spinis succrescentibus suffocarentur; ipsa nos ad beatam vitam perducerent* (h).

§. 40.

Hisce vero praefidiis qui mentem gerit probe instructam, reliqua bona pro mediis habet ad summum bonum, §. 11. et quidquid fortunae vulgus adscribit, id ipse Providentiae in acceptis refert. Huic se sapiens committit, per hanc firmus aduersus omnes euentuum procellas atque impetus in Deo stat, certus, quod iste per sapientiam suam optime nouerit, per potentiam valeat, per bonitatem velit ei, quem propter se creauit, omnia profutura tribuere; et cuncta ab eo nocitura auertere. *Ego (Hinc praeclare aiebat ille) semper magis volo id, quod euenit; melius enim arbitror, quod Deus vult, quam quod ego* (i). Homo nimirum vere Philosophus, semper habebit in animo illud vetus praeceptum: *Deum sequere. Quisquis autem queritur, et plorat, et gemit, imperata facere vi cogitur, et inuitus rapitur ad iussa nihilominus. Quae autem dementia est, potius trahi, quam sequi? - - Quidquid patiendum est, magno excipiat animo. Ad hoc sacramentum adacti sumus, ferre mortalia, nec perturbari his, quae vitae nostrae potestatis non est. In regno nati sumus. Deo parere libertas est* (k). *Et cum hac demum mentis dispositione talis est sapientis animus, qualis mundi status super lunam. Semper illic serenum est. At vero gaudium hoc non nascitur nisi ex virtutum conscientia, et, quia non est alieni muneris, nec arbitrii*

(h) Cit. 1. de Leg.

(i) Epictetus L. 3. diff. 7.

(k) Sen. de vit. beat. c. 15.

arbitrii quidem est alieni. Quod non dedit fortuna; non eripit (l).

§. 41.

Beata est ergo vita conueniens naturae suae, quae non aliter contingere potest, quam si primum sana mens est, et in perpetua possessione sanitatis suae (m). Quare tanti cuiusque interest, ut vitam sapientem, et rationi conformem degat, quanti, ut sit homo. Naturae vim infert, quisquis se vitis dedit: Omnia enim vitia contra naturam pugnant, omnia debitum ordinem deserunt. - Naturam sequentibus omnia facilia, et expedita sunt; contra illam nitentibus non alia est via, quam contra aquam navigantibus (n). Etenim uiuant, non quomodo volunt, sed quomodo coeperunt. Innumera deinceps proprietates sunt; sed unus effectus vitii, displicere sibi (o).

§. 42.

Neque id mirum: Nam qui semel ultimo fine excidit, is ipse summum bonum, is simul quod sibi iucundissimum, quod pulcherrimum, quod solum suae naturae vere sufficiens et perfectum est, amisit. §. 13. Sic igitur prima et maxima peccantium est poena, peccasse (p). Praeterea nonnumquam quidem, et tantisper tuta scelera esse possunt (q). Intus in animo vigilans importunissimus monitor, et vel inuitos fodicans pauoris sensus non patitur delinquentes nescire, quod ultor deserentibus se instet a tergo Deus, non liberalior obsequentium sibi remunerator, quam acrior seueriorque

(l) Sen. Ep. 59.

(m) Idem. ibid. c. 9.

(n) Idem Ep. 122.

(o) De Tranquill. an. c. 2.

(p) Sen. Ep. 97.

(q) Idem ibid.

riorque legi suae repugnantium iudex vindex-
que futurus.

SECTIO III.

SCHOLASTICA.

QUID SENTIENDUM DE OPINIONE WOLFII DEUM A SUMMO HO- MINIS BONO EXCLU- DENTIS.

§. 43.

Non iam illos moramur protestanticos I. N. docto-
res, qui ad sola huius vitae vilia commoda
respicientes, et Dei, et animae immortalis, et
vitae aeternae velut ex condicto penitus obliuif-
cuntur, quos inter Puffendorffius (r) ab animae
immortalitate omnino abstrahendum esse, imperio-
se edicit, atque iterum alibi (s) docet, *effectam re-
ligionis naturalis intra sphaeram huius vitae termi-
nari*. Quae quidem falsa esse principia satis patet
ex tota praecedente Sectione dogmatica.

§. 44.

At vero illustris etiam Wolfius, qui (t) *sum-
mum bonum* hominis in non impedito progressu ad
maiores continuo perfectiones ponit, Deum in conse-
quentibus nominatim ab eius notione excludit.
His autem nititur rationibus, quas tum praemit-
tit, tum subiungit.

I. Quod homini, tamquam enti finito, sum-
ma perfectio communicari nequeat, adeoque maius
illi bonum obuenire non possit, quam progressus
ille etc. qui ergo fit summum hominis bonum.

II. Bo-

(r) L. 2. I. N. c. 3.

(s) L. 1. de Off. hom. et civis c. 4. §. 8.

(t) P. 1. Philos. pract. §. 374.

II. Bonum hominis, ait, quaerendum esse in ipso; non extra ipsum. Bonum vero internum mentem inprimis perficere debere; quam ob rem nec Deum quidem dici posse summum hominis bonum, quandoquidem quaestio sit de bono, quod homini inhaeret, aut, si manet, quod in se possidet.

III. Denique addit, quod si quis de summo bono aliter sentiat; huic a se litem mouendam non esse. Libere nunc sibi summi boni vocabulum hoc significatu accipere, quod utique concessum sit, quando ad id sufficit, quod in dubium reuocari minime possit, quin detur in hoc sensu summum bonum, quodque idem sit in potestate hominis.

§. 45.

Propositio I.

Summum hominis bonum non potest poni in progressu non impedito ad maiores continuo perfectiones.

Probatur. Summum bonum, et vltimus hominis finis sunt vnum ac idem: §. 12. atqui progressus ille Wolfianus, hoc ipso quod semper tendat vltius, et ad maiores perfectiones §. 44. non potest habere rationem vltimi finis, cuius notioni penitus repugnat. §. 2. et §. 11. ergo etc. Deinde iste progressus vel est ipsa perfectio; vel via ad illam? Si primum; tunc erit adeptio termini: atqui adeptio termini utique non potest esse progressus, seu via ad terminum, tum quippe vere esset progressus in infinitum. Quod si autem est tantum via ad perfectionem; ergo non est summum bonum. Quomodo enim homo summum assequutus esse bonum dici potest, qui neque hactenus ad perfectionem venit, neque aliquando venturus est? Certe via Romam ducens, et progressus in ea

nee

nec Roma, nec visio Romae, nec aduentus in
tam urbem est.

§. 46.

Propositio II.

Deus nequit excludi a summo hominis bono.

Veritas Propositionis patet ex Sectione I. ubi sa-
tis luculenter monstratum est, ipsum Deum
summum hominis esse bonum. Igitur ad argu-
menta Wolfiana

§. 47.

Respondeo, et quidem ad I. distinguo: Homini
tamquam enti finito non potest conuenire perfectio
subiectiua summa, seu infinita; sic enim cessaret
esse homo: *concedo; obiectiue infinita: nego;* Ta-
lis enim perfectio, in cognitione et amore Dei con-
sistens, si humanae repugnaret naturae, plane se-
queretur reuelationes Dei de beatitudine superna-
turali hominibus promissa esse falsas; id quod nec
ipse Wolfius admiserit.

Ad II. concedo maiorem, nego minorem: Vti-
que non est opus, ut Deus menti inhaereat, uti
v. g. albedo parieti; aut ab homine possideatur,
quemadmodum marsupium ab auaro. Sufficit enim
uero, quod animo inhaereat tamquam obiectum
cognitionis, et amoris. §. 24. Satis est, inquam,
ad hanc possessionem, quod homo potens sit age-
re propter hunc finem; et sic cum illo moraliter
valeat coniungi. Ceterum numquid eodem iure
quaeri potest, quomodo ille perpetuus progressus
Wolfianus homini inhaereat, aut ab illo possidea-
tur? Denique fere impietatem olet dicere, Men-
tem, quam Deus fecit, ab illo perfici non posse.

Ad III. respondeo, si litem sibi moueri nolit
Mstris Wolfius; debet paulo saltem dignius de
communi nostra beatitate sentire. Namque tale,
P. Schwarzhueber Eth. P. I. D quod

quod ipse statuit *summum bonum*, est rite loquendo *magnum malum*. Enimvero, cedo mihi hominem, qui post exactam ad Wolfii principia aetatem tandem moriatur: quid obtinuit? Ex omnibus tam grauibus vitae actionibus nullum aliud refert emolumentum, quam ipsas actiones, quibus nunc subito vniuersis excidit moriendo; A vita enim futura abstrahere nos iubet Philosophus noster; At vero non est hoc Sisyphi, non Tantali labores, infernales illas Poetarum poenas, pro summo bono venditare? Porro, quae alias regnat in nominum definitione libertas, heic certe iustum habere locum non potest; neque fas arbitror, dum iuuentutem docemus, aliquid ea tantum de causa *summum* dicere bonum, quia datur, et obtineri potest. Secus, nescio quis Epicureus, turpem etiam nobis quamcunque voluptatem, quae datur, et obtineri potest, pro summo bono obtrudere haud verebitur.

CAPUT II. PRAXEOLOGIA

SIUE
DE ACTUUM HUMANORUM NATURA,
MORALITATE ET REGULIS.

SECTIO I. DOGMATICA.

ARTICULUS I.
DE ACTUUM HUMANORUM NATURA.

§. 48.

Homo ad finem, siue vltimum, siue proximum tendit per suas *actiones*: Etenim finis est, cuius gratia aliquid fit. §. I.

§. 49.

§. 49.

Homo agit vel *sine*, vel *cum praevidi rei cognitione*, et *animi attentione ad finem*. Primum fieri experimur in multis motibus intellectus et voluntatis indeliberatis, item in variis gesticulationibus: alterum in actionibus deliberatis, v. g. si quis eruditionis praestantia cognita incipiat amare studia litterarum; vel experientia deambulationis post mensam salubritate sanitatis causa deambulet.

§. 50.

Primi generis actiones nihil ostendant, nisi appetitum in mero aliquo naturae instinctu fundatum, absque praevidi deliberata saltem cognitione, et animi ad finem attentione, quem appetitum *sponsantem* nomine Philosophi designant: contra posterioris generis actiones produnt facultatem appetendi agenti intrinsecam, et determinatam a facultate non minus intrinseca cognoscendi omnia ea, quae concernunt actionem, nimirum eius finem, et media ad finem. Et hoc est, quod Philosophi dicunt *Voluntarium*, quod igitur recte definitur ab Aristotele (a), et dicitur *id, cuius principium est in ipso agente, cognoscente singula, in quibus est actio*.

§. 51.

Primi generis actiones, dicuntur *actus hominis*, quia ab homine quidem ex instinctu suae naturae, sed sine cognitione et attentione animi ad finem procedunt: Posterioris autem generis actiones vocantur *actus humani*, quia ab homine cum cognitione finis et animi ad illum attentione, et hinc conformiter *rationali naturae*, ac modo humano fiunt.

§. 52.

Igitur *actus humanus est actio ex deliberata hominis voluntate procedens*, §. 50. et consequenter

(a) 3. Eth. c. 1.

ter homo est illius *Dominus*, vti recte obseruat S. Thomas (b), qui ibidem dicit: *Est autem homo dominus suarum actionum per rationem, et voluntatem; ex quorum principiorum defectu non potest esse Dominus illarum actionum, quae hominis dicuntur.*

§. 53.

* *Actus humanus potest esse vel elicitus, vel imperatus. Elicitus dicitur, si sola voluntate consummetur: Imperatus, si ex imperio voluntatis ab alia potentia perficiatur. Exemplum prioris habes in amore studiorum; posterioris in deambulatione §. 49.*

§. 54.

Actus humanus, siue elicitus, siue imperatus, solus, et semper est propter finem. Fit enim cum praesentia cognitione et attentione in ordine ad finem: Talis autem non est actus hominis, quia in his ipsis deficit. §. 50. 51. 52.

§. 55.

Itaque *actus hominis* neque ad I. N. neque ad Ethicam spectat, quia ad finem inutilis est, §. praec. et regulae etiam incapax, hoc ipso, quod homo illius *Dominus* non sit. §. 52. Quapropter de solis actibus humanis deinceps praecipuus est nobis sermo futurus.

§. 56.

Actus ergo humanus, vt vere talis fit, debet procedere a principio intrinseco, et quidem duplici: Intellectu cognoscente et voluntate cognitum amplectente. §§. 50. et 52. Horum aliquid si penitus deficit, hoc ipso actus cessat esse humanus.

§. 57.

Cognitioni intellectus opponitur Ignorantia, siue carentia cognitionis. Ista vel est Iuris, vel Facti.

(b) 1. 2. q. 1. A. 1. in Corp.

Facti. Iuris, si ipsam ignoras legem, v. g. quod nefas sit coniugem ducere alienam; Facti, si ignoras, hoc vel illud factum particulare comprehendendi sub lege, v. g. hanc, quam ducis, esse coniugem alterius. Vtraque diuiditur in *inuincibilem*, et *vincibilem*. Inuincibilis est, quae heic et nunc superari non potuit: e. c. Si de lege, quam violasti, ne quidem suspicari potueris, aut in filia hominem non visum, et ne quidem cogitans de homine sclopeto pro fera traieceris. Quae ignorantia etiam *antecedens* dicitur, quia nullo modo est voluntaria; sed omnem voluntatis actum antecedit. Ignorantia vincibilis est, si iusta ad eam superandam diligentia adhibita non fuerit: v. g. si suspicatus legem esse latam, aut hominem inter dumos latere, in rei veritatem maiore cum cura inquirere nimis molestum censueris, et sic vel legem transgressus sis, vel hominem occideris. Atque haec ignorantia, quia aliquo saltem modo est voluntaria, et voluntatis actum sequitur, vocatur *consequens*. Porro autem pro modo negligentiae in veritatis inuestigatione commissae *crassa* etiam, vel *supina*, vel *affectata* nuncupatur. His addi potest ignorantia *comitans*, quae licet re ipsa sit inuincibilis, et antecedens, actum tamen quodam modo comitatur, quia nihilominus fieret, et si ignorantia abesset; quemadmodum ille fecit, qui lapide canem petens, tacta, quam non viderat, mouerca: *Euge, dixit, nec sic male.*

§. 58.

Ignorantia inuincibilis, seu antecedens tollit actum humanum. Tollit enim omnem cognitionem etiam possibilem, §. praec. adeoque principium intrinsecum actus humani. §. 56. consequenter ipsum actum humanum, quia non est actus deliberatus, neque in hominis dominio, et potestate. §. 52. Ignorantia tamen *Iuris*, quum quisque Leges suas scire posse et debere praesumatur, raro probari valet; hinc saepenumero,

licet re ipsa fuerit inuincibilis, ab humanis tribunalibus punitur,

§. 59.

Ignorantia vincibilis seu consequens non tollit; quodam tamen modo minuit actum humanum. Hoc ipso enim, quia homo potuisset; sed noluit eam vincere, §. 57. ipsamet deliberata, adeoque homo huius saltem ignorantiae dominus, ac causa fuit, cui itaque merito imputatur, quod ex illa ita sequitur, ut secuturum ab ipso praeuideri potuisset. Igitur ipsius actio non caret principio intrinseco siue ex parte intellectus, siue ex parte voluntatis §. 56. consequenter est humana. Quia tamen aliquo saltem modo deficit principium intrinsecum ex parte intellectus, non potest non actus *minui*, et quidem tanto magis, quanto fuit minor negligentia in inquirenda veritate.

§. 60.

Ignorantia comitans quia respectu actus praeteriti fuit antecedens, et inuincibilis §. 57. quoad illum etiam tollit actum humanum; §. 58. Ratione autem actus sequentis, seu oblectationis de actu patrato nulla omnino adest ignorantia §. 57. adeoque nec potest tollere actum humanum.

§. 61.

Alterum inter principia intrinseca actus humani est *Electio voluntatis*, quae, ut bene Aristoteles obseruat, atque etiam ex antecedentibus patet, §. 50. etc. est *Praelectio rationalis*, siue appetitio consultata rerum. Hinc voluntas in ordine ad actum humanum semper praerequirat *cognitionem intellectus*, et propter hanc ipsam causam *per se* dicitur esse *potentia caeca*, illudque etiam axioma receptum est: *Nihil volitum, nisi praecognitum*. Nimirum praecedat ex parte intellectus *apprehensio*, et *iudicium quoad finem*; quoad vero *media* accedit etiam *consultatio*; sequitur autem ex parte *voluntatis*

voluntatis quoad finem quidem intentio, et fruitio; quoad media vero electio, consensus, et usus. Porro licet oeconomia actuum humanorum ista vocabulorum distinctione rite describatur; probe tamen notandum est, in communi sermonis usu *consensus* nomine intelligi *factam a voluntate seu finis seu mediolorum approbationem*, quae antequam adfit, voluntas *sensum*; non *consensum* habere dicitur.

§. 62.

Itaque pro praxi in homine duplex est bene distinguenda tum cognoscendi, tum appetendi facultas: I. *sensualis*, quam habet communem cum brutis, et quae non fundat *voluntarium* saltem proprie dictum; sed solum *spontaneum*, meris *actibus hominis* conueniens: II. *Rationalis*, quae propria est naturae humanae, ac sola potest *actum humanum*, et *voluntarium proprie dictum* fundare. §§. 50. 51. 52.

§. 63.

Saepe tamen a *spontaneo ad voluntarium*, ab *actu hominis ad actum humanum* fit transitus. Namque licet ea, quae fiunt ex cognitione et appetitu mere sensuali, quin aliquid accedat de rationali (quales motus etiam vocantur *primo primi*) non sint actus humani, per dicta §. praec. saepe tamen contingit, vt his deinde aliqua magis distincta cognitio intellectus, et fluctuatio voluntatis *rationalis* accedat; et tunc iam incipiunt esse actus humani propter superuenientia principia intrinseca; §. 56. sunt tamen adhuc valde imperfecti, quia multa adhuc desunt ad oeconomiam actus proprie humani, explicatam §. 61. ideo etiam dicuntur motus *primo secundi*. Quodsi vero, vt non raro fieri amat, ista cognitio tandem fiat satis clara, atque distincta, et ex parte voluntatis nihilominus accedat consensus, tunc plane nihil deest ad notionem actus humani. §. 62. ideoque nuncupantur

pantur actus secundo secundi, seu perfecte humani, et voluntarii.

§. 64.

Voluntarium vero proprie dictum §. 62. aliud est directum, quod immediate in se appetitur, ut v. g. aedificatio domus ab architecto; aliud indirectum, quod non nisi mediate, et in sua causa intenditur, et hinc etiam voluntarium in causa dicitur, e. c. Ganeo directe tantum vult bibere; indirecte autem etiam vult se inebriare: Hinc ebrietas, et alia quae ex nimio potu suo sequi solere non nescit, sunt ipsi voluntaria in causa. Porro indirectum istud voluntarium iterum potest esse nunc positivum, nunc negativum. Positivum est actio aliqua post se effectum trahere solita, ut in mox dato ganeonis exemplo; Negativum est omisio actus, ex qua sequitur aliquid omissioni eo ipso imputandum, quia praevisum est, aut certe potuit ac debuit praevideri: v. g. si nauarchus per neglectam navis directionem det occasionem naufragio: quod idem contingit in omni transgressione Legis vincibiliter ignoratae §§. 57. 59.

§. 65.

Voluntarium indirectum seu in causa, actum humanum non tollit, sed supponit: Quamvis enim fieri possit, ut qui causam posuit, tempore, quo effectus sequitur, eundem nec agnoscat, nec velit: ut si toxicatum vinum temere in loco patente relictum quisquam hauriens moriatur; quia tamen, uti in casu supponitur, vinum ibi relinquens hunc ipsum effectum praevidere saltem debuit, et potuit; ipsa temeraria talis causae positio fuit actus humanus, et quidem eius generis, cui etiam effectus inde nasci solitus merito imputatur.

§. 66.

Voluntario opponitur involuntarium, seu id, quod fit sine propensione voluntatis rationalis. Haec autem

autem oppositio respectu hominis vel est *privati-
na*, id est mera carentia voluntarii; vel *contra-
ria*, id est, quae inclinationi voluntatis positive
repugnat. Ad priorem in moralibus stricte lo-
quendo pertinet *ignorantia inuincibilis* de qua supra
§. 57. et 58. Ad posteriorem *violentia*.

§. 67.

Violentum est Aristoteli id, cuius principium
est foris; siue impetus contra voluntatis inclina-
tionem illatus. Quum autem hic impetus vel possit
esse talis, ut vinci possit; vel eiusmodi, ut
superari nulla ratione valeat: tam quidem *violen-
tum proprie dictum* non habetur, nisi impetus sit
insuperabilis: v. g. si quis fortior tua necquid-
quam oblucentis apprehensa manu alteri colaphum
infringat. Namque si impetus sit superabilis,
tunc principium actionis non est totum foris, sed
saltem ex parte *intrinsicum* patienti illud, cui resi-
stere potuit, at noluit; hinc istud violentum non
est nisi *improprie* tale.

§. 68.

Violentum proprie tale tollit actum humanum.
Neque enim homo, quamuis, quid agatur, cognos-
cat, est suae actionis Dominus; neque ista pro-
cedit a principio *intrinsicum*, scilicet voluntate
cognitum eligente. § §. 50. 52. 61. 67.

§. 69.

*Violentum improprie tale non tollit actum hu-
manum.* Tunc enim homo adhuc est suae actio-
nis Dominus, quippe qui illam impedire potuit;
at vero noluit. §. 67.

§. 70.

*Violentum improprie tale non cadit in actus est-
itas*: Repugnat enim, ut quis cogatur aliquid vel-
le, siue ut nolens velit: Hinc proprie loquendo

viuismodi violentum neque cadit in actus imperatos: neque enim colaphus tua obluentis manu alteri inflictus (vide §. 67.) ex imperio tuæ voluntatis procedit; quod tamen ad actum imperatum necessarium est: §. 53. ergo violentum eiusmodi non nisi actum externum occupat.

§. 71.

Quum ergo et violentia subinde sit superabilis. §. 67. atque ignorantia etiam vincibilis §. 57, utraque vero aliquid saltem de voluntate habeat admixtum; §§. 59. et 69. Præterea quum aliqua haud raro agenti accedant, quæ voluntatis alioquin indifferentis, vel abhorrentis assensum veluti extorquent, quemadmodum fit, ubi adest vehementis concupiscentia, vel metus: patet sane Inuoluntarium §. 66. descriptum aliud esse simpliciter tale; aliud secundum quid tale. Primum nihil habet de voluntario admixtum, et in quantum est privatum, reperitur in ignorantia inuincibili §. 57. in quantum autem est contrarium, §. 66. in violentia insuperabili: §. 67. secundum habet aliquid admixtum de voluntario, et est quasi privatum in ignorantia vincibili, ac sæpe etiam in vehementi concupiscentia; quasi contrarium vero in violentia superabili, et metu. Porro autem hoc inuoluntarium suscipit maius ac minus pro diuersitate casuum.

§. 72.

Inuoluntarium simpliciter tale tollit actum humanum; Tollit enim principium eiusdem intrinsicum, siue propter ignorantiam ex parte intellectus, siue propter repugnantiam voluntatis: §. præc. et §. 56.

§. 73.

Inuoluntarium secundum quid tale non tollit, sed tantum minuit actum humanum: Adest quippe aliquid saltem de voluntate §. 71. consequenter etiam aliquid de cognitione per dicta §. 61. ergo adsunt

adsunt principia actus humani §. 56. consequenter ipse actus humanus. Quia tamen tantum aliquid de principis adest; necesse est, ut etiam aliquid desit; hinc non potest actus humanus non minui.

§. 74.

Ideo vehemens aliqua concupiscentia per se actum humanum non tollit; quandoque tamen eundem minuit. Namque si coniungatur cum sufficiente animadversione intellectus; voluntatem magis adhuc inclinatur, et consequenter: si studiosè sit excitata, uti voluntarium, ita etiam actum humanum auget: quodsi vero imprudentem occupet, quamvis plerumque ob perturbationem in intellectu excitatam tantum demat de agnitione, quantum adiecit inclinationi voluntatis; illa tamen perturbatio raro tanta est, ut omnem rationis usum praeceperiat; hinc saltem relinquit voluntarium secundum quid, adeoque actum humanum non nisi imminuit §. praec. Quodsi autem passionis vehementia rationis lumen heic et nunc penitus extinguat, tunc equidem ob defectum principiorum cessat actus humanus §. 56. Sed hoc ipsum non nisi per accidens contingit.

§. 75.

Metus ab extrinseco incussus fere non facit, nisi involuntarium secundum quid, adeoque non tollit; sed tantum minuit actum humanum. Etenim quamvis actio ex tali metu profecta quodam modo procedat ex principio extrinseco: Intellectus tamen id, quod per metum extorquetur, voluntati repraesentat tamquam malum minus illo, quod metum incutiens minatur; voluntas porro immunitatem a malo maiore eligit tamquam bonum et finem; illud autem, quod metu extorquetur, tamquam medium ad eum finem obtinendum: adsunt ergo principia actus humani; consequenter ipse actus humanus. §. 56. et 61. Interim tamen actus minuitur; quia propter externam illam violentiae speciem plerumque aliqua adest repugnantia voluntatis.

tatis, et propensio, seu, vti vocant, *volleitas in contrarium*, quemadmodum patet in viatore mortis metu pecunias latroni tradente. Dixi *fere ut fieri*, quodsi enim metus foret tantus, vt omnino perturbaret intellectum; tolleretur et voluntarium, et actus humanus, eodem modo, quo id ipsum de concupiscentia affirmauimus ad finem §. praec.

§. 76.

Metus ab intrinseco incussus, siue mali per se imminentis, fundatus v. g. in Lege diuina, vel humana poenam delictis repraesentante, nisi per accidens non facit inuoluntarium, ne quidem secundum quid, adeoque etiam actum humanum neque tollit, neque minuit. Quippe inprimis eiusmodi actus habet principia necessaria ad actum humanum §. praec. deinde abest etiam illa externa violentia, quae in metu ab extrinseco incusso reperitur: denique potest etiam cessare voluntatis repugnantia, quae ibidem fere coniungitur: Namque v. g. qui peccatum detestatur metu inferni, potest et debet, etiam illam Repugnantiam contra Legem, id est propensionem ad peccatum, si impune perpetrari posset, abiicere et execrari, quia haec ipsa peccatum est, et nouum inferni periculum ac metum post se trahit. Dixi iterum *nisi per accidens*. Nihil enim obest, quin praedicta repugnantia, et propensio v. g. ad peccatum maneat; tunc vero actus humanus doloris vtique erit secundum quid inuoluntarius, atque hinc imminuetur,

ARTICULUS II.

DE ACTUUM HUMANORUM MORALITATE.

§. 77.

Moralitatis nomine hoc loco illud intelligitur, vi cuius actus humani in genere morum aut boni,

et propterea laudabiles; aut mali atque ideo vituperabiles sunt.

§. 78.

Iam vero homo est, et operatur propter finem. §. 4. et quidem per actus humanos §. 54. finis autem ultimus hominis et consequenter etiam illius summum bonum, §. 12. et felicitas §. 15. est Deus §. 20. Ad hunc finem ultimum et summum suum bonum debet tendere per fines medios, quæ sunt bona medii §. 11. hæc non possunt esse talia, nisi ad ultimum finem conducant §. 31. quia si ab eo retrahunt, vera sunt mala §. 32. ergo homo non potest rite ad ultimum finem tendere, nisi etiam quoad medium eligenda, tum rite applicanda rectum tendendi modum obseruet; consequenter ut ipsius actus sint in genere morum boni et laudabiles, requiritur, ut homo per quemlibet illorum ad finem sibi a Deo præstitutum et quidem recto modo tendat: ut autem actus ipsius sint mali et vituperabiles, sufficit, si propria culpa aut finem illum, aut rectum modum ad eum tendendi negligat. Igitur moralitas actus humani nihil est aliud, quam conformitas, vel difformitas illius cum fine homini præstituto, et recto ad eum tendendi modo.

§. 79.

Porro autem quum sermo sit de moralitate actus humani, per se quidem patet, prædictam conformitatem, aut difformitatem ex iisdem principiis intrinsicis debere procedere, ex quibus ipse actus humanus enascitur, §. 56. At vero sola hæc principia non sufficiunt, neque satis est ad actum humanum moralem, quod homo illius sit Dominus per rationem et voluntatem. §. 52. Verum præterea requiritur, ut etiam eiusdem Dominium habeat per libertatem, siue, ut scholæ loquuntur, per indifferentiam arbitrii, id est, ut non solum sit ab omni externa coactione immunis §. 68. sed nulla quoque interna, ac naturali necessitate ad aliquid prosequendum, vel auerendum determinatus

natus, ita, vt positus omnibus ad agendum requisitus liber sit adhuc in electione, possitque agere, vel non agere. Quodsi enim homo quidquam boni agens non possit illud non agere; hoc ipso nullam meretur laudem, et actus licet per se commendandus, nullam ab hominis moribus participat bonitatem: sicut e contrario vituperari, et malitiae moralis argui nemo potest, qui malum patrat, quod omittere nequit. Vide §. 77.

§. 80.

Dari in homine talem *indifferentiam arbitrii*, supponimus quidem demonstratum ex Psychologia; sed experimur quoque intimo sensu: Quis etenim non aduertit se, quae sine per actus ellicitos, sine per imperatos facit, omittere potuisse? Contuincimur praeterea non solum diuina Scripturae et Ecclesiae auctoritate; verum etiam communi omnium hominum persuasione: vt quid enim Leges, praemia, poenae proponuntur, si quod quisque agit, necessario agit, neque omittere potest? Hic enimvero desirandi furor, Platonis iudicio omnium minime in Republica tolerandus, Deum quorumcunque denique scelerum auctorem facit: ipse enim solus est, qui nos ad omnia determinare possit, quando nullius alterius vires ad id perficiendum vnquam sunt suffecturae.

§. 81.

Merito igitur omni retro aetate a sapientibus explosum est ineluctabile illud *Stoicorum fatum*; merito *astrologici horoscopi* irrita necessitas; merito erroris damnata est *Lutheri, et Caiuini doctrina*, quae hominem merendi iuxta, et noxae reatum contrahendi *incapacem* somniabat; merito proscripta *Baii et Iansenii praedominans*, et voluntatis alienum necessario trahens *concupiscentia*.

§. 82.

Notandum est tamen, non semper esse necessariam libertatem, siue *indifferentiam contrarietatis*

his, id est, hoc, vel oppositum agendi; quae quidem multoties imperfectionem involueret: v. g. non est opus, ut possimus bonum agnatum odire, quod hominis naturalem perfectionem penitus euerteret: sed sufficit libertas, seu *indifferentia* ut vocant, *contradictionis* id est *exercitio*, v. g. si passim actum amoris vel elicere, vel heic et nunc emittere, et mentem alio auertere.

§. 83.

Porro autem ista quoque arbitrii indifferentia parum conduceret ad actiones nostras laudabiles, vituperabilesue reddendas, adeoque ad ipsam moralitatem, nisi praeterea haberemus *communicatas* quasdam regulas, secundum quas agentes per fines medios ad vltimum rite collimare, et in ipsis actionibus ad hunc finem institutis rectum tenere modum possumus §. 78. Talium enim regularum egestas, aut ignorantia insuperabilis tolleret iustam peccati imputationem. Igitur Deus quasdam homini *morum regulas* praescribere, ac promulgare debuit, ad quorum normam respiciens ipse bonitatem malitiamue suarum actionum intelligere, et non minus quid sibi sequendum, quam quid fugiendum sit, secum statuere possit.

§. 84.

Hinc efficitur I. quod *actus moralis sit actus humanus*, §. 77. *liber*, §. 79. *consideratus secundum regulas morum*. §. 83. II. Quod istae *regulae morum* versentur circa *finem actionis*, et circa *modum agendi*, tamquam *fontes moralitatis* §. 78. et 83.

§. 85.

Circa *finem actionis* cuiuslibet duae sunt res animaduertendae: I. quod omnis actus humanus *ex sua natura* ad aliquid referatur, et circa illud versetur: et hoc dicitur esse *finis operis*, seu *obiectum actus*, v. g. elemosina ex sua natura referatur ad sublevandam alterius egestatem. II. Quod

omnis

omnis item actus humanus ab agente referatur ad finem; §. 54. qui tamen potest esse vel *idem* pro-
 fectus cum *fine operis*, vel potest esse *simul alius*,
 vel denique potest esse omnino *diuersus* a fine ope-
 ris v. g. in casu superius posito porrigens mendi-
 co eleemosinam ad subleuandam illius egestatem
 refert actum suum ad ipsum finem operis: si ve-
 ro praeter id etiam velit se *gratum* pro aliquo ac-
 cepto beneficio exhibere, habet praeter finem ope-
 ris simul alium, scilicet gratitudinis; quodsi autem
 id ipsum faciat non ad eius subleuandam miseriam, sed
 ad paupertatis pudorem homini, quem odit, ex-
 torquendum; tunc habet finem a fine operis pe-
 nitus diuersum. Porro autem ista agentis inten-
 tio, qualiscunque demum, dicitur *finis operantis*,
 siue *obiectum agentis*.

§. 86.

*Finis operis, seu obiectum actus, specificat
 actum in genere morum, abstracte, Et praecise secundum
 suam naturam consideratum.* Namque facit illum
 non solum in genere bonum et laudabilem, si ipse finis
 fit bonus; malum et vituperabilem, si ille fit malus;
 indifferentem denique, si idem finis nec bonus fit,
 nec malus: verum etiam pro sua, finis nimirum,
 et obiecti diuersitate in ipsa bonitate, vel malitia,
 humanum actum singulari, noua, et distincta ra-
 tione laudabilem facit, aut vituperabilem, quod
 ipsum est dare *speciem* actui, secundum quam ab
 aliis distinguatur: hinc dicitur in scholis, quod
obiectum in moralibus det speciem.

§. 87.

*Finis operantis, siue obiectum agentis specificat
 actum moralem in sensu concreto, seu quatenus ab
 homine heic et nunc ponitur.* Quum enim actus hu-
 manus semper sit propter finem, et quidem ab agen-
 te cognitum, atque intentum §. 54. huius qui-
 dem bonitas, aut malitia tum generica, tum spe-
 cifica non potest, per dicta §. praec. non in ipsum
 actum redundare; sed illum, ipsumque agentem
 eodem

eodem modo laudabilem reddit, aut vituperabilem.

§. 88.

Hoc ipso autem quia finis operantis potest esse varius §. 85. modus etiam specificationis non potest non esse diuersus. Et I. quidem si finis operantis idem est cum fine operis, actus etiam talis est in sensu concreto consideratus, qualis est in sensu abstracto, vti per se patet. II. Si agens praeter finem operis bonum, vel malum, alium simul intendit finem, pariter bonum, vel aequali modo malum; actus nonam accipit bonitatis, vel malitiae speciem. Manifestum est quippe, quod v. g. eleemosina ex amore Dei data ad subleuandam pauperis inopiam, et contra etiam furtum commissum, vt ablata pecunia pro scortationis pretio expendatur, quod, inquam, vterque iste actus duplex obiectum habeat, quorum vnoquoque singulariter laudabilis, vel vituperabilis, et hinc duplici specie bonus, vel malus efficitur. Porro autem eadem ratione euincitur, nihil obesse, quin species morales eiusdem actus per alium alii superadditum finem magis adhuc multiplicentur. III. Actus ex fine operis bonus per finem malum operantis (e. c. eleemosina propter vanam gloriam data) penitus vitatur; et contra actus ex fine operis malus per finem operantis bonum (v. g. furtum commissum, vt possit eleemosina dari) nihil inuatur. Quia in vtroque actu id quod malum est (hoc ipso, quia supponimus, malum inuincibiliter haud fuisse ignoratum) est finis operantis, qui dat speciem actui in sensu concreto §. 87. Atque hoc etiam facit, vt ipse actus ab ultimo fine hominem retrahat, id quod maxime nostrae perfectioni repugnat, adeoque totum eiusmodi actum vitiat §. 9. et 32. Vnde etiam vides, verum esse illud axioma: *Bonum ex integra causa; Malum ex quolibet defectu.*

§. 89.

Omnis actus moralis est humanus: §. 84. Omnis actus humanus fit propter finem, et quidem ab operante cognitum, et intentum: §. 54. ergo hoc ipso non datur *actus indifferens in indivi- duo*, uti in scholis dicitur, seu in *sensu concreto* §. 87. Quamvis enim aliquis actus secundum suam natu- ram, et abstracte consideratus nec bonus, nec ma- lus, adeoque indifferens sit: §. 86. dum tamen heic et nunc ab homine ponitur, si id fiat humano mo- do, non potest fieri ob *nullum* finem; id enim re- pugnat naturae actus humani: §. 54. ergo fit ob finem aliquem certum, praecognitum et intentum: Iam vero hic vel ducit ad ultimum finem, vel non ducit? si primum; *bonus* sit oportet: si secundum; *malus* est, §. 78. qualis autem est finis, talis et- iam erit actus; Namque medium inter haec duo nihil inuenitur: Quippe agere, tantum ut agas, plane *otiosum*, adeoque finis malus est: agere au- tem non nisi ad exercendam suam libertatem (quod est vnicum effugium e Scoti disciplina Ad- versariorum) si vna, vel altera vice potest dici fi- nis honestus, id quod ab aliis concessum nos in medio relinquimus: expertam saltem libertatem iterum iterumque tentare, non ducit ad ultimum finem, et recidit in idem, quod non potest non damnari, *otiosi animi* vitium.

§. 90.

Ob finem bonum agere, bonum est; ob ma- lum finem operari, malum §. 87. Vtrumque re- cipit *maius* et *minus*, non solum ex parte *finis*, seu *obiecti melioris* aut *peioris*; sed etiam ex parte *modi*, quo ad eiusmodi finem tendimus. Namque v. g. melius est utique aureum egeno dare, quam terantium; peius vasa argentea furari, quam stan- nea etc. Hinc *alter fons moralitatis est modus, quo actiones nostrae in finem tendunt*. §§. 78. 83. et 84. Huc pertinent *circumstantiae*, uti vocant, bonum, vel malum non mutata specie mere *aggravantes* vel

vel minuentes, quae communiter hoc versiculo comprehenduntur: *Quis, quid, ubi, quibus auxiliis, cur, quomodo, quando.* Verum in his caute attendendum, ne *finem novum* addant, et sic multiplicato, aut variato *obiecto*, etiam *speciem* mutant, aut multiplicent. §. 88. Cuius rei dignoscendae promptissimum indicium est, si animum attendamus, utrum non in *actibus bonis novae* subsistent *virtuti*; in malis autem, an non *novae* cuiusdam *Logi* aduersentur. Sed haec ad moralem Theologiam spectantia sufficit breuiter insinuasse.

ARTICULUS III.

DE ACTUUM HUMANORUM
REGULIS.

§. 91.

Ad moralitatem necessariae sunt *regulae agendorum et omittendorum*, quas Deus tanquam Legem praescribere, et quorum ope hominem per fines medios ad se finem ipsius ultimum ordinare debuit. §. 83.

§. 92.

Lex, in genere loquendo, est *regula*, secundum quam actiones liberas determinare obligamur; id est, *Lex* est *regula agendorum, vel omittendorum*: ergo *regulae illae moralitatis sunt Lex Dei*, qua hominibus praescripta divina nos sapientia per fines medios ordinat ad ultimum finem, qui est summum hominis bonum, seu ipse Deus §. 21.

§. 93.

Divina Sapientia est etiam *aeterna*, adeoque nihil concipit in tempore (*ex Theologia naturali*) igitur *Lex ista Dei*, moralitatis *regulas praescribens, est aeterna*.

§. 94.

Haec eadem Lex ordinat, et dirigit hominem, *quatenus est in hoc mundo positus, et praecipua illius pars*: ergo comprehenditur sub *generali gubernatione mundi*, seu sub ratione generali illius ordinis, quo Deus cuncta creata ad suum finem dirigit.

§. 3.

§. 95.

Quamvis autem Deus et mundum, et hominem libere creavit; libere hoc modo, et cura ista cuiusque rei natura creauerit; libere ad hunc, et non alium finem ordinauerit; (*ex Theologia naturali*) adeoque etiam tota ratio generalis huius ordinis, et ipsa Lex aeterna Dei fuerit *libera*: Tamen *ex hypothesi*, quod Deus hominem creatum in hoc mundo, eodemque ista et non alia ratione, cumque hac cuiusvis rei natura condito ponere, quod illum ad hunc, quem re ipsa praefixum habet, finem ordinare voluerit; debuit etiam illum, nimirum hominem, conuenienter his omnibus per suam legem gubernare; adeoque in hoc sensu Lex aeterna est *necessaria*; id est, quidquid ordo a Deo statutus exigit, id *necessario bonum, et homini praeceptum est*, quod autem huic ordini repugnat, id *necessario malum est, et prohibitum*. Consequenter eadem Lex aeterna Dei est etiam *immutabilis*, quamdiu nimirum Deo hunc ipsum ordinem immutare non placuerit.

§. 96.

Lex igitur aeterna Dei respectu hominis est Regula divinae Sapientiae directiua actionum humanarum liberarum, quae nimirum solae ad finem dirigibiles, et imputabiles, adeoque talis regulae capaces sunt. §. 54. et 79.

§. 97.

Vt autem huic legi suas actiones homo conformare, vt ipsi transgressio eiusdem legis imputari possit, debet illi a Deo *promulgari*: §. 83.

Pre-

Promulgatur vero per *lumen rationis*; quippe experimur, huius nos ope potissimum discernere ea, quae agenda, quaeue omittenda sunt. Ex quo plane sequitur

§. 98.

Quod *Lex sive Ius naturae nihil sit aliud, quam Lex aeterna Dei per lumen rationis homini manifestata*. Neque enim aliud per legem naturalem intelligere solemus, quam *intrinsecas homini moralitatis regulas*, per quas ad finem sibi praestitutum ordinatur; Proleg. §. 7. sed ordinatur per legem Dei aeternam §. 92. et hanc quidem *lumen rationis manifestatam*, ex §. praec. neque etiam alia manifestatio foret homini *intrinseca*, qualis esse debet illa *Iuris naturae*:: ergo etc.

§. 99.

Itaque eadem *Lex divina*, quatenus in *mente Numinis* existit, dicitur *aeterna*; quatenus vero est homini *indita*, vocatur *Lex naturae*.

§. 100.

Ex his colliges I. Legem naturae male ab Imperatore Justiniano Princip. Instit. de I. N. G. et C. definiri, *Ius, quod natura omnia animalia docuit*; haec quippe definitio, quae hominem in eadem cum pecoribus classe collocare videtur, nullo modo congruit Legi aeternae hominis directivae §. 96. Etenim alia nos praediti natura, ad alium ordinati finem, aliis utique subsumus regulis, quam quibus animalia reguntur. Colliges II. insanire Hobbesium, dum ait, *aut nullum esse I. N. aut illud in privatae utilitatis studio contineri*. Quorsum ista privati commodi studia colliment, ostensum est in Prolegomenis §. 22. ad finem: Legis autem aeternae, et naturalis existentiam hactenus probauimus. Colliges III. falli Grotium, dum credit, *I. N. situm esse in bonitate vel malitia rerum ita intrinseca, ut, quamvis Deus per impossibile non esset; esset tamen I. N.* Siquidem hoc semel

supposito non daretur Lex aeterna; consequenter nec Lex naturae §. 98. Deinde bonitas et malitia rerum pendet ab hypothefi istius ordinis, quem Deus libere posuit, quoque sublato, et illa cessaret. §. 95. Colliges IV. Pariter decipi, qui *I. N. ita ex libera Dei voluntate deducunt, ut illud stante etiam huius mundi hypothefi mutari posse contendunt.* Namque in hoc sensu est immutabile. §. 95. Colliges V. Perperam a Scholiaste Puffendorffii ad L. de off. hom. et ciuis, I. N. definiri *dictamen rectae rationis super socialitatem reflexum, officia homini incumbentia proponens.* Etenim Lex aeterna, eademque naturalis hominem dirigit ad suum finem, qui est Deus: §§. 92. et 96. Consequenter illa directio etiam Regulas pro officiis erga Deum exigit: Sed haec officia erga Deum, quin etiam illa erga se ipsum, et interna erga Proximum magna saltem ex parte salua socialitate negligi posse, ostensum est in *Proleg. §. 22.* Nunc ut ad propositum, et stabilito iam ante principiū I. N. *Proleg. §. 24.* eiusdemque generalissimis regulis, *ibid. §. 27.* ad ea, quae supersunt, redeamus.

§. 101.

Ius naturae nihil est aliud, quam Lex aeterna Dei homini per lumen rationis manifestata: §. 98. ergo habet easdem cum lege aeterna proprietates; consequenter tendit *I. in hominis ultimum finem et summum bonum. §. 92.* *II. Omnes homines eodem modo obligat, quantum ad prima et generalia principia, §§. 94. et 96.* quia nimirum omnes homines ad eundem ultimum finem ordinat §. 92. quia vero illos non omnes per eosdem fines medios dirigit, necessarium est, ut quantum ad *remotiora principia* diuerso etiam obliget modo. *III. Est immutabile §. 95.* quantum ad illa scilicet, quae Lege aeterna praeepta sunt, vel prohibita. Permissa enim posse lege positua praecipui, aut vetari, suo loco videbimus. *IV. Est omnibus sana ratione utentibus saluum quoad communia principia notum.* Namque pro-

promulgatur per lumen rationis, §. 97. quod utique omnibus sana ratione videntibus adest. Quia tamen haec ratio diuerso prorsus modo, ipsa teste experientia, in diuersis limitata est; Ius naturae quoad remotiores ex primis principiis conclusiones non est omnibus aequaliter notum: tam parum autem potest in hominum animis penitus aboleri, quam parum ipsa ratio, quamdiu eius vsus a Deo conceditur.

§. 102.

Lex naturae promulgatur homini per lumen rationis: §. 97. Hoc, quamdiu tantam in genere docet, quid licitum, quidue prohibitum sit, vocatur *Synteresis*: quando vero regulas generales applicat ad actum humanum in indiuiduo heic et nunc ponendum, dicitur *Conscientia*.

§. 103.

Conscientia igitur est iudicium practicum dictans, quid heic et nunc conformiter regulis morum faciendum, vel omittendum sit, adeoque iure merito immediata et proxima humanorum actuum regula nuncupatur.

§. 104.

Quoniam autem haec regula ab hominibus applicatur, quorum ita limitatus est intellectus, ut illis ipsum I. N. quoad principia remotiora non sit aequaliter cognitum, §. 101. et qui non raro prauarum vi cupiditatum a veri cognitione detorquentur. ex *Proleg.* §. 14. et 16. et experientia: ideo etiam haec regula non semper est recta et certa: sed subinde errat; nonnunquam nonnisi quadam nititur veri similitudine. Hinc

§. 105.

Conscientia diuiditur I. in rectam, et erroneam. Recta dicitur, cuius iudicium de moralitate actionis verum; Erronea, cuius iudicium falsum est. Hoc posterius contingit vel ob legem ignoratam

vel non rite *applicatam*, id est ob malam illationem & Lege ad actum. In primo casu *ignorantia* potest esse vel *inuincibilis*, vel *vincibilis*: §. 57. in secundo interest, vtrum *error* in ratiocinio commissus propter iustam adhibitam diligentiam sit *inculpabilis*; an vero propter illius defectum sit *culpabilis*.

§. 106.

II. Diuisio conscientiae est in *certam*, et *probabilem*. Prior est *iudicium certum de moralitate actionis*. Certitudo autem heic loci nihil aliud significat, quam securitatem animi de qualitate actus sine erroris formidine iudicantis; vnde *certa* conscientia, non est tantum *conscientia recta*; §. praeced. sed potest etiam esse *conscientia inuincibiliter et inculpabiliter erronea*, ibid. vtpote quae eodem modo formidinem erroris excludit. Hoc ipso autem, quod in moralibus non semper possumus ad euidenciam rectae, aut ad securitatem certae conscientiae eluctari; haud raro contingit, vt iudicium practicum de moralitate actus tantum possit ex motiuis *probabilibus*, id est grauib; quidem, sed cum iusta formidine oppositi coniunctis ferri, et tunc habetur *conscientia probabilis*, quae consequenter est *iudicium probabile de moralitate actionis*. Ipsa autem *Probabilitas* vel potest esse *intrinseca*, quando nimirum habemus pro bonitate vel malitia actionis rationem intrinsecam prudentem; vel *extrinseca*, quando iudicans non ipse perspicit rationes; sed tantum nititur auctoritate extrinseca graui. Potest etiam *utraque coniungi*, et pro pondere rationis vel auctoritatis *utraque esse maior*, vel *minor*.

§. 107.

Neque praeter istas conscientiae diuisiones alia opus est; quamuis enim saepe contingat, vt propter defectum sufficientis rationis, vel auctoritatis anceps fluctuet conscientia, quo casu *dubia* dicitur (et quidem *negatine* talis, si propter tenuissimum, et leuia pro vtraque parte momenta haesitet;

fitet: *positivae* autem talis, si ob aequale illorum pondus prudens iudicium de actus moralitate suspendatur) hoc ipso tamen *conscientia proprie talis* dici non potest, quia nullo modo est *iudicium practicum*.

§. 108.

Pari modo, si, quod multis accidit, leuissimis quisquam motus ratiunculis de honestate cuiuslibet actionis seu positae, seu ponendae *dubitare*, aut eam malam *iudicare* solet; illius *conscientia scrupulosa* vocari consuevit, propterea, quia panicus iste timor non minus animum excruciat, quam scrupuli arenarum calceis iniecti incedentem affligunt: Sed ista quidem conscientia in primo casu ad *dubiam* spectat, et hinc ne quidem est proprie dicta conscientia §. praec.; in secundo ad *erroneam* §. 105. opportune reduci potest; ad quam alteram classem etiam pertinet *conscientia perplexa*, sine ea, quae ex oppositis, quorum vnum necessario agendum est; vtrumque peccatum existimat: quum enim id per Dei iustitiam et bonitatem fieri nequeat, non potest talis conscientia ex vna saltem parte non esse *erronea*.

§. 109.

Neque etiam necesse est conscientiam in *antedentem* et *consequentem*, diuidere. Antecedens quippe semper est vna ex speciebus conscientiae §§. 105. et 106. explicatis: Consequens autem nihil est aliud, quam approbatio, vel reprobatio conscientiae antecedentis, seu iudicium de moralitate prioris iudicii: consequenter est noua conscientia, iterum ad aliquam ex recentis speciebus reducenda.

§. 110.

Homo tenetur ad obseruantiam Legis aeternae sibi per rationis lumen manifestatae (id est Legis naturalis) quatenus per conscientiam ad actus indiuos applicatur. Quippe homo est propter finem: §. 4. ergo tenetur tendere ad finem sibi a Deo
 L 5 vtique

vtique non frustra propositum: atqui ad finem hunc ordinatur per legem aeternam Dei rationis lumine sibi manifestatam, §. 92. et 97. quae nihil est aliud, quam Lex naturae, §. 98. et ad casus indiuiduos per conscientiam applicatur: §. 102. ergo tenetur conformiter huic legi operari; consequenter adstringitur ad eius obseruantiam, quatenus etc.

§. III.

Obligatio tamen ista, quum sit homini imposita, etiam humano modo explicanda est. Quoniam igitur homo in cognoscenda Lege naturali limitatus et in eius applicatione errori obnoxius est: §. 104. non potest adstringi, vt vel eam Legem semper, qualis est re ipsa, perspiciat; vel in ea actibus indiuiduis applicanda nunquam erret; sed satisfacit, si in eadem inuestiganda, et rite applicanda iustam, id est rei, tempori, ac viribus commensuratam adhibeat attentionem, ac diligentiam, seque illi fideliter studeat conformare. Tum enim, quamuis forte a lege aliqua speciali in casu particulari aberret; non deflectit tamen a Lege generali, pro viribus ad vltimum finem tendendi, adeoque agit adhuc ex primo N. principio, id est, facti, quae pro suo captu ex amore Deo, sibi et Proximo debito faciendae intelligit, et omittit, quae ab illo vetita credit: Prol. §. 24. ergo talis actus semper erit saltem ex fine operantis moraliter bonus. §. 87.

§. III2.

Ex his principiis sequitur I. *Hominem teneri ad omne illud agendum vel omittendum, quod ipsi conscientia recta siue faciendum praecipit, siue fugiendum.* Tenetur quippe ad obseruandam legem aeternam et naturalem, quatenus per conscientiam actibus indiuiduis applicatur: §. 110. atqui legitima applicatio fit per conscientiam rectam: §. 105. ergo.

§. III3.

§. 103.

Sequitur II. *Hominem teneri se conformare dictamini conscientiae inuincibiliter, et inculpabiliter erroneae.* Tenetur enim ad obseruandam legem aeternam et naturalem, quatenus promulgatur per rationem, et applicatur per conscientiam: §. 110, ergo tenetur etiam ad legem falso promulgatam et applicatam, si error sit inuincibilis; Nam praeterquam, quod sic suae satisfaciatur obligationi: §. 111, et actus eiusmodi, quatenus est difformis Legi, propter ignorantiam inuincibilem non sit humanus §. 58, adeoque nec moralis, seu imputabilis; §. 84, agendo contra dictamen conscientiae inuincibiliter erroneae, deliberate operaretur difformiter suo fini, quod est *moraliter malum*, §. 78.

§. 114.

Sequitur III. *Neminem posse licite agere ex dictamine conscientiae vincibiliter erroneae.* Quod si enim putas licitum esse, quod re ipsa est prohibitum; error et difformitas cum Lege aeterna, et naturali nascitur ex culpabili omissione debitae investigationis, vel applicationis. §. 105, consequenter transgressio Legis est saltem voluntaria in causa; §. 64, adeoque actus humanus, §. 65, tam ex fine operis §. 86, quam operantis §. 87, moraliter malus: Si autem, quod ex se licitum est, ex conscientia vincibiliter erronea prohibitum credas, et errore nondum deposito nihilo minus agas; aduersaris legi generali tendendi ad vltimum finem, quod non minus est moraliter malum, §. 78.

§. 115.

Sequitur IV. *Quemlibet teneri operari ex dictamine conscientiae certae.*

Namque siue ea recta sit, debemus ex eius norma agere. §. 112, siue sit *inuincibiliter erronea*; iterum ad eam nos componere obligamur. §. 113,

§. 116.

§. 116.

Sequitur V. *In casu, quo haberi non potest certitudo, fas esse agere ex conscientia probabili, etiam relicta via tutiore (id est a peccandi periculo remotiore) modo si ista simul sit minus probabilis. e. c.* Omnibus expensis non sum quidem certus; est tamen mihi oppido probabile, aliquem contractum, cuius ineundi opportunitas heic et nunc adest, non esse iniustum: possum ego absque culpa ex tali agere conscientia. Item, sit probabile hunc eundem contractum esse iniustum; sed sit simul mihi ex grauibus momentis multo verifimilius, illum esse innoxium; possum eum iterum tuta inire conscientia. Ratio est, quia obligatio obseruandi Legem aeternam seu naturalem per conscientiam actibus indiuiduis applicatam est *humano modo* explicanda: §. III. Atqui praedicto modo se gerens agit omnia, quae *humano modo* agere potest, vt Legem rite agnoscat, et applicet; esset enim durum nimis, atque inhumanum, si, dum certitudo tates haberi nequit, §. 104. homo abnegato semper proprio rationis lumine, quod actionis honestatem tamquam vero proximam exhibet, id, quod minus est verifimile, propterea tantum sequi deberet, quia est a peccandi periculo magis remotum. Hinc Alexander VIII. PP. merito damnauit propositionem, quae contendebat, *nefas esse opinionem vel inter probabiles probabilissimam sequi.* Quin modo a nobis praescripto agens, non iam ex *conscientia probabili*, sed *certa*, saltem *reflexa*, operatur: quippe moraliter certum est, Deum natura sua optimum non velle hominem nisi modo humanae naturae congruo obligare: atqui ex conscientia certa licet operari; §. 115, ergo etc.

§. 117.

Corollarium I. Porro autem quum quiuis teneatur in applicanda sibi per conscientiam Lege aeterna et naturali commensuratam rel, tempori, et viribus industriam adhibere: §. III. Docti quidem, nisi

nisi euentus celeritate impediatur, ad probabilitatem etiam *intrinsicam* §. 106. eluctari debent; vulgus vero imperitum satisfacit, si probabilitatem *extrinsicam*, id est auctoritatem docti, probi, et periti viri sequatur. II. Quid vero agendum sit, si concurrat opinio probabilior de malitia, cum opinione minus probabili pro honestate eiusdem actionis; aut si vtraque pars aequaliter probabilis esse videatur, quaestio est maximi in practica morali disciplina vltus atque momenti, hanc igitur, nunc tantisper praetermissam, infra in Sectione scholastica ex instituto discutiemus. Nunc

§. 118.

Sequitur VI. *Semper esse nefas operari ex conscientia dubia.* Nam tenemur ad obseruandam legem aeternam, et naturalem per lumen rationis manifestatam, et conscientia mediante ad casus indiuiduos applicatam: §. 110. atqui quando conscientia est dubia, Lex nondum est applicata; quin conscientia, siue iudicium practicum nondum adest: §. 107. ergo non licet ex ea agere, quia id semper fieret cum periculo aduersandi Legi aeternae et naturali; consequenter expectandum est, donec rationibus diligentius discussis conscientia, aut certa §. 115. aut actionis honestas probabilis fiat, modo §. 116. explicato, aut agendum ex regulis in Sectione scholastica inferius tradendis.

§. 119.

Sequitur VII. *Neque licere agere ex conscientia scrupulosa.* Haec enim si vetat aliquid agere, tunc respectu operantis vel est dubia, vel probabilis? Si honestas actionis scrupuloso dubia videtur: nefas est contra talem conscientiam operari: ex §. praec. Si autem inhonestas actionis eidem videtur esse probabilis; multo minus idem facere licebit. Quodsi autem iubeat quidquam agere, vel cauere eiusmodi conscientia: ne tunc quidem sine culpa licet se eidem conformare, quia imprudentis est.

est, leuissimis moueri ratiunculis, atque ista agendi ratio plurimum impedit a recto ad vltimum finem tendendi modo; quin fuerunt hactenus, quos eiusmodi anxietates ad insaniam vsque adegerunt. Igitur nihil aliud superest, quam vt huius conscientiae rationes, hoc ipso, quod leuissimae sint, contemnuntur, et quidem ex consilio viri prudentis, quod, nisi scrupulosus sequatur, nunquam suis malis medebitur. Potest enim, et debet alienum sequi consilium, qui non pollet suo: atqui scrupulosum suo non pollere consilio, et iudicio, euidentis est vel ex eo solo, quod leuissimis ratiunculis se abripi patiatur: §. 108. ergo potest et debet sequi alienum.

§. 120.

Sequitur VIII. *Si conscientia sit inuincibiliter perplexa, malum esse eligendum, quod moraliter est minus.* Conscientia quippe perplexa tunc habetur, quando alicui ex oppositis, quorum alterutrum necessario amplectendum est, vtrumque videtur esse peccatum: §. 108. Haec autem conscientia est erronea: ibid. ergo si error non potest vinci, homo agendo, quod sibi videtur esse minus malum, agit totum id, quod potest, vt tendat ad vltimum finem, consequenter satisfacit suae obligationi; §. 111. et quamuis erret contra Legem particularem, error tamen est inuincibilis, et hinc non imputabilis. §. 113. Notandum est tamen, conscientiam non esse vere perplexam, si aut alterutrum non sit necessario agendum; tunc enim potest medium eligi, et actus periculosus omitti; aut si potest deponi perplexitas, ita, vt per diligentem rei discussionem altera oppositorum pars saltém probabiliter videatur esse a peccato immunis; tunc quippe ista est absque dubio amplectenda.

§. 121.

Sequitur denique IX. *Conscientiam debere in suo iudicio praeter legem aeternam et naturalem, illis se etiam accommodare Legibus, quas praeterea ad Deo*

Deo per se ferre, aut quarum rogandarum potestatem hominibus permittere placuit. Conscientia quippe est Legis aeternae, et consequenter etiam naturalis §. 98. applicatio ad casus indiuiduos §. 102. atqui Lex aeterna et naturalis pendet ab huius mundi hypothese §. 94. et 95. ergo etiam applicatio conscientiae inde pendet, adeoque debet se illi conformare: atqui mundi huius hypothese inuoluit etiam Leges diuinas et humanas in Lege aeterna et naturali quidem fundatas, sed tamen ab illa distinctas, vti in secunda parte Ethices de officiis monasticis, oeconomicis et ciuilibus demonstrabitur: ergo iudicium conscientiae se illis etiam legibus conformare et accommodare debet, tanto magis, quod ipsa Lex aeterna et naturalis non possit ab hypothese tales leges inuolvente pendere, quin simul inuoluat obligationem easdem Leges obseruandi, et per conscientiam ad casus indiuiduos applicandi.

SECTIO II.

PRACTICA.

§. 122.

Homo est Dominus actionum suarum per rationem et voluntatem: §. 52. ergo *Rex noster* vt bene ait Seneca (a) *est animus noster*. Cauendum vero, ne vnquam eius imperium in tyrannidem degeneret; namque re ipsa, *animus modo noster Rex est, modo Tyrannus*. *Rex, quum honesta iustuetur, - et nihil imperat turpe, nihil sordidum: ubi vero impotens, cupidus, delicatus est, transit in nomen detestabile, ac dirum, et fit Tyrannus.*

§. 123.

Regi, bene vt imperet, sapientia opus est, fortisque pectore. Iisdem praesidiis multo magis
Rex

(a). Epist. 114.

Rex noster, animus indiget. Suo pondere ad bonum trahitur voluntas; §. 23. et 61. modo si ratio bonum apparens pro vero haud obtrudat, nunquam a felicitatis tramite aberrabit. Excolendus igitur sapientia intellectus, et natiuae tenebrae pro viribus dissipandae. Misera semper est ignorantia, etiam quae vinci non potest: hanc autem vincere nolle, quam est, obsecro, non dicam a felicitate, sed ab hominis natura alienum? quam turpe? quam probrosum? Igitur summa quidem contentione in Iuris naturalis studium homo Philosophus incumbat, necesse est. Namque *ab illa (naturae institutione) non deerrare, et ad illius legem, exemplumque formari sapientia est.* (b)

§. 124.

Vides autem, quam malam et noxiam servitutem serviturus sit, quem voluptates, doloresque, incertissimae Dominae impotentissimaeque, alternis possidebunt. (c) Nimirum concupiscentia, et metus, si modum non tenent, pestes sunt sapientiae, quae excaecato intellectu voluntatem falsa boni specie delusam in pessima quaeque abripiunt, libertatem animi evertunt, rationemque folio detrudunt suo. §. 74. et 75. Igitur quamvis nondum beatus sit, proxime tamen a vera abest felicitate, *qui magno pere quidquam, et immoderate nec cupit, nec timet beneficio rationis.* (d)

§. 125.

Arduum hoc videtur? Sed enim omne honestum in arduo est; etiam quod vicinum honesto est: non enim tantum fieri debet, sed ratione fieri. (e) *Ceterum magnanimos nos natura produxit, dedit nobis gloriosum et excelsum spiritum, quaerentem,*
ubi

(b) Sen. de vit. beat. c. 3.

(c) Idem ibidem.

(d) Idem l. c.

(e) Sen. de benef. s. 18.

ubi honestissime, non ubi tutissime uiuat. - Possimus autem multum habere animi, libeat modo subducere iugo collum. In primis autem respiciendae sunt voluptates; eneruant, effeminant, et multum petunt. - Deinde spernendae sunt opes, auctoramenta sunt seruitutum. - Non potest gratis constare libertas. Hanc si magno aestimas, omnia paruo aestimanda sunt. (f) His ergo praesidiis munitus vir bonus, quod honeste se facturum putauerit, faciet, etiamsi laboriosum erit; faciet, etiamsi damnosum erit. Rursus, quod turpe erit, non faciet, etiamsi pecuniam afferat; etiamsi voluptatem, etiamsi potentiam. (g)

§. 126.

Haec omnia dum Ius naturae docet, uti ex hactenus tractatis manifestum est: tum enimvero, quantum id in hoc mundo fieri potest, beata est vita conueniens naturae suae, quae non aliter contingere potest, quam si primum sana mens est, et in perfecta possessione sanitatis suae. (h) Secus turpem scelerum seruit feruitutem. §. 124.

§. 127.

Ergo etiam Lex aeterna, et naturalis, et quae utriusque (ex dicendis suo loco) innititur, eamque fere nonnisi explicat, et nostrae conditioni accommodat lex positua tam diuina, quam humana, non est vinculum, sed adiumentum verae libertatis. Quid enim est libertas, nisi potestas uiuendi, ut uelis? Quis igitur uiuit, ut uult? nisi qui recta sequitur, qui gaudet officio, cui uiuendi uia considerata, atque prouisa est, qui Legibus non propter metum parat, qui nihil dicit, nihil facit, nihil cogitat denique, nisi libenter, et libere. (i)

§. 128.

(f) Idem Epist. 104.

(g) Idem L. de otio sapientis c. 2.

(h) Sen. de vit. beat. c. 3.

(i) Cicero Paradox. 5.

§. 128.

Ad hanc vt enitaris libertatem, Deus velut vitae Paedagogum *Conscientiam* addidit, tam sane blandum bonis, quam terribilem malis. *Quemadmodum enim conscientia rectae voluntatis maxima consolatio est rerum incommodarum: ita nec vllum est magnum malum, praeter culpam, eiusque conscientiam.* (1)

SECTIO III.

SCHOLASTICA.

Vtrum fas sit cum conscientia minus probabili operari, aut inter aequae probabiles opiniones vtrambilibet amplecti.

§. 129.

Viam huic quaestioni subintroducendae praemunimus per ea, quae de *conscientia probabili* dicta sunt §§. 106. 116. et 117. Nullum porro extat vestigium, hac de re aliquando disceptatum fuisse inter veteres: Verum hac etiam nostra aetate, et in moderna praeprimis temporum ratione inuidiosum nimis videtur eiusdem controuersiae ortum, progressum, et historiam texere. Sufficit scire, benignam opinionem Saeculo decimo sexto disseminari coeptam ab immenso deinceps sequentium agmine adoptatam fuisse, non ita tamen, vt non multos semper habuerit et grauissimi nominis aduersarios. Hodie autem, vti satis, superque notum est, passim non deseritur modo, verum etiam eliminatur auctoritate Superiorum. Ceterum maximi hanc quaestionem esse momenti, facile patet consideranti, homines ita limitato esse intellectu, vt in remotioribus I. N. principiis, et plurimis moralibus obligationibus rite definiendis saepe numero vltra verisimilitudinem eluctari nequidquam

(1) Idem L. 6. Epist. Fam. Epist. 4.

quam conentur, quae tamen ipsa motiuis contrariis haud raro magnopere eleuatur, aut in ancipiti ponitur; id quod vtrumque euidenter probant innumerae, quae istis de rebus etiam inter Doctos feruent controuersiae. Iam vero quid *Lex naturae* in hoc creberrimo euentu agendum praecipiat, non potest non esse grauis quaestio. Neque debet negligenter regula statui, quae tam late patet, vt in rebus moralibus vniuersalis merito dici possit. Nos autem hanc controuersiam examinaturi sumus non vtique ex Principiis Theologiae supernaturalis, in qua classe haec eadem quaestio magno animorum aestu agitur, sed ex fontibus propriis, Iuris naturae, et Philosophiae moralis.

§. 130.

Igitur audienda sunt in primis illorum argumenta, qui *Probabilismo* (ita enim vocatur benignior opinio, quum seuerior contra nomen habeat *Probabiliorismi*) addicti sunt. His autem fere nituntur: I. Qui sequitur sententiam vere, et tam *absolute*, quam *respectiue* probabilem, id est, quae et per se nititur fundamento graui, et etiam aduersae opinionis argumenta probabiliter elidit, agit prudenter: sed qui agit prudenter, agit congruo naturae humanae modo, quod si licet, §. 117. etiam licet sequi sententiam vere probabilem, siue illa cum aequae, siue cum magis probabili concurrat. Maior propositio probatur: Prudenter possum assentiri sententiae, cuius rationes sunt adeo graues, vt per oppositam opinionem licet magis probabilem non euertantur: atqui talis est in nostro casu sententia benignior; supponitur quippe, quod etiam respectu seuerioris sit probabilis. Hoc autem fieri posse patet imo. experientia tum doctorum, tum piorum hominum: Illi saepe fatentur, sibi aliquam sententiam v. g. quod liceat fortunae bona caede violenti et iniqui aggressoris tueri, videri probabilem, quamuis contrariam existiment verisimiliorem; Isti nunquid frequenter

probos iudicant, quos grauiora longe motiua improbitatis arguerent? Patet 2do exemplo staterae, in qua pondus leuius vim trahendi non amittit, sed manifeste exferit, quamuis pondus grauius simul impositum praeualeat.

§. 131.

II. *Ignorantia inuincibilis* tollit actum humanum et moralem: §. 58. et 83. Sed qui operatur ex principiis Probabilismi, (licet forte agat contra praescriptum legis) laborat ignorantia inuincibili, quia omni morali adhibita diligentia non potuit cognoscere malitiam in sua actione latentem: ergo eius actio, in quantum est inhonesta, non est humana, et moralis, consequenter nec imputabilis: adeoque licet agere ex principiis Probabilismi.

§. 132.

III. *Lex haud sufficienter promulgata* non obligat: atqui vbi datur opinio vere probabilis pro honestate actionis, *Lex* illam vetans non est sufficienter promulgata; latet enim magnam adhuc partem hominum; quin oppido incertum est, vtrum non, quod saepe fieri amat, sit falsa, et contra, quod nunc minus est probabile, aliquando sit certum futurum: ergo etc.

§. 133.

IV. In dato casu *Lex* saltem est *dubia*: atqui in dubio, vti ipsa dicunt iura, *melior est conditio possidentis, benignior pars sequenda, et interpretatio contra illum facienda, qui potuit legem clarius dicere*: relinquendus est igitur homo in *possessione suae libertatis*: neque potest ab illa per *Legem* mere dubiam deturbari.

§. 134.

V. Si *Ius naturae* induceret obligationem sequendi probabiliora, diuinae enimvero prouidentiae fuisset, *legem in moralibus tam late patentem*

tem saltem facere *verifimiliorem*, non ipsa; neque debuisset Deus permittere, tantus vt doctissimorum etiam hominum numerus circa regulam tam grauis momenti erraret: ergo cum tam magnum illorum agmen pugnet pro sententia benigniore, vt eam auctoritas extrinseca velut *moraliter certam* faciat; temerarium erit dicere, omnes hos caecos, et caecorum duces fuisse; impium autem, Deum humano generi in notitia veritatis adeo necessariae haud satis consuluisse.

§. 135.

VI. Ius naturae non obligat nisi *modo humano*: §. III. Atqui sententia rigida est obseruatu moraliter impossibilis; Namque obligatio *sequendi* probabiliora inuoluit etiam obligationem eadem *sciendi*, ac discernendi, cui rei quum nec doctissimus quisque sufficiat, qua poterit aequitate a vulgo exigi? Praeterea rigor ille tranquillitatem conscientiae turbat, innumeris anxietatibus ac scrupulis ianuam aperit, interque reipublicae et familiae membra plurima ponit seruandae pacis, tuendae famae, amplificandae fortunae obstacula. Denique quum nulla Lege ad amplectenda *meliora* adstringamur: vt quid obligatio obtruditur sola *verifimiliora* sectandi?

§. 136.

VII. Tota controuersia vltimato ad id deuoluitur; possitne ex sententia minus probabili *certum* erui *dictamen conscientiae*: atqui eadem omnino difficultas vexat sententiam seucriorem, quae licet sit probabilior, tamen potest esse *falsa*: non est ergo ratio illam benigniori opinioni anteferendi.

§. 137.

Sed enim nihil nos mouere eiusmodi rationes possunt: sit ergo

Propositio I.

Saluo iure naturae non licet sequi sententiam minus probabilem relicta probabiliore.

Probatur. Homo I. N. tenetur se Legi aeternae, et naturali, quin propter hanc etiam positivae tum divinae, tum humanae conformare, et quidem per dictamen conscientiae tale, quod sit *conforme humanae naturae*, et in quo fuerit *conueniens diligentia* adhibita, vtne a suprema illa regula aberretur: §§. 110. 111. et 121. atqui hoc non fit, si quis agat ex dictamine conscientiae sequentis sententiam minus probabilem relicta probabiliore. Namque agere conformiter suae naturae, et cum iusta diligentia, est procul dubio ita agere, vt potentiae rationales fite applicentur, et quantum est in homine proprium suum obiectum, Intellectus scilicet *verum*, et voluntas *bonum* attingant, a quo si ex nostra culpa deflectunt, *vitiose* deflectunt: atqui non rite applicantur, non attingunt suum obiectum, et ex nostra culpa, adeoque *vitiose* ab illo deflectunt, si deliberate applicantur ad amplectendum illud, quod heic et nunc potius *falsum* et *malum* videtur; id quod semper contingit, dum sequimur sententiam minus probabilem relicta probabiliore; ergo etc.

§. 138.

Confirmatur I. Iure naturae nefas est operari ex *conscientia dubia*, quia nimirum cum tali agens conscientia non est magis certus de honestate, quam de malitia suae actionis: §. 118. ergo multo minus licet dubium deponere per conscientiam minus probabilem, siue, quod idem est, sequi sententiam minus probabilem relicta probabiliore; talis est enim *plus, quam dubius*. Quippe quum prior ideo non possit agere, quia aequalitas rationum pro vtraque parte pugnantium *suspendit* prudentem assensum

sum alterutri praestandum; §. 107. et 118. posterior iam non haeret *suspensus*; sed *positiue iudicat*, id quod minus est probabile, esse probabilius falsum, et moraliter malum: ergo multo minus potest ex tali, quam ex conscientia dubia operari. Sit v. g. mercator, qui ob aequale rationum pondus diu dubitet, vtrum contractus, quem magno cum rei suae lucro posset inire, non sit vsurarius? Hic durante ista animi vacillatione non potest salua conscientia contrahere, vti conuenit apud omnes: Iam hic ipse rem de nouo tentat, et momentis in vtramque partem quam diligentissime ventilatis denique excutit rationes, ob quarum grauitatem *abstractiue* consideratam ipsi contractus quidem licitus videtur; sed ita, vt negare non possit eundem prioribus motiuis cum argumentis honestatem impugnantibus *comparatis* multo probabilius esse vsurarium. In hoc casu mercator contractum, quem antea salua conscientia non poterat inire, quamuis de eius honestate tantum *dubitauerit*; nunc demum posset ex mente Aduersariorum licitum credere, et sine vlla culpa inire, postquam non iam *dubie*, neque tantum *probabiliter*, sed *probabilius* omnino atque *verosimilius* eundem vsurarium esse cognouit. Quid vero est paradoxum, si hoc non est?

§. 139.

Confirmatur II. Vltimum dictamen conscientiae, quemadmodum omnes consentiunt, debet esse *certum*; quia nimirum est actus *Prudentiae*, siue *Virtutis intellectualis*, qua secundum Aristotelem (m) *anima dicit verum affirmando, vel negando*. Sed sequens sententiam minus probabilem non potest habere dictamen certum conscientiae; namque illud, quod statuunt Aduersarii, v. g. in casu mox posito: *Qui agit, quod omnibus consideratis prudenter iudicat licitum, non peccat: atqui ego mercator omnibus consideratis prudenter iudico istum*

(m) L. 6. Eth.

contractum esse licitum: ergo illum ineundo non pecco. In isto, inquam dictamine (supposito, quod mercatori contractus probabilius vsurarius esse videatur: minor propositio non potest esse certa; quippe euidenter supponit aliam propositionem certam, nimirum, quod *nulla sit obligatio sequendi probabiliora, vel operantem ex sententia minus probabilis agere prudenter:* sed hoc suppositum non potest esse certum, hoc ipso, quia dubitari nequit, quin nostra Sententia, quae haec omnia rotunde negat, sit intrinsece, et extrinsece, directe, et reflexe, si non propter hodiernum fere vnanimem Doctorum consensum moraliter certa; si non probabilior; saltem, quod ne quidem Aduersarii inficiari possunt, *vere probabilis:* atqui vbi inter duas contradictorias propositiones altera est probabilis; altera non potest esse certa: ergo nec *dictamen* ex illa subsuscens potest esse certum; consequenter non licet ex tali conscientia operari. Igitur

S. 140.

Ad I. benignioris opinionis argumentum *negam maiorem.* Probationem *distinguo:* Benignioris sententiae rationes sunt adeo graues, vt per oppositam probabiliorem *abstractius* consideratam non euertantur, *concedo: comparatiue* consideratam, *nego.* Sic enim sententia minus probabilis *nihil veritatis;* sed tantum *aliquid falsitatis* retinet. Nempe non possum sententiam aliquam agnoscere tanquam *probabiliorum,* quin simul, quamuis cum formidine iudicem, id, quod docet, *esse verum:* atqui non possum iudicare aliquid esse *verum,* absque eo, vt eodem mentis actu (licet in nostro casu iterum cum formidine, multo tamen minore) iudicem oppositum, siue id, quod docet sententia minus probabilis, esse *falsum:* ergo in *concurso* vtriusque sententiae opinio minus probabilis tantum *aliquid falsitatis* habet, adeoque eius ratio *euertitur;* et consequenter, quia, vt prudenter agam, necessario quidem vtriusque sententiae motiua ob oculos ponenda sunt, non possum licite sequi

sequi sententiam, quae mihi in concursu non nisi aliquid falsitatis habere videtur. Itaque illud etiam falsum est suppositum, fieri posse, vt opinio benignior et simul minus probabilis in concursu et comparatione cum seueriore et simul magis probabili sit, et maneat respectu huius vltimae vere moraliter probabilis. Enimuero moraliter probabile illud solum est, quod potest a mente humana merito approbari, id est, cui animus prudenter potest adquiescere: hic vero, quum in illis, quae non sunt penitus certa et explorata, ad probabiliora, nativo maioris verisimilitudinis pondere trahatur; non potest sane in minore illa verisimilitudine adquiescere: atqui non posse, non velle adquiescere, est sane improbare aliquid, non approbare. Paradoxum est autem, fas esse homini ea sequi, quae propria eius mens, et conscientia improbat. Neque vero euincunt aliquid ea, quae adiecta sunt, argumenta: Ad 1mum respondeo Doctores illos aut non loqui nisi de sententia minus probabili abstractiue considerata: aut, si sunt ipsi ex Aduersariorum numero, nihil probare, quum sint testes in propria causa, contra quos omnia nostra pugnant argumenta. Ad 2dum disparitas est ex S. Thoma: (n) Nimirum in iudicio de rebus, quod, quaecumque est, illis haud nocet, tantum attenditur ad bonum iudicantis, quod est veritas; et ideo, ait S. D. vnusquisque debet niti ad hoc, vt de rebus iudicet, secundum quod sunt. At in iudicio de hominibus attendendum est bonum iudicandi, vtpote de cuius honore agitur, et hinc, dum manifesta in contrarium ratio non apparet, potius iudicandum est, quod sit bonus; quia tale iudicium, etsi forte falsum, non pertinet ad malum nostri intellectus, sed potius ad bonum affectum; Nam sicut ad perfectionem intellectus minime spectat cognoscere veritatem singularium contingentium; ita affectus per eiusmodi errorem ex charitate factum magis perficitur. Ad 3tium dico: Quemadmodum foret

contra rationem iustae fraterae, si pondus leuius praenaleret: ita futurum esse contra I. N. si sententia minus probabilis animum potius ad se traheret, quam verifimilior: deinde pondus fraterae maius non impedit positionem, et consequentes aliquam attractionem ponderis minoris, quia haec duo sibi non opponuntur, neque se inuicem excludunt: sed maior verifimilitudo in concursu, vti ostensum est, absorbet minorem, cui tantum aliquid falsitatis relinquit, quae ad prudentem assensum, et actionis honestatem sufficere nulla ratione potest.

§. 141.

Ad II. *Concedo maiorem, nego minorem.* Si huius generis ignorantia *invincibilis* censenda est, et excusat a peccato: licebit vtique a potiori agere ex conscientia dubia, vbi malitia actionis saltem non est verifimilior, qualis heic habetur. Tantum abest, vt eius cognitio desit. Vide §. 138.

§. 142.

Ad III. *distinguo minorem:* Talis lex *particularis* non est sufficienter promulgata; *transcat:* Lex *generalis* agendi conformiter naturae humanae, et consequenter verifimiliora sequendi, vbi certitudo haberi nequit; §. 137. *nego.* Neque obest, quod opinio probabilior re ipsa possit esse falsa: Lex quippe naturalis tantum obligat modo humano, et secundum prudens dictamen propriae vnus-cuiusque conscientiae. §§. III. 113.

§. 143.

Ad IV. *distinguo maiorem:* Lex ista *particularis* est dubia; *transcat:* Lex *generalis* §. praec. explicata, *nego.* Ad argumenta in minore propositione cumulata dico, illud Iuris axioma habere locum in *materia Iustitiae*, quando inter duos colligantes, quorum vterque pro se habet *ius dubium proprietatis*, *possessor rei* praeterea alterum superat per *ius certum possessionis*, bona, vti supponitur, *fide*

fide munitum; cuius utique melior, et talis est conditio, ut merito praeferatur *non possidenti*, idque tanto magis, quod alinnde non expediat, res vagari incertas, aut perpetuis litibus subiacere, atque etiam supremus Magistratus, ex dicendis suo loco, propter talem causam vi iuris alti rerum Domina transferre possit. At vero quis hanc Aduersariis concessit potestatem, ut dispositionem legis humanae propria et priuata auctoritate extendant ad Legem diuinam, ac naturalem; et quidem absque omni solida ratione? Enimvero ipsa illa, quam iactant *possessio moralis libertatis*, dubia est, et neuiquam certa: Quippe dubitare, utrum v. g. hic vel ille contractus iure naturae sit licitus, quid est, quaeso, aliud, quam dubitare, *utrum possideas moralem eundem celebrandi libertatem?* Reliqua porro, quae afferuntur, axiomata non habent locum aduersus legem irrefragabilem omnia agendi conformiter naturae humanae, adeoque verifimiliora sequendi.

§. 144.

Ad V. respondeo, satis nobis prouisum esse a diuina sapientia, dum, qui *grauissimi* erant inter Doctos, nullo non tempore pro nostra pugnarunt sententia. Quod si aeuo superiore plures e partibus Aduersariorum steteret, nescio ego quidem, sitne haec multitudo tanti facienda, merito ut sibi gratulentur. Notum est, qualis fuerit ea aetate litterarum facies: enimvero grex se inuicem excipientium numerum facit; at pondus addit modicum, vel nullum. *Iactatam* vero certitudinem, quam ex defensorum numero exculpare conantur, vel ipsa satis evertit solitudo, in qua nunc quidem benignior opinio relinquitur §. 129. ut nihil dicam de fructibus, quos tulit, et ex quibus non vanum de illa ferri potest iudicium. Certe multi, iidemque vasti passim extant apud Auctores propositio-num catalogi, quas ceu malos malae arboris furculos damnationis cultro amputare debuit custos sanae doctrinae S. Mater Ecclesia, ut adeo potiori
iure

inre inuerfa quaestione interrogemus ab Aduersariis; fuerintne omnes illi caeci, caecorumque ductores, qui ad Saeculum vsque decimum sextum, et hodie fere vniuersi vno docent ore, nefas esse sequi opinionem probabilem relicta probabiliore?

§. 145.

Ad VI. *nego minorem*, cui testimonium omnium illorum contradicit, qui se ad regulam nostrae sententiae componunt; et tamen tranquilla gaudent conscientia, pacem colunt, familiae consulant etc. Porro autem *obligatio sciendi probabiliora* humano est modo intelligenda; id est, talis requiritur in iisdem discernendis diligentia, qualis in re grauis momenti solet a prudentibus adhiberi, quae quidem si iusta videtur in reliquis huius vitae negotiis, in quibus nemo est, qui non sectetur verisimiliora; cur similis industria ardua nimis creditur, quando de implenda Numinis lege, et nostra ipsorum aeterna agitur beatitate? Quid, quod raro admodum eueniat ille concursus sententiae minus probabilis cum probabiliore, modo si non (quod benignioris sententiae Patronis superiore aeuo solenne erat, atque etiam gloriosum videbatur) quis toto velit in id studio incumbere, vt quidquid alii vno ore vetitum proclamant, id ipse ratiunculis nescio vnde petitis probabilitatis quadam specie cohonestet, et licitum iactet. Constat certe cuiusque quotidiana experientia, fere nobis res simpliciter tanquam licitas, vel illicitas proponi. Ad id, quod additum est, respondeo, *Bonum esse diuisibile*; neque enim, quod opponitur *meliori*, propterea *malum* est, sed saepe manet *bonum*, vt adeo *Voluntas* postremum hoc eligendo nondum feratur extra orbitam sui obiecti: contra autem *Verum est indiuisibile*, quia non datur *verum vero verius*; hinc *Intellectus* semper ad illud tendere debet, ne a suo obiecto aberret, adeoque si non potest elactari ad *Verum certo tale*; saltem illud amplecti debet, quod est *vero proximius*, seu *probabilius*.

§. 146.

Ad VII. *Nego suppositum*, quod in nostra sententia certitudo ultimi dictaminis innitatur maiori opinionis probabilitati. Ideo certum est, quia negare nemo potest, quod sequens verifimiliora, ubi certitudo haberi nequit, agat omne id, quod humano modo agere potest; et consequenter satisfaciat suae obligationi. Vide dicta §§. III. 113. et 116.

§. 147.

Propositio II.

In concursu duarum opinionum aequae probabilitatis, tutior, siue a peccandi periculo remotior est amplectenda.

Probatur. Non licet agere ex conscientia dubia: §. 118. atqui in hoc casu conscientia est vere dubia: ergo. *Minor probatur* ex notione conscientiae *positivae dubiae* tradita §. 107. quam magis confirmat S. Thomas, qui Dubium exactissime describit (o) dicens illud adesse, *quando intellectus non magis inclinatur ad unum, quam ad aliud propter defectum moventium, - - vel propter aequalitatem eorum, quae movent ad utramque partem.* Ergo quia hoc ultimum in nostro casu contingit, ita quidem, ut, quemadmodum supponitur, neutra pars possit reddi probabilior; non licet ex tali conscientia agere, neque adeo superest aliud, quam ut sequamur regulam toties a SS. Canonibus praescriptam, et ex ipso I. N. desumptam, nimirum: *In dubiis eligendam esse semitam tutiorem.* Quippe ridiculi mihi videntur, contententes in hoc rerum cardine intellectum a voluntate pro libitu posse ad partem vtramlibet determinari. Quaero siquidem, qua prudentia fieri possit determinatio,

(o) De Verit. Q. 14. A. 1.

minatio, quae rite loquendo ita sonaret: *Quamuis nulla me ratio moueat, vi cuius merito credere possim, hunc v. g. contractum potius esse licitum, quam prohibitum: volo tamen potius eundem licitum iudicare.* Idne est, quaeſo, ſecundum merita cauſae? idne prudenter iudicare? An non potius eſt dicere: *Libet nunc contractum inire, ſiue permiſſus, ſiue prohibitus ſit a Deo?* quae quidem eſt ipſa illa malitia actionis ex *conſcientia dubia* patratae §. 118. Ad iuris vero axiomata necquidquam prouocatur, quae propius inſpecta non niſi de dubiis facti loquuntur, quando nimirum agitur vel de poena remittenda, vel de reo contra actorem in foro ciuiliſ iudicii tuendo: atqui tutius eſt ſontem dimittere impunitum, quam ſe periculo exponere puniendi innocentem; tutius eſt reo fauere, quam actori; quia multo eſt prouius hunc inuidia, vel auaritia ad ſuſcitandas lites moueri. Ipſa ergo Iura in dubiis *ſemitam ſequuntur tutiorem.* Alias Obiectiones haud moramur, ex poſitis hactenus principiis facile ſoluendas.

§. 148.

Corollarium. Quando quis ex officio tenetur non ſolam *probabilitatem*, ſed *veritatem* ſectari; Hinc v. g. ſi agitur de valore Sacramenti, nefas eſt, ſaltem extra caſum ſummae neceſſitatis adhibere materiam etſi probabilius; non tamen certo validam; Nefas eſt Medico omiſſis pharmacis certis vti probabilibus, vel probabilioribus, ſiquidem iſta nocere quocunq; modo poſſunt; Nefas eſt Iudici in cauſis criminalibus condemnare hominem non niſi probabilius reum. Quippe officii ratio a quolibet illorum exigit, vt Miniſter Sacramenti agat ex inſtitutione Chriſti, et SS. Myſteria nulli profanationis aut valoris discrimini exponat; Medicus ex praſcripto artis ſanitatem aegro reſtituere curet, non autem artis periculum in illo faciat; Iudex poteſtate ſibi, non niſi in ſontium vitam et membra communicata, haud abutatur: atqui

atqui nec institutio Christi nec sanitas aegroti, nec crimen hominis suspecti pendet ab hominis opinione, quae potest esse falsa, licet sit probabilior, sed a natura, et veritate rei; huic ergo quisque ad sectandam veritatem obligatus debet tutiorem amplectendo viam sese accommodare, neque propter suam opinionem SS. Mysteria profanationi, aut aegri salutem, suspectivae de crimine incolumitatem discrimini exponere. Sed enim his de rebus fusius agere Theologorum est.

CAPUT III.

ARETOLOGIA,

SIUE

DE VIRTUTIBUS, ET VITIIS
OPPOSITIS.

SECTIO I.

DOGMATICA.

ARTICULUS I.

DE VIRTUTIBUS ET VITIIS
IN GENERE.

§. 149.

Actiones humanae liberae sunt *morales* per respectum, quem habent ad regulas morum, id est, sunt *laudabiles*, si sint conformes fini hominibus praestituto, et recto ad eum tendendi modo: *vituperabiles* autem, si in alterutro deficient. §. 77. 78. etc.

§. 150.

Isti actus *morales frequentati* pariunt *habitum*, seu *promptitudinem ad similes actus exercendos*; uti supponitur ex *Psychologia*. Huiusmodi vero habitus

bitus in actionibus laudabilibus propria acceptione vocatur *Virtus*; in vituperabilibus *Vitium*. Quamvis enim metaphorica significatione ista vocabula vario sensu adhibeantur, et ob verborum inopiam quilibet actus moraliter laudabilis communi sermone virtus appelletur: stricte tamen loquendo Philosophi tam *Virtutis*, quam *Vitii* nomine solum *habitus* designant: *actum* vero vitiosum *Peccatum* dicunt.

§. 151.

Ergo *Virtus in genere est habitus potentiam aliquam hominis ad actus laudabiles faciliter exercendos disponens*: et contra *Vitium in genere est habitus potentiam aliquam hominis ad actus vituperabiles exercendos proclivem faciens*. §. praec.

§. 152.

Habitus eiusmodi non solum nascitur ex actibus moralibus frequentatis; §. 150. verum etiam tendit ad actus morales similes, quippe ad quos exercendos promptitudinem inducit: §. praec. ergo easdem debet disponere *potentias*, quae sunt principia actuum moralium: ex parte hominis sunt *potentia cognoscitiva intellectus, et electiva voluntatis liberae, seu indifferentia arbitrii praeditae*: §. 79. ergo tam *Virtus*, quam *Vitium* istas praecipue potentias disponere debet.

§. 153.

Duo igitur sunt praecipua virtutum genera, unum illarum, quae *intellectum in vero inuestigando adiuvant*; et istae vocantur *intellectuales*: alterum earum, quae *voluntatem promptam reddunt ad eligendum bonum*; et istae *morales* dici solent. §. praec. Eodem autem modo in sensu contrario est de *Vitiis* loquendum.

§. 154.

Consequenter *Virtus intellectualis in genere est habitus intellectum humanum disponens ad facilius cogno-*

cognoscendum verum: Virtus vero moralis est habitus voluntatem humanam disponens ad promte amplectenda, et agenda ea, quae sunt moraliter bona. Atque e conuerso Vitium intellectuale est habitus intellectum disponens ad falsa pro veris habenda; Morale, voluntatem ad agenda moraliter mala inclinans.

§. 155.

Praeter intellectum et voluntatem *rationalem*, in homine est etiam facultas tum cognoscendi, tum appetendi *sensualis*. §. 62. quae vltima, siue facultas appetendi sensitua, experientia teste haud minus dirigitur a facultate cognoscendi sensitua, quam voluntas rationalis ab intellectu eiusdem ordinis gubernatur, ita quidem, vt si facultas cognoscendi sensualis aliquid repraesentet tanquam *bonum*, id *appetamus*, et a contrario si quidquam vt *malum* proponat, hoc ipsum *auersemur*. Isti motus facultatis sensituae, qui hoc ipso solent esse vehementiores, quia freno rationis non cohibentur, et saepe etiam cum extraordinaria sanguinis, et fluidi neruei commotione, variisque spirituum agitationibus coniunguntur, ita vt non raro totus exterior oris habitus per illas immutetur, vulgo dicuntur *Passiones*; a Philosophis autem vocantur *affectus animi*; et definiuntur *Actus vehementiores appetitus sensitui et auersationis sensituae*. Quoniam vero contrariorum eadem est disciplina, ad internoscendos facilius facultatis sensituae actus iuuat *Appetitum* in genere, et latius acceptum, ita vt sub illo etiam *auerfatio* comprehendatur, diuidere in *Concupiscibilem*, et *Irascibilem*. Ille versatur circa *bonum* et *malum secundum se* spectatum; iste circa *bonum obtentu*, et *malum vitatu arduum*. Prioris actus sunt sex numero 1. *Desiderium*, vel 2. *Fuga* circa bonum vel malum *absens*; 3. *Gaudium* vel 4. *Tristitia* circa *praesens*; 5. *Amor*, vel 6. *Odiu* circa *utrumque*. Posterioris actus quinque numerantur: Respectu *boni ardui absentis* habetur 1. *Spes*, si videatur obtentu *possibile*; 2. *Desperatio*; 3. *Timor*, si videatur obtentu *impossibile*; 4. *Tristitia*, si videatur obtentu *impossibile*; 5. *Desperatio*, si videatur obtentu *impossibile*. P. Schwarzhueber Eth. P. I. G. Sperati

speratio, si impossibile. Respectu mali absentis vitatu ardui, exurgit 3. *Timor, si ineluctabile videatur;* succrescit autem 4. *Audacia, si tanquam eluctabile proponatur.* Denique respectu mali praesentis vitatu ardui sequitur 5. *Ira, cui in appetitu Irascibili nulla respondet, et opponitur passio;* namque deberet illa circa bonum arduum praesens occupari; sed bonum praesens, et consequenter adeptum non iam potest habere rationem ardui. Vid. S. Thomas 1. 2. Q. 23. A. 4. in Corp.

§. 156.

Istae Passiones (hoc enim nomen in Ethica merito retinemus) sunt in natura hominis fundatae, vti supponitur ex Psychologia, et facile patebit accuratius consideranti, quae diximus §. praeced. ergo sine Creatoris iniuria dici nequit, *illas esse ex natura sua malas;* quod magis adhuc inde manifestum redditur, quod sint actus appetitus sensitivi §. praec. et hinc non sint actus humani, nec morales, sed non nisi actus hominis, §. 62. et 84. multo igitur minus habitus, adeoque nec inter virtutes, neque inter vitia locum habere possint; §. 150. eodem modo, quo etiam mere naturalis quorundam *propensio* ad actus bonos, v. g. misericordiae vel sobrietatis, nondum virtus vocari potest. Igitur errarunt Stoici, errant etiam illi ex hodiernis Nouatoribus, qui hos omnes animi motus etiam indeliberatos moraliter malos dicunt, illosque simpliciter non nisi pro morbis et vulneribus humanae mentis, proque veris peccatis habent.

§. 157.

Actus hominis, quales sunt actus appetitus sensitivi, §. praec. saepe transeunt in actus humanos: §. 63. quod vbi fit, homo est illorum Dominus per rationem et voluntatem. §. 52. Tunc igitur Passiones possunt regi arbitrio rationis: debent ergo regi vt debitum ordinem ad finem teneant, §. 78. tantoque id magis, quod tanquam
actus

actus vehementiores §. 155. experientia teste per se quidem apti natique sunt ad intellectum perturbandum, et voluntatem velut violenter abripiendam: vide dicta §. 71. 74. 75. etc. atque etiam si sana ratione rite gubernentur, idonea sint, et efficacissima virtutis instrumenta, sine quibus illa non potest non languere; id quod patet, actus appetitus tum concupiscibilis, tum irascibilis §. 155. recensitos attentius consideranti.

§. 158.

Est igitur virtutis officium, ut ad passiones etiam regendas serio incumbat, maxime postquam propter naturam peccato corruptam, vti docet reuelatio, in malum sunt procliuiores. Neque enim sine isto regendarum Passionum praesidio ipsa Virtus intellectum ad cognoscendum verum, voluntatem ad amandum bonum, ipsumque hominem ad bene agendum vniquam satis poterit disponere. §. 153. Porro autem in subingandis Passionibus nos Christi etiam gratis omnium maxime adiuuari, iterum infallibili fide docemur: Sunt ergo Passiones (in quantum arbitrio rationis subiacent, §. praec.) Subiectam Virtutum.

§. 159.

Igitur quum motus sensitivi appetitus pendeant a facultate cognoscendi sensuali, haec autem a vero, vti ex Logica et Psychologia supponimus, non aberret, nisi propter ideas *obscuras, confusas etc. de vero bono, aut malo: inprimis Virtutum intellectualium est, eiusmodi erroribus per ideas claras distinctas etc. mederi, cuius rei modus in Logica exactius tradi consuevit. Quoniam vero emotae semel Passiones propter vehementes, quas in organis corporeis faciunt, immutationes §. 155. ne sic quidem satis solent conualescere; erit Virtutum moralium, easdem negato consensu retundere, aut intellectu ad alia auerso hebetare, aut illis opportuna ratione fomitem subtrahere, quo nimium accendi consueuerant. §. 154. Sicut*

e contrario iisdem incumbit virtutibus aptas *excitare* passiones, quoties ad id valere possunt, vt potentiam aliquam ad bonum faciant promptiorem ac propensioem. Quippe iisdem actum humanum etiam augeri, insinuaturn est §. 74.

§. 160.

Ex dictis colliges, Virtutes *intellectuales* subseruire *moralibus*; vt vero cognito falsa boni specie non decipiantur: quare totum quidem Ethicæ momentum, cuius nimirum est mores hominum ad rectæ rationis regulas componere, Prol. §. 1. in iisdem *moralibus* est virtutibus fitum, quæ voluntatem ad ea, quæ moraliter sunt bona, prompte amplectenda, et agenda disponunt. §. 154. Igitur exactius paulo *virtutis moralis in genere spectatæ proprietates* sunt exponendæ. Porro autem quum *moralitas* actionum omnium, adeoque etiam virtutum §. 149. et 150. fundetur in *conformitate ad finem*, et *recto ad illum tendendi modo* §. 78. necesse est, vt ex istis principiis etiam *proprietates Virtutis* deriuentur.

§. 161.

Atque in primis vt in quocunq; demum *virtutis moralis* habitu perfecta conformitas ad finem, et *perfectus* ad illum rite tendendi modus seruetur, opus est I. *perfecta discretione* quantum ad electionem ipsius finis, et mediorum; et hoc pertinet ad *Prudentiam*. II. *Perfecta rectitudine*, vtne quid agatur cum iniuria alterius; et hoc spectat ad *Iustitiam*. III. Debent omnia fieri cum *perfecta moderatione*, quod est *Temperantiæ* munus. IV. denique ipsius virtutis exercitationi cum *perfecta animi firmitate* insistendum est, quod *Fortitudini* incumbit, quemadmodum hæc omnia inferius suo loco exponemus. Iam vero quum in hisce quatuor velut *cardinibus* omnis virtus moralis voluatur, ita, vt omnium reliquarum moralium virtutum sint fontes atque radices, et propterea etiam *Virtutes cardinales, ac principales* dicantur: plane sequi-

sequitur omnes virtutes morales perfectas esse iniunctas connexas, quod idem ex Aristotele S. Thomas (a) docet: adeoque prima proprietas virtutis moralis in genere spectatae est, quod habens unam virtutem in gradu perfecto etiam omnes alias in tali saltem mentis dispositione habeat, vi cuius oblata occasione etiam illarum, quas nondum exercendi facultatem nactus est, habitum facile aquirat.

§. 162.

Corollarium I. Ista connexio haud pari modo inuenitur in *Virtutibus intellectualibus*; illarum enim materiae sunt dispersae, vti patet in tot artibus et scientiis, quae nonnisi in generalissimis principiis conueniunt.

§. 163.

Corollarium II. Eadem connexio haud obtinet in *virtutibus moralibus imperfectis*; quotidie siquidem experimur, multos esse v. g. *liberales*, qui minime sunt *casti*. At vero tum quidem liberalitas hoc ipso non est *perfecta*, quia propter defectum Prudentiae, Iustitiae, Temperantiae etc. qui supponitur, saepe numero eueri potest.

§. 164.

Corollarium III. Neque ex illa virtutum connexione sequitur omnia etiam vitia esse connexa; namque intentio agentis secundum virtutem, vti bene obseruat S. Thomas, (b) est sequi *regulam rationis*, quod fieri non potest, nisi moralis actus sit conformis fini, et recto ad eum tendendi modo; §. 78. atque hoc ipso, si tamen perfectus sit, omnium in se virtutum radices, et cardines complectetur: §. 161. contra intentio peccantis, saltem directa, non est recedere a *recta ratione*; sed aucupari aliquod bonum apparens: §. 5. Bona autem apparentia sunt dispersa, nullamque habent inter se connexionem: ergo etc.

(a) 1. 2. q. 65. A. 1.

(b) 1. 2. q. 73. A. 1.

§. 165.

Corollarium IV. Multo minus ex eadem virtutum connexionione inferri potest *stoica illa aequalitas sine omnium virtutum, sine vitiorum*: Quippe negari nequit, obiectum in illis esse vnum altero nobilius; in his deterius: atqui ex hac obiectorum inaequalitate necessario sequitur virtutum quoque, et vitiorum inter se inaequalitas; quippe tam finis operis, quam operantis, in moralibus dant speciem actui. §§. 86. et 87.

§. 166.

Perfecta illa ad finem conformitas, rectusque ad eundem tendendi modus, de quibus supra §. 161. necessario requirit, vt teneatur *medium* a ratione ita omnibus circumstantiis attemperatum, vt neque *excedatur* in aliquo, neque agens a iusta rationis mensura *deficiat*: ergo *secunda moralis virtutis proprietas est, quod in medio consistat*. Hoc enim sublato vel a fine deflectitur, vel modus certe non tenetur, consequenter actus hoc ipso cessat esse laudabilis, adeoque definit esse virtus. §. 149. 150. Hinc a contrario *Vitium semper excessu laborat, vel defectu*; est enim habitus actuum moraliter vituperabilium §. 151. Vituperabilis autem fiunt actus propter difformitatem vel a fine, vel a recto ad illum tendendi modo: §. 77. et 78. atqui *a modo* non deflectitur, nisi plus minusue iusto fiat; et *a fine* nemo deuiat, nisi bono aliquo apparente seductus §. 5. et 6. quod iterum fieri nequit, nisi aut cupiditati nimium indulgeatur, aut negligentia admittatur in discernendo vero bono: ergo etc.

§. 167.

Quamprimum a debito fine vel modo deflectitur, actus, quamuis de se, et in sensu abstracto laudabilis, in concreto definit esse virtus, et incipit esse vituperabilis ac vitiosus; ex §. praec. et 86. etc. qualis etiam tamdiu perseverat, quamdiu
, ille

ille defectus non tollitur: ergo *tertia* proprietas virtutis moralis in genere, atque etiã a contrario vitii est, quod illa nemo male; hoc nemo bene vti possit. Vide etiam dicta §. 88. ad finem.

§. 168.

Corollarium. Actus virtutis et vitii secundum suam naturam spectati specie distinguuntur secundum suos habitus; Numero autem vel secundum subiecta, vel secundum terminos, vel secundum intervalla durationis. Ratio prioris est, quia quot sunt habitus, tot sunt obiecta distincta operis respectu actuum, vti per se patet: atqui obiecta in moralibus dant speciem: §. 86. ergo. Dixi tamen secundum suam naturam spectati, id est in abstracto; §. eodem 86. nam in concreto idem vtiq̃ue obtinet in actibus virtutum et vitiorum, quod in actibus moralibus humanis. vide §. 87. et 88. Ratio posterioris est, quia individualis laudabilitas vel vituperabilitas eiusdem speciei ex positis hactenus principiis multiplicatur: 1mo. secundum subiecta, si v. g. integra familia temperantiae leges in conuiuio seruet, vel infringat; 2do. secundum Terminos, si v. g. Paterfamilias plures liberos ad pietatis normam instituat, vel exemplo suo ad mala patranda inducat; 3tio. secundum intervalla durationis, si quis e. c. eundem amoris actum erga Deum notabiliter interruptum, saepius repetat aut reassumat, vel cupiditatem vindictae, iam sopitam, aut retractatam iterum de nouo suscitet. Sed plura de his Theologi morales.

ARTICULUS II.

DE VIRTUTIBUS, ET VITIIS INTELLECTUALIBUS IN SPECIE.

§. 169.

Virtus intellectualis in genere est habitus intellectum humanum disponens ad facilius cognoscendum

verum. §. 154. Verum istud potest esse vel speculativum, vel practicum: ergo ex his geminis fontibus deriuandae sunt species virtutis intellectualis.

§. 170.

Verum speculativum I. potest versari circa prima principia, quae per se clara, et reliquis omnibus cognitionibus pro fundamento substrata sunt: et ista quidem Virtus vocatur Intelligentia, estque habitus quo generalia, et per se nota principia facile cognoscuntur; ipsa vero haec principia vocantur theoretica, si soli speculationi subseruiunt, v. g. idem non potest simul esse, et non esse, et tum sunt proprie huius loci: Synthetica autem dicuntur, si regulas morum attingant; v. g. quod tibi non vis fieri, alteri ne feceris; et tum magis pertinent ad verum practicum, et ad Prudentiam, de qua infra. Intelligentiae per excessum opponitur Acribia, seu in rebus certis nimia, vt ita dicam scrupulositas; per defectum principiorum ignorantia.

§. 171.

Verum speculativum II. potest versari circa conclusiones ex primis principiis deductas; et siquidem istae attingunt res, quae in suo tantum genere sunt ultimae; tunc ista virtus vocatur Scientia, quae est habitus demonstrandi, siue asserta inuictis, et eidentibus argumentis superstruendi; huic per excessum opponitur nimia in rebus scitu impossibilibus, aut inutilibus subtilitas; per defectum Error. Illud etiam inde consequitur, Opinionem non habere locum inter virtutes intellectuales; quia eiusmodi virtus se habet determinate ad bonum intellectus, quod est verum; Opinio autem etiam potest esse de falso: §. 106. ergo etc. Vide dicta §. 139.

§. 172.

Quodsi autem conclusiones ex primis deductae principiis attingunt res non in suo tantum genere; sed in tota cognitione humana ultimas, id est, ad
quas

quas vltimo possumus peruenire: tunc ea virtus nomen habet *Sapientiae*, et est *habitus cognitionis rerum altissimarum per causas altissimas*, siue, ut alii sensu minime diuerso definiunt, *Scientia cum finibus optimis connectendi media optima*: Regnat autem inter *nimiam*, et in dono admodum raro *nimum frequentem Sapientiae persuasionem*; et *stultitiam*, quae stupida est animi ad minuta et flocci studia abiectio.

§. 173.

Verum practicum vel factibilia (vt cum scholis loquar) respicit, vel *agibilia*. Circa priora occupatur Virtus, quae *Artis* nomine venit, siue *habitus res, quae solius naturae beneficio effici nequeunt, per mentis, aut corporis vires secundum infallibiles regulas efficiendi*, cui opponitur tum *nimia scrupulositas*, tum *supina negligentia*.

§. 174.

Agibilia dirigit *Prudentia*, quae est *Habitus media ad finem aliquem obtinendum bene excogitandi*. Sed ista virtus quae ita *generaliter*, et in ordine ad *quemlibet finem* accepta inter quatuor reliquas *Intellectuales Intelligentiam, Scientiam, Sapientiam*, et *Artem* est vltima, ac quinta; Prima numeratur inter *morales*. Igitur fit

ARTICULUS III.

DE VIRTUTIBUS, ET VITIIS MORALIBUS IN SPECIE.

§. 175.

Quatuor *virtutes cardinales* sunt fontes et radices omnium reliquarum *virtutum moralium*: §. 161. ergo nulla est harum, quae non ad istas reduci possit. Hinc compendio quodam de moralibus tractaturi virtutibus merito cardinalium naturam paulo solent exactius tradere; quoniam positis earum

earum principiis facile reliquarum etiam incholes perspicitur. Eandem et nos viae brevitatem sequuturi *cardinales virtutes* ordine suo explicare aggredimur.

§. 176.

Prima inter illas est *Prudentia*, non generaliter spectata, de qua diximus §. 174.; sed *specialis*, quae intellectum in rebus agibilibus *moralibus* illustrans consequenter etiam voluntatem dirigit non ad finem quemcunque, sed *ultimum* saltem *mediate* assequendum; quum enim primum actus humani moralis, et laudabilis, siue Virtutis principium sit potentia cognoscitiua intellectus, qua Voluntas, tamquam potentia caeca dirigitur. §§. 56. 77. 79. 84. 149. et 150. huius autem recta ordinatio ad finem per idonea media obtinendum, ex nunc, et antea §§. 161. et 174. dictis, spectet ad Prudentiam: sequitur, quod ista inter virtutes morales *cardinales primo* sit loco collocanda.

§. 177.

Vt autem Prudentia hoc suo munere rite fungatur, opus est in primis, *ut inueniat media ad finem*: primus ergo illius actus est *Consultatio*, quae iterum specialis est virtus, Graecis *Eubulia* dicta. Deinde necesse est, *ut inter inuenta media apta ab ineptis discernat, et magis idonea minus accommodatis praeferat*: Secundus ergo Prudentiae actus est *Iudicatio*, quae quidem Virtus *Synesis* dicitur, si fiat secundum regulas *communes*; *Gnomè* autem nuncupatur, si iudicium ferri contingat secundum rationes *sublimiores*, id est, si non cortici legis inhaereatur, sed ipsa Legislatoris mente inspecta iudicetur, pro hoc vel illo casu omnino nullam vel aliam vrgere obligationem, v. g. vt depositus gladius furioso Domino cum tertii alicuius discrimine non reddatur. Denique requiritur *ut media rite inuenta, ac iudicata voluntati ad eligendum, et exsequendum efficaciter proponantur*. Tertius ergo Prudentiae actus est, et dicitur *Imperium*,

perium, qui hoc ipso, quod fini rationis practicae proximus sit, merito a S. Thoma (c) *praecipuus Prudentiae actus* vocatur.

§. 178.

Corollarium. Isti actus quam necessarii plane sint in rebus omnibus agilibus moralibus, quas vniuersas Prudentia dirigere debet: §. 176. ipsa porro agibilia *singularia* sunt, et *contingentia*, vti nemo ignorat; sequitur, *Prudentiam versari circa singularia*, quod tamen minime prohibet, quin in illorum directione etiam *principis vniuersalibus* vtatur, eadem ad singularia applicando, quemadmodum iterum nemo sanus negare potest.

§. 179.

Consultatio, et Iudicatio procedunt a Prudentia, in quantum est *cognoscitiua*; *Imperium* vero ab illa proficiscitur, in quantum est *praeceptiua*. Id quod vtrumque satis patet expendenti, quae dicta sunt §. 177.

§. 180.

Circa cognitionem duo sunt considerata: I. ipsa *cognitio*; Haec si sit *praeteritorum*, vocatur *Memoria*, et, quantum spectat ad Ethicam, nihil est aliud, quam *propriae, vel alienae experientiae recordatio*, quarum vltima praecipue, *historica* dicta, non potest non prae aliis rebus Prudentiam plurimum adiuuare in singularibus actionibus dirigendis: quodsi autem cognitio sit de *praesentibus*, vocatur *Intellectus*, quo nomine hoc loco denotamus *exactam praesentis negotii, omniumque, quae illud circumstant cognitionem*, sine qua nemo vquam idonea ad finem media poterit inuenire.

§. 181.

II. Consideranda est ipsius *cognitionis acquisitio*; aquiritur autem vel *ab aliis per disciplinam aliquam*

aliquam tradita; et ad hoc spectat Docilitas, seu promptitudo ab aliis, quae sunt vera bonaque discendi, sine cuius ope saepissime nos hallucinari necesse est: Vel obtinetur proprio ingenio, quod si satis valet ad reperendum in rebus subitis aptum consilium, iste quidem vigor Solertia, seu Sagacitas nuncupatur; quodsi vero ex cognitis procedit ad alia cognoscenda, et iudicanda; dicitur Ratio, quae heic loci est habitus ex rebus cognitis inferendi consilium pro negotio aliquo gerendo, cui rei quam feliciter Memoria possit subseruire, per se quidem manifestum videtur.

§. 182.

Prudentia, in quantum est praeceptiva, debet ea, quae ad affecutionem finis agenda sunt, voluntati eligenda, et exsequenda proponere: §. 177. ergo versatur tum circa praesentia, tum circa futura; et in primis opus habet Providentia, quae est diligens atque perspicax futurorum coniectura, tanto magis necessaria, quanto minus prudens dici meretur, qui, quae ex actione naturaliter sequi possunt, non praevidet, illisque anticipato non providet. Deinde Circumspectio quoque requiritur, id est exacta animi attentio ad praesentes praesentis actionis, et negotii circumstantias, sine qua saepe aliquid ad finis affecutionem deerit. Denique Cautio est necessaria, quae ad futura simul, et praesentia spectat, et est diligens animi attentio ad pericula et impedimenta propositi operis, quae nimirum auertere, vel superare debet, quisquæ ad finem praefixum cupit eluctari.

§. 183.

Prudentia versatur circa singularia et contingentia: §. 178. atqui in tanta singularium diversitate fieri non potest, quin nunc Memoria, nunc Intellectu, iam Docilitate, aut Sagacitate, aut etiam Ratione; §. 181. alias Providentia, vel Circumspectione, aut Cautione, §. praec. et iam horum aliquibus, nunc iterum pluribus, subinde autem omnibus

omnibus debeat innari, suo vt rite perfungatur officio: ergo omnes isti octo virtutum habitus necessarii sunt ad constituendam perfectam Prudentiam; vt etiam S. Thomas docet. (d)

§. 184.

Prudentia dirigit hominem in rebus agibilibus moralibus: §. 176. Iam vero per Prudentiam homo vel suas tantum, aut etiam aliorum regere debet actiones: Prudentia, qua aliquis tantum se ipsum regit, dicitur *monastica*, a graeca voce *μονος vnus*: Illa vero, quae alios quoque gubernat *polyarchica* vocatur, a voce *πολυς multus*. Vltima haec diuiditur in *oeconomicam* a graeco *οικος, domus*, quia nimirum actiones societatis familiam constituentis dirigit; et in *politicam* a *πολις, Ciuitas*, quae regit actiones Societatis popularis. Quemadmodum autem certum est, in his omnibus actionibus dirigendis occurrere speciales difficultates per Prudentiam superandas: ita etiam merito has easdem species cum Doctore Angelico (e) Prudentiae partes subiectiuas vocamus.

§. 185.

Longum nimis foret vitia omnia seu Prudentiae, siue singulis eius partibus opposita enarrare. Quae per defectum sunt talia, ad *Imprudentiam*, et quatuor sequentes eiusdem species reuocari possunt: 1^{mo}. ad *Praecipitationem*, quae media transiliendo ab intentione ad assecutionem finis nimium properat, 2^{do}. ad *Inconsiderationem*, media apta oscitantius expendentem, 3^{tio}. ad *Inconstantiam*, a bene electis temere resilientem, 4^{to}. ad *Negligentiam*, quae in cura obtinendi finis socors esse consuevit. Quae per excessum talia sunt, referri possunt ad genus *falsae Prudentiae*, aut rebus indignis

(d) 2. 2. Q. 48. Art. vnico.

(e) S. Thom. 1. c.

dignis nimium studentis, aut certe ad dignas non debito modo tendentis: Eius praecipuae species sunt imo. *Astutia*, qua quis media adhibet, quae quidem idonea firmitat, quum tamen sint cum iniuria, aut nocumento tertii alicuius coniuncta, et hoc ipso ab ultimo fine, ad quem Prudentia saltem mediate tendere debet, §. 176. retrahant, adeoque ne quidem sint vera bona medii. §. 7. et 11. 2do. *Dolus*, qui haec ipsa media peruersa verbis; 3tio. *Fraus*, quae illa eadem factis exequitur. 4to. *Auxia nimis sollicitudo* a maioribus impediens bonis.

§. 186.

Prudentia illustrando intellectum manuducit voluntatem ad affectionem *ultimi finis*: §. 176. hic ergo, quum sit *summum hominis bonum*, §. 12. et ipse *Deus*: §. 22. patet, quod eadem virtus licet sit generale omnium reliquarum virtutum instrumentum: ultimato tamen, et ex proprio fine hominem perficiat, in ordine *ad Deum*, et *se ipsum*: *Iustitia* vero eundem ex proprio instituto perficit in ordine *ad alios*, et *ad socialitatem cum illis*, quae quum ratione *amoris Proximo debiti* contineatur in *primo I. N. Principio*: Proleg. §. 24. manifestum est, quod *secunda* sit inter virtutes morales cardinales.

§. 187.

Ex hoc sequitur, quod sermo nobis haud sit de *Iustitia illa generali*, quae est complexio omnium virtutum; et secundum quam ille vulgo *iustus* dicitur, qui ad omnes honestatis regulas vitam instituit: sed de *Iustitia speciali*, quae voluntatem hominis peculiariter perficit ad officia aliis debita rite praestanda.

§. 188.

Hinc *Iustitia*, in quantum est huius loci, bene definitur In Princip. Institut. *constans, et perpetua voluntas ius suum unicuique tribuendi*. Porro autem ius suum unicuique tribuere nihil est aliud, quam

aequa-

aequalitatem ponere inter obligationem, quam habet aliquis, quidquam praestandi, et potestatem, quam habet alter, quidquam ab illo exigendi; Quae quidem potestas sicut ab aliis, ita etiam a nobis deinceps *Ius* vocabitur.

§. 189.

Aequalitatem istam ponere est *proportionem* *medii* servare inter praedictam obligationem unius, et *Ius* seu potestatem alterius, ita quidem, ut obligatus non minus praestet, quam quod debet, et qui habet ius aliquid exigendi, non plus postulet, quam sibi debetur; ex quo etiam patet, hanc aequalitatis positionem, esse proprium et unicum *Iustitiae* actum, qui tamen ipse quam late pateat, quam multa sub se complectatur, vel obiter consideranti manifestum fiet.

§. 190.

Potest autem eadem obligatio, et potestas exigendi vel *arithmetica*, vel *geometrica* respicere *proportionem*, cuius *medium* heic et nunc servandum fit. §. praec. Prior tantum attendit ad *aequalitatem obiecti*, v. g. ut pro aureo, qui debetur, exigatur, et reddatur aureus: Posterior simul *obiecti*, et *subiecti* rationem habet: v. g. ut detur aureus unus per modum praemii bene merito; duo autem aurei illi tribuantur, qui tanto est dignior.

§. 191.

Hinc exsurgit divisio *Iustitiae* in *explettricem*, et *attributricem*. *Expletrix* tribuit cuique suum *secundum proportionem arithmetica*, adeoque nititur *iure nigroso* unius, *debitoque rigroso* alterius non *attenta qualitate personarum*; vulgo autem *commutativa Iustitia* dicitur, eoquod praecipue in contractibus, quorum, ex dicendis suo loco, vetustissimus est *commutatio*, locum habeat: *Attributrix* dat cuique suum *secundum proportionem geometrica*, et hoc ipso, quia non tantum *obiectum cum obiecto*; sed etiam *subie-*
ctum

ctum cum subiecto quoad illorum merita comparare debet. §. praec. non nititur iure, aut debito rigoro; haec autem Iustitia vulgo dicitur *distributiva*.

§. 192.

In vtraque hac specie vel *communis boni*, vel *priuati commodi* praecipua ratio haberi potest: Primum si fiat, et expletrix illa, et ista attributrix, *publica Iustitia* dici potest; si vero priuati commodi in vtralibet principalis habeatur respectus, erit *priuata*; ex quo sequitur, haud alia opus esse diuisione Iustitiae: namque et *Legalis* communiter dicta, quae ciuis officia ordinat ad bonum communitatis, ad *Iustitiam publicam*, tum *explettricem*, tum *attributricem*; et ea, quam *vindicatiuam* vocare solemus, propterea, quod poenas exaequet cum delictis, ad *attributricem* tum *publicam*, tum *priuatam* perquam opportune referri potest, eo tantum obseruato discrimine, quod in iustitia hac *distributiva* *Ius* infligendi poenam sit penes Superiorem; *obligatio* autem sustinendi penes delinquentem. Igitur proprie loquendo non sunt nisi duae *partes subiectivae* Iustitiae, *expletrix*, et *attributrix*.

§. 193.

Corollarium I. Quum omnes virtutes morales debeant tenere *medium*; §. 166. huius quidem determinatio in reliquis pendet a sana ratione propter diuersitatem circumstantiarum, quae variae in variis casibus varia exigere possunt; et hinc *medium* reliquarum virtutum dicitur *Medium rationis*: At vero *medium*, quod sana ratio in *Iustitia* tenere debet, est *Medium rei*. Semper quippe *realis proportio* debet inter obligationem vnius, et ius alterius seruari, et hinc pretium rei, merces operi, praemium merito, poena delicto commensurari. §§. 189. et 190.

§. 194.

§. 194.

Corollarium II. Contra Injustitiam nunquam per excessum; semper per defectum peccatur. Qui enim plus dat, quam debet, non violat ius alterius, nisi per suam prodigalitatem tertio alicui in rebus debitis noceat; Tunc vero iste iam minus habet, quam sibi deberetur, adeoque contra illum peccatur per defectum Injustitiae; sic et plus iniustitiam facit, ut res minus habeat incolumitatis, quam illum habere par est.

§. 195.

Corollarium III. Virtutes affines, seu de Injustitiae natura participantem sunt 1. Religio et devotio erga Deum, 2. Pietas in Patriam et Parentes, 3. Obedientia, et observantia erga Superiores, 4. Clementia in Subditos, 5. Gratitude erga Benefactores, 6. Fidelitas erga Amicos, 7. Misericordia in Afflictos, 8. Veracitas erga Singulos. Omnes quippe tribuunt illis, circa quos occupantur, id quod iisdem siue stricte, siue minus stricte debetur, uti patet consideranti. Ceterum nos de iisdem suo loco peculiariter agemus in Parte II. Ethicae.

§. 196.

Vitis Injustitiae opposita comprehenduntur sub generali vocabulo *Iniustitiae*, qua ius aliorum circa animi, corporis, fortunae, fame etc. bona, cogitatione, verbo, opere, directe vel ex obliquo etc. laeditur. Huius omnes recensere species nimis esset longum, et ad Theologos morales spectat; quae vero magis sunt necessariae in Ethica speciali occurrunt.

§. 197.

Hominis Intellectus perficitur ad cognitionem veri per Virtutes Intellectuales: §. 154. Voluntatis rationalis dirigitur, et perficitur in Ordine ad Deum, et se ipsum per Prudentiam; §. 185. in ordine ad alios saltem principaliter per Injustitiam: §. 188.

P. Schwarzhuber Eth. P. I. H. super

superest ergo, ut etiam perficiatur hominis appetitus *sensualis*, tam *concupiscibilis*, tum *irascibilis*. Vide dicta §. 155.

§. 198.

Appetitui *concupiscibilis* praestituta est *Temperantia*, quae generaliter loquendo est *virtus moderatrix concupiscentiae*, ut *delectationis circa bona sensibilia*, quibus rebus fruetur natura vehementioribus et virtutes reliquas magnopere iuvare, et vitia corroborari posse ostensum est, §. 157. ut adeo *Temperantia* tertio inter cardinales virtutes loco iure collocetur, quum plurimum intersit hominis, ut *passiones* huiusmodi in suo habeat dominio.

§. 199.

Ceterum bonum *sensitivum*, ad quod appetitus *concupiscibilis* sua fertur natura, §. 155. nos quidem vehementissime ad eas res trahit, quae spectant ad *gustum* et *tactum*. Neque id sine praesentia contingit *Numinis* providentia; Et enim illae ad *conservationem individui* per nutritionem; istae ad *propagationem speciei* per generationem spectant. Quoniam vero procuratio victus magnas plerumque affert difficultates, et progeneratio liberorum praeter educationis implicatissimas curas, etiam in ipso actu turpitudinem quandam multorum pudori graevam annexam habet: facile homines non sine magno sui generis dispendio in animum inducerent, istis se molestis quaecumque demum ratione eximere, nisi furiosa quadam voluptate ad easdem res etiam appetendas incitarentur. Sed enim haec eadem voluptatis vehementia non potest non ad eandem rerum abusum fieri proclivis; igitur praecipuum est *Temperantiae* munus illis mederi excessibus, quos appetitus *concupiscibilis* in *gustu* et *tactu* committere solet. Quoniam vero qui potest refrrenare maximas delectationes, multo etiam magis potest refrrenare minores, ut ait S. Thomas, (1)

(1) 2. 2. Q. 141. A. 4. ad 1.

ex quo hanc omnem fere de virtutibus doctrinam
desumimus: ideo

§. 200.

Temperantia paulo strictius definiri potest:
*Virtus moderatrix voluptatum corporis, præsertim
ad gustum et tactum pertinentium: ergo istarum de-
lectationum moderatio primum quidem consti-
tuit eiusdem virtutis obiectum, quin propterea se-
cundarium excludatur, vi cuius reliquis etiam ob-
lectationibus appetitus concupiscibilis, seu ad sen-
sus mere corporeos, siue etiam ad motus inde in
animo laborantes spectantibus, quin nimio etiam
erga id genus bona affectui iustum præscribere
modum tenetur.*

§. 201.

Itaque actus huius virtutis proprii sunt I. *Ab-
stinere ab usu nimio delectationum sensualium: II. co-
hibere etiam animum ab immoderato erga illas af-
fectu.* Primum obtinetur per *Verecundiam*, seu
odium turpitudinis moralis, quæ in abusu concu-
piscentiæ latet, in animo excitatum: posterius
efficitur per *Decorum*, siue amorem pulchritudinis
moralis ex tota concupiscentiæ moderatione re-
sultantis.

§. 202.

Quodsi vero ad *primum Temperantiæ ob-
iectum* §. 200. respicimus, partes huius virtutis
subiectivæ, quoad gustum sunt 1mo. *Abstinencia*,
quæ in cibo; et 2do. *Sobrietas*, quæ in potu me-
diocritatem servat: quoad tactum vero 1mo. *Car-
stitas* siue *conjugalis*, siue *vidualis*, siue *virginalis*,
id est caelibum utriusque sexus, pro suo quælibet
statu actibus venereis principalibus, 2do. *Pu-
dicitia* minus principalibus, oculis, aspectibus etc.
modum statuit.

§. 203.

Virtutes affines, seu potius ad *secundarium ob-
iectum* spectantes sunt I. circa motus internos, *Con-
tinencia* refrenatrix passionum ex appetitu concu-
piscibili

irascibili insurgentium; *Demissio animi*, vulgo *Humilitas*, propriae excellentiae; et *Mansuetudo irae*, ac consequenter etiam vindictae affectum reprimens. II. Circa *motus externos*, *Modestia* tam *vultus*, quam *cultus*, quorum illa debitam morum compositionem in gestibus, sermone, Incessu: ista iustam moderationem in vestitu, suppellectili, et aliis rebus ad usum nostrum factis procurat. *Austeritas*, quae gravitatem dictis factisque, *Eutrapelia*, quae gratum leporem, et modum iocis conciliat. III. Circa *motus rationis* respectu *rerum externarum*, *Studiositas*, quae sciendi appetitum ita temperat, ut nec in segnitiam, nec in friuolam degeneret curiositatem, et denique *Simplicitas*, quae attentionem ad aliorum dicta et facta moderatur.

§. 204.

Vitia Temperantiae opposita per excessum continentur sub nomine Intemperantiae; illa vero per defectum sub Stupiditate, seu Insensibilitate. Utinam vero horum generum species, illae praepriis, quae sunt per excessum tales, non essent nobis per experientiam notiores, quam solent vel ipsis etiam Philosophis nominatu difficiles esse.

§. 205.

Appetitus irascibilis versatur circa bonum obsequiu, et malum vitatu arduum §. 155. Hunc persequitur Fortitudo: merito igitur quarto inter Cardinales virtutes loco computatur: Desinitur autem, Virtus moralis, quae animum ad res magnas et arduas cum debita moderatione agendas, aut ferendas disponit. Dixi cum debita moderatione, sicuti enim stultum est, iis se ingerere agendis, quae vires superant, et facultates; ita etiam fortitudo non est, uti Taurus Philosophus dicit apud Aulum Gellium, (g) quae contra naturam monstri vicem nititur, ultraque modum eius egredietur, aut stupore animi,

(g) Noct. Attic. L. 12. C. 5. ad finem.

animi, aut immanitate, aut quadam misera et necessaria in perpetuendis doloribus exercitatione; sed ea, - quam maiores nostri scientiam esse dixerunt rerum tolerandarum, et non tolerandarum.

S. 206.

Igitur fortitudinis proprii quidem actus sunt I. ubi sana id ratio exigit, aut suadet strenuo animo ardua aggredi: II. eadem inuicto mentis robore pati. Prior ille actus splendidior; posterior nobilior est. Impie autem mentitur Machiavelus, religione christiana omnem magna agendi vigorem eneruari. Nulla fuit hactenus aetas, quae non viros tulit inter Christianos priscis Gentilium heroibus etiam in rebus profanis haud tantum sarpares, verum etiam maiores. Ceterum utique fortia pati multo difficilium, et hinc tanto etiam generosius, tanto gloriosius est, quam magna agere. Ut taceam reuelata christianae Fortitudinis argumenta, Seneca ipsos inter Ethnicos pridem nihil esse aequè admirandum pronuntiavit, quam virum fortem cum iniquiore fortuna compositum.

S. 207.

Ad fortiter aggrediendum ardua spectat *Fiducia*, virtus, quae animus certa cum spe difficultates vincendi ardua suscipit negotia; quae eadem si singularem habent difficultatem, haec ipsa virtus *Magnanimitas* vocatur. Ad ardua vero inuicto ferenda pectore pertinet 1^{mo}. *Patientia*, siue *Tranquillitas animi in aduersis*, quae mentem in illis sustinendis obfirmat: haec ipsa porro aduersa si sint formidolosa, *Constantia*; si diuturna fuerint, *Longanimitas* dicitur virtus, quam mox *Patientiam* vocauimus. 2^{do}. Huc spectat *Perseuerantia*, quae quis firmus in incoeptis ad finem perducendis, vel dolore penitus exantlando perstat; atque in hanc sane virtutem quam maxime impegerunt falsa illa fortitudinis simulacra, homines, inquam, qui se ipsos occidere, quam fortunam moderate ferro maluerunt.

Inerunt. Ceterum recensitas hactenus virtutes partes subiectivas, aut si maais, integrantes Fortitudinis dicere licebit.

§. 208.

Affines virtutes sunt 1^{mo}. *Liberalitas* ultra debitum benefaciens, 2^{do}. *Magnificencia* in sumptibus ad finem honestum, 3^{io}. *Diffidentia* in viribus propriis cum magna fiducia in auxilio Dei, et plena in eius voluntatem resignatione, 4^{to}. *Dilatio inimicorum*, et denique 5^{to}. *Abnegatio propriae voluntatis* etiam in rebus licitis.

§. 209.

Quam vero nulla sit virtus, in qua non possint singulares occurrere difficultates; Fortitudo quidem generale quoddam illarum est praesidium, et consequenter ad eam spectat; reliquarum virtutum singulis gradum heroicum addere.

§. 210.

Vitia Fortitudini per excessum opposita spectant ad genus *Temeritatis* sine consilio ad pericula, quibus saepe succumbit, prouentis: quae autem defectu laborant, ad *Ignauiam* reducuntur, hae ad quamlibet mali umbram solet trepidare.

SECTIO II.

PRACTICA.

§. 211.

Quid iubeat multa de virtutibus disserere, subtilia de illarum natura et indole disputare, si ipsi interim virtute caremus? *Habere* illam; non *nosse* bonum facit hominem: In *praxi* ergo totum est huius doctrinae momentum positum. *Viam* Virtutes aperiant inuicemque ad veram felicitatem:

§. 19. At enim via non nisi *caeteris* ad *metam* ducit.

est. Flebiliter perit, qui a semita ignota defectens et in abrupta delatus praecipit: qui vero sponte sua exploratum deserit tramitem, indignus est miseratione, si erroribus implicatus ad suum ipse genus exiturus.

§. 212.

Viam quamvis notam inter tamen aspera et angusta montium vallibus utrinque horrentibus hiantibusque per noctis saliginem ingressuro lucerna est opus, ne fallente pereat vestigio: Talis est virtutis via cum natiuis ignorantiae nostrae tenebris comparata; inter abrupta vitiis patet, quae hinc per excessum, illinc per defectum hiant. Medium nisi semper teneas, corrui: Quomodo tenebris autem, nisi lampadem ratio praeferat? Factor, ipse hanc Conditor accendit; sed naturae corruptione obscuratam resuscitandam veluti fovendamque deinceps nostro reliquit studio. Oleum, quo foetet, Virtutes sunt, quas *Intellectuales* dicimus. §. 169. etc. His ergo largiter imbuenda est ratio. Insanum quippe eam negligere sui partem, quae, ut Seneca loquitur, (h) *proprium est hominis bonum. Cetera illi cum animalibus, satissimae communia sunt. Vultus? et Leones. Formosus est? et Pavones. Velox est? et Equi. Non, dicere in his omnibus vincitur. - Habet vocem? sed quanto clariorem canes, acutiorum aquilae, graviorum tauri, dulciorum mobilioremque lusciniarum? Quid in homine proprium? Ratio. - Ergo si omnia res, quam bonum suum perfecit, laudabilis est, et ad finem naturae suae pervenit; homini autem bonum suum ratio est: si hanc perfecit laudabilis est, et finem naturae suae attigit. Haec ratio perfecta virtus vocatur; eademque honestum est.*

§. 213.

Arcti sunt, ais, humanae vitae limites: has inter angustias quis tot Artes perdidicerit? tot

H 4

Scien-

(h) Epist. 76.

Scientias exhausserit? Otium, Amice, refecta, et quae corpori saepe non alio cum lucro tribuis horas, quam ut cum viribus valetudo per mollescem, per commestationum et poculorum insaniam, per voluptatum, et alearum licentiam enervetur, ad animi culturam transfer. Magnum enimvero hac vna parsimonia temporis feceris proventum. Deinde ipsis in artibus et scientiis vana disputato: *Plus scire velle, quam sit satis, Intemperantiae genus est.* (1) Denique necessaria praeferto superfluis: *Magno impendio temporum, magna utilium molestia laudatio haec constat: O hominem litteratum! Simus hoc titulo rusticioris contenti: O virum probum!* Non id agitur, ut spernas litteras, modo si praeparant ingenium; non detinent. Nempe *Liberalia inde studia dicta, quia homine libero digna sunt: ceterum unum studium vere liberale est, quod liberum facit. Hoc Sapientiae studium est, sine quo quid liberalium artium consecratio, nisi molestos, verbosos, intempestivos, sibi placentes facit, et ideo non discites necessaria, quia superuacua didicerunt?* (1)

S. 214.

Sit fota diligenter lampas; extinguetur, nisi contra flantium simul ventorum impetum sit defensa. Ventos eiusmodi in Virtutis semita affectuum sensitivorum, siue Passionum minus ordinarum petulantiam iure dixerō. Suffocabunt Intellectus lumen, quamprimum perruptis subterraneis veluti inferioris hominis carceribus in ipso coeperint superiore rationis Regno te coniuente bacchari: Ergo *subter te erit Appetitus tuus, et tu dominaberis illius;* (m) dominaberis, inquam, et austero quidem atque constanti Imperio. Indulgencia licentiam alit, et proditos nos in miseriam nil tale opinantes abripit seruitutem. Habet quis

(1) Seneca Ep. 88.

(1) Idem ibidem.

(m) Gen. 4. 7.

quis, (ita de aliis loqui, ita solemus aliena palpando vitia nostris blandiri) *habet pecuniae cupiditatem sed modicam; ambitionem, sed non concitiam; iracundiam, sed placibilem; - - libidinem, non insaniam. Melius cum illo ageretur, qui unum vitium integrum haberet, quam cum eo, qui leniora quidem, sed omnia. Denique nihil interest, quam magnus sit affectus: quantuscumque est, parere nescit, consilium non accipit. Quemadmodum Tigres, Leonesque nunquam feritatem exciunt: ita nunquam bona fide vitia mansuescunt. - - Si das aliquid iuris tristitiae, timori, cupiditati, ceterisque moribus pravis, non erunt in nostra potestate. Quare? quia extra nos sunt, quibus irritantur. Itaque crescunt, prout magnas habuerint, minoresue causas, quibus concitentur. Ergo, ais, semper erit depraelandum? quam hoc molestum? Ne cade animo: Si ratio proficit, ne incipient quidem affectus; si inuita ratione coeperint, inuita perseverabunt. Nimirum non sensus nocet, sed consensus. §. 61. etc. Ceterum Principiis obsta; Pugnae hoc est, atque molestiae compendium: Facilius est enim initia illorum (affectuum) prohibere, quam impetum regere. Paucis: Falsa est illa mediocritas, et in vitiis, eodemque loco habenda, quo, si quis diceret, modice insanendum, modice aegrotandum. Ita ad Christianorum verecundiam philosophatur Seneca. (n)*

§. 215.

Quis vero, reponis, naturam exuerit? Passiones a Temperamentis excitantur; ista a corporis machina, et sanguinis potissimum indole pendet: eritne humanae potestatis haec immutare? At enim excitare sensitivos affectus possunt Temperamenta; non mentis consensum extorquere; nihil iuris in humanae rationis arbitrium iisdem relictum est. Ceterum circumspecte homines: Accedat alicui nova educationis ratio, novum vitae institutum; mutantur consuetudines, Societates;

H 5

augean-

augeantur honores, divitiae etc. Alius abs se videbitur, quamvis nihil sit in corporis, aut sanguinis indole, ipsoque adeo Temperamento immutatum. Quidni seria virtutis contentis tantundem in mores possit? Affectus certe, quos Temperamentum excitat, suapte natura indifferentes ad bonum malumve sunt; §. 156. quamvis ergo propter naturae corruptionem ad prava procliviores esse soleant, pugnamque reddant difficiliorum; Nil obstat tamen, quo minus constante ac prudente annisu ex irritamentis vitiorum virtutis fiant adfumenta. Multi multa de Passionum remediis scribunt; mihi quidem ad compendium cuncta referre libet. *Tolle inprimis otium.* Tu si non occuparis rebus honestis, quid mirum si effrenos te occupent affectus? Deinde *principiis obsta*, quod iam ante §. praece. monui, et saepe iterum moniturus sum. Praeterea *Impetum colibe*, quorum nihil sit bene. Igitur fatinis illis ignibus, quae per Passionum noctem intermicant, caute vaquam credas, donec clara per ideas distinctas intellectus meridies affulgeat, cuius luce praeterita, praesentia, et quae consecutura sint, peruidere possis. Denique *Dei omnipraesentis, providentissimi, atque iustissimi, sine cuius nutu nihil sit, nihil fieri potest, continua memoria* mirum in modum ad coercendas facit Passiones. Nunc vero etiam de *Temperamentis* pauca accipe documenta. *Sanguineus* es, et a sensuum illecebris futuri incurius leniter abrisperis? Muta obiectum, et mentis aciem in illecebris desige, quas etiam pro sensibus sola Virtus veras habet. *Coleras* ignis vehementem te in cupiditatibus, praecipitem in consiliis, pertinacem in decretis facit? In vitia tua hunc verte impetum; irascere tibi, tuaeque Sordidae; accende virtutis desiderium, et contra levitatem ad bona exequenda obstinare animum satage. *Melancholia* denique lentum, timidum, suspensum facit? Purge Intellectum ab inanibus malorum larvis, ita magnum, ut in ceteris, ita in hac indole ad consilii maturitatem et eventuum cautolam prona, virtutis

tutis inuenies praesidium. Sed quid si *Phlegma* crassum pigritiam nutrit et torporem? Segnis esto ad vitia; Ceterum ad Machaones te remitto, et Potatyrus; Morbo nimirum laboras, ad virtutis exercitationem parum accommodato; nec tamen inmedicabili; neque tali, qui frenum nocere animo possit. Nunquam ita inter cineres virtutem latent igniculi, ut non assidue excitati flammam succrescant.

§. 216.

Necessarius hactenus viae praesidii Virtutis tironem instruximus ad ineundam felicitatis semitam; Nunc suam ipse alacritatem excitet oportet, ne difficultate territus pedem referat, aut victus inertia dormitaturus se re collocet, ac stertete tandem incipiat. Panicus est ille terror: ipse progressus virtutis auget vigorem, tantumque addit animi viribus, quantum corpori ex itineris longinquitate decedere consuevit. Scilicet Virtus est *habitus*, qui quemadmodum per actus frequentatos acquiritur; ita et promptos facit ad actus similes exercendos: §. 150. Igitur *dimidium facti, qui bene coepit habet.* Initium graue est, adeoque a simplicioribus facilioribusque ducendum, et molliendum sollicita malarum fuga occasionum. Complanaata sic tantisper via, iam facillior aperitur trames: aequor insanis abstinet illecebris animus, generosiorque se ipsum superat; et tempore haud multo cum voluptate contemnit, quae anxius olim dimisit, quam quod lentis ingressus erat passibus virtutis stadium, in hoc cursu etiam cum aliis sua sponte contendit. Tum vero periculosior est fere isto terrore somnolentiae torpor, et victoriae ignaua securitas. *Habitus est virtus, qui promptitudinem ab actibus frequentatis habet, his rarecentibus illa non potest non minui; Hinc documentum illud non grauius, quam verius, sed a patris animaduersum, regredi in virtutis semita, quisquis non progreditur.*

§. 217.

Sed enim perfecta virtus res est, cui nihil addi potest, quo magis virtus fit, nihil demit ut virtutis nomen relinquatur. (o) Cui itaque bene stadium ingredimur, de cuius occupanda meta cum hac animi mobilitate mortalibus desperandum est? Magna certa. Nemo hactenus ad supremum scientiae apicem ultra omnes hallucinationis nebulas aspirare est ausus, nemo ita speravit suam munire sanitatem, ut eam adversus cuncta morborum discrimina defensam habeat et obvallatam: Quis vero desipere maunit, aut aegrotare, quam non proxime ad earum rerum commoda eluctari, quarum absolutissima perfectio ultra humanae infirmitatis modum est posita? Igitur in virtute etiam annitendum, et enitendum est, ut quam heic attingere non possumus consummatam felicitatem, ab illa tamen quam proxime abesse conemur: pro conatum ratione illa nobis perfecta dabitur, et sempiterna. Non frustra igitur, sed magno cum lucro contendimus tanto futuri beatiore, quanto nunc inter miseros remotiores a miseria vitiorum.

§. 218.

Quoniam vero ipsa Virtutis perfectio in Cardinalibus sita est virtutibus: §. 161. velut pro viatico de singulis singula accipe, sed magni momenti documenta: *Prudentem te volo*. Nimia petere videbor, si prototypi vice, ad cuius te effigiem componas, Claranum Ethnicum tibi cum Seneca (p) ob oculos statuam? Sit itaque animus intuens vera, peritus fugiendorum, ac petendorum; non ex opinione, sed ex natura pretia rebus imponens, toti se inferens mundo, et in omnes eius actus contemplationem suam mittens, cogitationibus, actionibusque intentus, ex aequo magnus, et vehemens, asperis blandisque pariter inuictus, neutri se fortunae submit-
tens

(o) Cicero Paradox. 3. C. 2. videri etiam §. 161. etc.

(p) Epist. 66.

ans, supra omnia, quae contingunt, acciduntque animus, pulcherrimis cum dolore, cum viribus sanis, importurbatus, intrepidus, quem nulla vis frangat, quam nec attollant fortuita, nec depriment. Talis animi virtus est: haec eius facies, si sub unum veniat aspectum, et semel tota se ostendat. Quam iucunda eniandro, quam optabilis, et digna imitatu!

§. 219.

Præterea insum te cupio erga omnes. Aequum postulo; Namque omne hoc, quod vides, quo divina, atque humana conclusa sunt, unum est: Membra sumus corporis magni. Naturam nos cognatos edidit, quum ex iisdem, et in eadem gigneret. Haec nobis amorem indidit mutuum, et sociabiles fecit; Illa aequum, iustumque composuit. Ex illius constitutione miserius est nocere, quam laedi; ex illius imperio paratae sunt manus ad iuandum. Societas nostra lapidum fornicationi simillima est, quae castra, nisi inimicem obstarent, hoc sustinetur. (q) Quodsi itaque nefas est nocere patriae: ergo tibi quoque; nam hic pars patriae est. Sanctae partes sunt, si uniuersum venerabile est: ergo et homo homini; nam hic in maiore tibi urbe civis est. (r)

§. 220.

Temperantiam, quam deinde requiro, voluptatibus imperat, alias odit, atque abigit: alias dispensat, et ad sanum modum redigit, nec unquam ad illas propter ipsas venit. Scit optimum esse modum cupitorum, non quantum velis, sed quantum debeas sumere. (s) Tu ut illuc peruenias te aliquorum auctoritate custodi, ita agendo, ut si quem eorum praesentem cerneres, cunctis interuentu perditique quoque homines vitia suppresserent. (t) Et re ipsa

Dei

(q) Epist. 24.

(r) Seneca Ep. 95.

(s) Idem L. 2. de Ira C. 31.

(t) Seneca Ep. 32.

Dei effugere oculos. nusquam pedes. Age iam, dicit neminem, quod clanculum agis, scire. Quin potest ita esse; *Quid refert, neminem scire, quam tu scias? O te miserum, si contemnis hunc testem.* (v)

S. 221.

Fortitudinem denique abs te postulo, quæ ad finem optatum, quidquid virtus aggreditur, perducere, et opus quodlibet coronare debet. Non tam austeram habet hæc virtus faciem, quam qualis primo apparet aspectu; *Non est enim inconsulta temeritas, nec periculorum amor, nec formidabilium appetitio. Scientia est distinguendi, quid sit malum, et quid non sit, diligentissima in tutela sui fortitudo est, et patientissima verum, quibus facta species malorum est.* (w) Atque hæc falsa malorum species est, quæ hodie nobis fere audit. Quis enim iam virtuti tormenta parat Tyrannus? Impudentem improborum risum si prudenti vincere risu possumus, debellatum est plerumque, atque ita debellatum, ut honorem, quem læsum existimamus, ipsa farciat, cumuletque victoria, quæ virtutis reuerentiam etiam hostibus, quantumlibet inuitis extorquet. Nempe displicere sibi prima est flagitiorum poena; Scelus ergo in aliis ferio placere ne perditissimis quidem potest. Contemnitur, nec immerito, quamprimum mala patrando placere nitimur; insanis quippe cedendo ludibriis, atque improborum lenocinis nostram ipsimet prodimus leuitatem. Quodsi maiora etiam auderet nefariorum præteruia, vna tamen honori consuleret virtutis constantia; Namque magni est animi proprium, placidum esse, tranquillumque, ac insurias, et offensiones superne despicere. Muliebri est furere in ira; fararum vero, nec generosarum quidem præmordere, et vergeri projectas (x) Paucis; *Fortior est, qui se, quam qui fortissima vincit maenia.*

SECTIO

(v) Epist. 45.

(w) Seneca Ep. 85.

(x) Id. L. 1. de Clem. C. 2.

SECTIO III.
SCHOLASTICA.

Vtrum vitiosum sit solus delectationis sensitivae causa agere?

§. 222.

Negare id per doctrinae consequentiam debent, quicumque cum Hobbesio, et eius coetaneo Gassendo in naturae sola utilitate merentur; vel cum Lamberto Velthusia aliisque *conervationem sui* pro primo Legis naturalis statuunt principio, atque ad *Egoismum* desectentes hominem *commode vivere* debere ita contendunt, ut se cohibere nequeant, quin in quascunque carnis afflictiones tanquam lapenas omnibus naturae legibus repugnantes accerrime invehantur. Horum insatiam molitiam iam in Proleg. §. 22. ex parte refutatam iterum suo loco referemus. Ceterum ne inter Catholicos quidem defuerint, qui eiusmodi actum a vitii reatu absolutam in *indifferentium* numero collocarent, quos inter praecipue Valquenus numeratur; huic autem plures consentire videntur, qui *actum humanum indifferentem in individuo*, a nobis §. 89. repudiatum admitti posse existimant; Neque enim apparet, quem alium praefigere finem eiusmodi actui valeant, quando honestum aequae ac malum studiosè excludunt. Quum igitur ista quaestio tanto sit utilior, quanto quisque vehementius a delectatione sensitiva trahi solet: §. 155. merito illam ad nostrum trahimus forum. Sit ergo

§. 223.

Propositio.

Solus sensitivae delectationis causa agere, vitiosum est.

Probatum: Vitium est habitus hominem ad actus vitiosos proclivem faciens: §. 151. Omnis

autem actus est vituperabilis, qui vel a fine ultimo, vel a recto ad eum tendendi modo deflectit: §. 77. 78. etc. atqui actus solius delectationis sensitivæ causa positus deflectit a fine ultimo: ergo est vituperabilis, consequenter habitus, ex quo descendit, est vitiosus, ipse vero actus est peccatum. §. 150. *Minor probatur.* *Finis ultimus* hominis est *Deus*: §. 20. atqui actus solius delectationis sensitivæ causa positus nec tendit *immediate* in Deum, uti certum est ex statu quæstionis; nec *mediate*, quia supponitur, quod in delectatione sensitiva conquietat, quin ulterius referatur: ergo etc.

§. 224.

Confirmatur. Bonum delectabile sensitivum est inferius rationali et honesto §. 17. ergo hoc ipso ad illud ex sua natura refertur; §. 11. consequenter homo in illo acquiescens invertit ordinem naturæ constitutum a Deo, qui, ut ait S. Thomas (y). *Delectationes apposuit propter operationes*; adeoque, qui e converso operationem suscipit propter delectationem, non tendit in finem a Deo constitutum, et sic totam bonitatem delectationis vertit in malum, quia non ultra ad finem ultimum conducit, sed ab illo retrahit. §. 32. Hinc etiam Innocentius XI. Papa sequentem propositionem ob rationem eidem subiectam damnavit, quæ sic sonat: *Comedere et bibere usque ad satietatem non est peccatum, modo non obsit valetudini, quia NB, licite potest appetitus naturalis suis affectibus frui.* Quid vero, quod contrariam nobis opinionem prædem Ethnicus Seneca prædamnaverit? Vide supra §. 220.

§. 225.

Obiicies I. Ipse auctor naturæ nobis appetitum sensitivum indidit, et rebus, etiam, v. g. alimentis, floribus etc. suavitatem ac delectabilitatem insperfit: ergo appetitum ac delectationem talem sequi

sequi non potest esse moraliter malum, consequenter nec vitiosum. II. Delectatio, vel commoditas moderata est moraliter honesta: ergo potest tanquam finis intendi. III. Lex non agendi propter delectationem sensitivam, hoc ipso, quia esset vniuersalissima, deberet omnibus saltem eruditis esse nota: atqui a multis negatur: ergo. IV. Licet agere propter delectationem rationalem: ergo etiam propter sensitivam.


§. 226.

Respondeo ad I. Distinguo Antecedens: Auctor naturae dedit appetitum sensitivum, et rebus inspergit delectabilitatem, vt nobis pro mediis seruiant ad finem vltimum seu immediate, seu mediante saltem fine honesto tendendi; concedo: vt in illis tanquam fine sistentes acquiescamus; nego: Sunt ergo eiusmodi solatia recreationes, sed non datae nisi propter occupationes, vt melius ad officia nostra implenda disponamur, adeoque semper pro mediis et non pro fine adhibenda. Vide dicta §. praec. Ad II. Similiter d. est honesta, quatenus est medium ad finem honestum, propter quem a Deo apposita est; c. scilicet; n. igitur hoc ipso non debet tanquam finis intendi. Ad III. iterum d. Ea lex est vniuersalis ratione obiecti, pro quo habet omnes actus deliberatos; c. ratione principii; subdistinguo, remoti, quale potest ignorari; c. primi aut facillime ex aliis primis deducendi; nego maiorem, et transmissa minore consequentiam. Ceterum hac nostra aetate deberet sane orthodoxis saltem Doctoribus sententiae, quam defendimus, veritatem damnata a Patribus propositio persuadere. Ad IV. Disparitas est, quod delectatio rationalis, quae non potest esse nisi de obiecto potentiis rationalibus conueniente, scilicet de veritate, aut bonitate, hoc ipso etiam sit de fine iisdem facultatibus per Deum praefixo, adeoque per se, et saltem mediate habeat relationem ad finem vltimum; secus est de delectatione sensitiva, quae, vt saepe diximus, non est a Deo rebus addita nisi tanquam medium ad finem.

§. 227.

Corollarium. Multo minus admitti potest peccatum mere philosophicum, quod ab incerto quodam huius commenti auctore, qui ad Saeculi proxime elapsi finem vixisse fertur, actus fingitur esse *humanus disconueniens rationi positus ab homine aut Deum ignorante, aut de illo actu haud cogitante*: Talem porro actum is idem peccati, etiam grauis reatum habere posse concedit; at vero Dei offensam esse negat. Sed enim si ob delectationem sensitivam cetera inculpabilem agere nefas est, ex hactenus dictis; quanto magis agere, quod et rationi penitus repugnat, et honestati, id est ob delectationem (nemo enim nisi intendens bonum saltem apparens operatur §. 5.) ob delectationem, inquam, sua iam natura culpabilem, et rationem veri mali moralis habentem, hoc ipso, quia a sana ratione, ab honestate, adeoque etiam a fine ultimo abducit? §. 32. Namque vanum est, quod dicitur ab eiusmodi homine Deum non cognosci, cuius inuincibilem ignorantiam haud dari inter eos, qui sana pollent ratione ex Theologia naturali supponimus. Vana est etiam excusatio talem de Deo actu non cogitare; eiusmodi quippe inaduertentia iterum est ignorantiae culpabilis genus, quum deliberate nefarium quidquam agens posset, et deberet illius recordari. Atqui ignorantia vincibilis moralitatem nunquam tollit. §. 59. Denique quum peccatum philosophicum supponatur esse actus disconueniens sanae rationi; haec autem sit ipsa promulgatio legis aeternae et naturalis; §. 98. fieri non potest, vt, qui agit deliberate contra sanam rationem, non simul agat satis deliberate contra Legem aeternam: atqui actus deliberatus contra Legem Dei aeternam, est procul dubio offensa Dei: ergo hoc ipso falsum est dari peccatum mere philosophicum, seu tale, quod sit quidem contra sanam rationem, et tamen non sit offensa Dei.

FINIS ETHICAE GENERALIS.



ETHICAE
PARS POSTERIOR, SEU SPECIALIS.
DE OFFICIIS.

NOTIONES PROËMIALES.

§. 228. .

Officium in genere est actio vel omissio moralis-conformis Legi; quum autem Ethica sit disciplina Iuris naturalis: Proleg. §. 6. 7. etc. Officium, quatenus spectat ad Ethicam, est actio, vel omissio moralis, conformis Iuri naturae, in quo deinde etiam obligatio pro reliquis Legibus tum diuinis, tum humanis fundatur secundum dicta §. 121.

§. 229.

Igitur quidquid Lege naturali *stricte* praecipitur, aut prohibetur, vocatur in Ethica *Officium perfectum*; quod vero *minus stricte* habet obligationem, dicitur *Officium imperfectum*. Vide dicta in Proleg. §. 8. ad I. et II. Et quia officium est actio vel omissio §. praec. in primo casu nuncupatur *affirmatiuum*; in secundo *negatiuum*. Denique quum officium sit actio, vel omissio humana moralis, §. praec. quae potest esse vel interna,
P. Schwarzhueber Eth. P. II. I a vel

vel *externa*; officium etiam in *internum*, et *externum* recte diuiditur.

§. 230.

Lex naturalis nihil est aliud, quam *Lex aeterna* Dei per lumen rationis homini manifestata: §. 98. Omnis autem *Lex* est *Regula* agendorum vel omittendorum, secundum quam actiones liberas determinare obligamur. §. 92. et, quae consequenter nostras actiones limitat: ergo quum *Lex aeterna* sit *Regula* hominem dirigens quatenus est in hoc mundo positus: §. 94. patet, quod aeternae, adeoque etiam naturalis *Legis* directio nihil fit aliud, quam quaedam *limitatio moralis* actionum hominis liberarum accommodata fini, propter quem homo in mundo est positus, et secundum quem a Deo gubernatur. Ceterum ex hoc ipso, quod *ista limitatio* sit *fini hominis accommodata*, sequitur, omnia quaecumque per eam *omittenda* praecipuntur, id est *prohibentur*, *necessario mala* esse, utpote quae ideo tantum vetantur, quia ex sua natura fini hominis repugnant, id quod *necessario imperfectionem* affert, adeoque *malum* est §. 9. vide etiam §. 95. et 101. ex quo ulterius deducitur, officia *naturalia perfecta negativa* §. praec. obligare *semper*, et in *omni prorsus casu*, saltem quamdiu illorum obiectum non mutatur: Aliud vero dicendum est de *officiis naturalibus positivis*. Obligant quidem et *ista semper*; quia quod illis praecipitur, *necessario est bonum*, hoc ipso quod etiam talis praecipitua limitatio fini hominis accommodata fit, *ex dictis superius et §§. 5. 7. 95. et 101.*: Interim tamen fieri potest, ut quis non habeat *occasionem* agendi, quod praecipitum est: atqui in hoc casu ipsa quidem sana ratio docet, quod nulla possit adesse obligatio: ergo eiusmodi officia *positiva* non obligant *pro omni casu*, siue ut in scholis loquuntur *semper et pro semper*.

§. 231.

Iam vero supradicta limitatio actionum humanarum liberarum gubernationi et fini huius mundi per Legem æternam et naturalem accommodata vocatur *Status hominis moralis*, et est *conditio faciens, ut homo, quatenus est in mundo hoc, vel alio modo positus, his etiam vel illis obligetur legibus.*

§. 232.

Homo, quatenus est in hoc mundo positus, potest sub triplici præcipue conditione considerari. I. in quantum mere est *homo*, et *membrum generis humani*, et hæc conditio conuenit *omnibus et singulis*. II. in quantum est *membrum familiae*, seu societatis cuiusdam minoris necessariae saltem *pluribus*; quia hoc solo modo potest genus humanum conseruari et propagari. III. in quantum est *membrum Reipublicæ*, seu societatis maioris, a Deo ad maiorem hominum securitatem atque commoditatem approbatæ.

§. 233.

Dubitare nemo potest, singulae quin istæ conditiones suis etiam propriis opus habeant legibus, siue limitationibus, §. 230. quatenus illarum finis ab homine satisfiat: ergo pro totidem habendæ sunt *Statibus*, in quibus homo est, vel potest esse positus. §. 231. Porro autem, quum prima conditio, in qua homo tanquam membrum generis humani consideratur, omnibus et singulis sit conata, §. 232. merito etiam *Status hominum naturalis* dicitur: Secunda vero, et tertia conditio, quum ex dicendis suo loco, saltem non sit pro singulis generum necessaria; sed vel ex propria electione, vel saltem proprio facto homini adueniat, *Status aduentitius* vocatur.

§. 234.

Singuli hi status suas proprias requirunt *Leges*; §. præc. actiones autem et omissiones hi legibus

legibus conformes sunt *officia* hominis: §. 228. ergo triplicis etiam generis dantur *officia*, alia nimirum *monastica* pro statu primo, in quo homo nonnisi tanquam membrum generis humani, id est prae-cise *qua homo* consideratur: alia *oecconomica* pro statu secundo, in quo consideratur tanquam *membrum familiae*: alia denique *politica* pro statu tertio, in quo consideratur tanquam *membrum Reipublicae*. Haec igitur *officia*, quorum etimologiam §. 148. tradidimus, nunc sunt ordine suo exponenda.

CAPUT I.

DE OFFICIIS MONASTICIS.

SECTIO I.

DOG MAT I C A.

ARTICULUS I.

DE OFFICIIS MONASTICIS IN GENERE, ET ERGA DEUM IN SPECIE.

§. 235.

Primum Iuris naturae Principium est Amor Deo, sibi, et Proximo debitus. Prol. §. 24. etc. ergo inter *officia monastica*, siue quae homini, *qua homini* incumbunt, §. praec. vi *Juris naturae* alia respiciunt *Deum*, alia nos *ipsos*, alia *Proximum*.

§. 236.

Iste amor quamvis sit *triplex* in ordine ad *ob-jectum proximum*; est tamen *vnus* et *simplex* in ordine ad *obiectum motiuum principale*. Amor enim *Dei* est amor *fnis ultimi*, §. 21. et 24. ad quem omnia alia referuntur, et qui ipse vterius non refer-
fetur:

fertur: §. 2. et II. ergo ad hunc etiam *Amor sui*, et *Proximi* tanquam ad *obiectum motiuum principale* referatur necesse est; consequenter vterque est *Dei Amori subordinatus*, ita quidem, vt quum *Deus* tanquam finis vltimus ab vnoquoque nostrum *propter se* amandus sit, deinde nos ipsos, et denique *Proximum propter Deum* amare debeamus. Nos

iplos, inquam, *ante Proximum*, sed *propter Deum*, vtpote qui est nostra ipsorum felicitas et beatitudo, cuius inclinatio primo omnium homini inest, *Prof.*

§. 24. ideo a summo Conditore mentibus indita, quia nos primo omnium ad se tanquam *finem vltimum* vult tendere. Tum vero *Proximus* iterum

propter Deum diligendus est, quippe qui non solum in aequalitate communis naturae incitamenta amoris hominibus dedit: verum etiam tales nos omnes fecit, vt sine mutuo amore, et auxilio ad ipsum tanquam communem finem vltimum et beatitatem nostram efficaciter tendere, ac peruenire non possimus.

§. 237.

Ista *subordinatio* amoris etiam *officiorum* eandem prorsus necessario post se trahit *subordinationem*, ita, vt in casu *collisionis*, seu vbi occurrunt plura officia monastica, quibus simul satisfieri nequit, semper sint praeferrenda *nobiliora ignobilioribus*; Id est officia erga Deum, illis erga se ipsum, et haec officiis erga Proximum. Quumque ista

nobilitatis ratio sit generalis: tanquam perpetua *subordinationis* regula seruanda est in quolibet genere officiorum, id est, etiam in oeconomicis, et politicis; imo in illis quoque, quae eiusdem sunt classis, v. g. in *officiis erga Proximum*: nam semper ratio postulat, vt praestantiora cedant minus praestantibus. Interim tamen aduertendum est,

hoc totum esse non nisi de officiis *perfectis* §. 229. intelligendum: Etenim per se patet, *districtam* obligationem, licet ex parte obiecti ignobilior videatur, esse cuilibet *minus strictae*, quae tantum *meri decori* rationem habet, praeferrendam. *Vide etiam dicta in Prof. §. 8.*

§. 238.

Sicut a primo Iuris naturae Principio omnes omnino Leges naturales deducuntur: Prok. §. 21. ita etiam procul dubio officia erga Deum, quae inter monastica prima sunt, §. praec. inde derivari necesse est: fundantur ergo in amore Dei. §. 235.

§. 239.

Amor Deo ab homine debitus est *Amor Devotionis*. Quippe quum amor in genere, heic in Ethica nihil sit aliud, quam *Appetitus boni cum delectatione propter eius perfectionem percepta*; bonum autem, quod appetimus, possit esse aut nobis *superius*, aut *aequale*, aut *inferius*: atque haec obiecti diuersitas necessario etiam diuersitatem amoris inducat; ad hanc rite designandam merito primi generis amorem *Devotionis*, Secundi *Amicitiae*, Tertii *Benevolentiae* nuncupamus. Amor *Devotionis* nobis est *Amor Entis superioris*, cuius perfectione ita delectamur, ut illud iusta veneratione, ac digno obsequio prosequendum censeamus. Amor *Amicitiae*, est *Amor Entis aequalis*, cuius perfectione, aequie, ac nostra gaudemus. Amor *Benevolentiae* est *Amor Entis inferioris*, cuius perfectione ita laetamur, ut illam seruare, et pro eius entis capacitate amplificare studeamus. Iam vero quum Deus respectu hominis sit bonum infinite superius; dubitari non potest, quin eidem ab illo amor devotionis debeatur, per quem amor benevolentiae, quo nimirum, ut Theologi loquuntur, eius gloriam cupimus amplificari, minime excluditur; hunc quippe necessarium esse, ipsimet ocyus demonstrabimus. Neque autem illud negamus, amori devotionis etiam amorem amicitiae, secundum eorundem Theologorum sensum, accedere. Verum summa haec Dei benignitas, vti naturali rationis lumine nobis innotescere non potest; ita etiam eius explicatio non ad Ius naturae, sed ad doctrinam pertinet reuelatam.

§. 240.

Amor ergo *Deuotionis* est amor boni *superioris*: §. praec. *Ista vero excellentia fundari potest vel in sola maiore amati perfectione; vel simul in dependentia amantis.* Vtrumque reperitur in amore, quem Deo debemus: Namque est *in se Bonum infinite perfectum; Homo autem totus, quantus a Deo est atque dependet, et totus quantus ad ipsum, tanquam finem suum ultimum aeterna Dei lege ordinatus est.* ex *Theologia naturali et §. 3. ac 21.* ergo quum omnis amor *Deuotionis* inuoluat *veneracionem et obsequium* §. praec. quorum vtrumque pro ratione maioris perfectionis in amato, et dependentiae respectu amantis augeri oportet: dubitari nequit, quin Deum omnibus viribus colere, et perfectissimum eidem obsequium praestare debeamus.

§. 241.

Cultus Dei necessario illius *notitiam* praerequirat; neque enim ignoti *veneratio*, aut amor esse potest. §. 61. *Cultus autem omnibus exhibendus viribus* notitiam non qualemcunque, sed pro nostra facultate multo *exactissimam* postulat: igitur homo ad viam Dei et eius perfectionum notitiam aquirendam, et, quoniam istae sunt infinitae, ad illam in dies magis amplificandam, ac euentiorrem sibi faciendam procul dubio adstringitur. Quumque *Inuisibilia Dei*, vt ait Apostolus (a) et demonstratum supponimus ex *Theologia naturali, a creatura mundi per ea, quae facta sunt, intellectus conspiciantur: sempiterna quoque eius virtus et diuinitas; tenemur certe ad ea omnia diligenter consideranda, quatenus rectas de illius existentia, et natura opiniones (vt Epictetus Enchirid. C. 38. loquitur) habentes eundem esse Ens simplex, aeternum, independens, incomprehensibile, amplexans, vnum, intelligens, sapientissimum, praescium, omniscium, liberrime volens, omnipotens, verax, iustum,*

(a) Rom. 1. 20.

ac optimum etc. etc. non persuasi tantum, sed certissime conuicti simus.

§. 242.

Ista ergo omnia quum ab ipsa recta sanaque ratione doceantur: *inexcusabiles* sunt plane, vt ait l. c. Apostolus, *qui Deum non vt Deum glorificant; Inexcusabiles, inquam Impii, id est, Deum, aut eius perfectiones ex ignoracione summe culpabili negantes, vt Athei, qui nullum; Polythet, qui plures; Epicurei, qui Deum nostri incurium credunt: Inexcusabiles Blasphemi, siue qui Deo imperfectiones tribuunt ab eius natura abhorrentes, vt Antropomorphitae, qui illum corporeum fingunt; Pagani, qui olim Deos suos non solum humanis animi et corporis miseris obnoxios fecerunt: verum etiam nefanda ipsorum scelera simulacris, et ceremoniis turpissimis coluerunt; totque praeterea inter Christianos, qui Deum subinde sibi ipsis tanquam iniustum, crudelem etc. proponere, atque verbis etiam nefariis proscindere non verentur. Inexcusabiles denique multi Pseudopolitici, qui sola morum probitate contenti parum referre existimant, quid de Deo, de rebus diuinis, de Religione quisque apud se sentiat; Quos quidem omnes immaniter contra officia Deo exhibenda peccare per se notum ac manifestum est.*

§. 243.

Contra, qui talem, qualem ex §. 241. debet sibi aquirere, Dei notitiam est adeptus, is sane non potest non illum tanquam *summum Bonum in se, et summum etiam nostrum bonum* agnoscere, agnitum vehementissimo affectu appetere, atque in eius perfectione mirifice delectari: atqui appetitio boni cum delectatione propter eius perfectionem percepta, est *Amor*: §. 239. ergo quum hic debeat pro maiore Boni cuiusque perfectione excrefcere, §. 240. haec autem in Deo, siue consideretur tanquam *summum bonum in se, seu tanquam summum nostrum bonum, ex hactenus dictis plane sit infinita*

infinita, consequens est, quod teneamur eundem Deum *ex toto corde, ex tota anima, et ex omnibus visibus*, Matth. 22. amare, non solum amore, quem Theologi alioquin dicunt *benevolentiae*, seu *propter ipsum* (vide dicta §. 239. *ad finem*) sed etiam amore *concupiscentiae*, seu *propter nos*, et tanquam nostram supremam beatitatem, quae nimirum in Dei notione semper et necessario inuoluitur. Hoc ipso igitur omne *Dei odium infandum est*, et summe detestabile flagitium.

§. 244.

Quam vero amor noster erga Deum sit amor entis infinite perfecti, a quo simul toti pendemus, et ad quod toti ordinamur, id est quum sit amor exactissimae Deuotionis, summam venerationem, et promptissimum absolutissimumque obsequium exigentis; §. 239. et 240. hoc ipso etiam inuoluit plenissimam erga eius voluntatem etiam in rebus asperis *submissionem*, indefessumque omnia ipsi placita *agendi*, et quae eidem displicent, *cauendi studium*, quod vna cum summa *reuerentia* magis adhuc excitari debet per viam illius omnipraesentiae, ac omniscientiae recordationem, quemadmodum etiam agnita Numinis Clementia ac Prouidentia *spem* quantumuis inopinatis finistrisque euentibus tentatam ad *fortitudinem* et *constantiam* erigere, atque eius liberalitas, ac beneficentia *gratitudinem* postulandique *fiduciam* augere, Iustitia denique ac Potentia sanctum *Timorem* et piam vitandi omnis peccati *solicitudinem* animis nostris ingenerare debet. Dixi *sanctum Timorem*, vt *seruilem* illum excluderem, qui solam metuens poenam tacitum fouet peccati impune patranda amorem, qualis cum amore Numini debito combinari nulla ratione potest, vt adeo ad *Timorem filiale* sit eluctandum, qui amati Dei offensionem magis quam poenam horret. Ceterum vt tempori parcamus, plura eiusmodi erga Deum officia tum *positiua*, tum *negatiua*, id est vitia positiuis officiis opposita, et hinc sollicite cauenda §. 229. (quum haec omnia faci

facile ex Dei perfectionibus deducantur) cuiusque meditationi relinquimus.

§. 245.

Porro autem quisquis modo hactenus explicato Deum cognoscit, amatque, huic perinde esse non potest, vtrum is ipse ab aliis etiam cognoscatur, colatur, diligaturque, nec ne. Hinc officii erit nostri, *eius cognitionem, venerationem, amorem et gloriam, quantum in nostris est viribus, promovere, et anniti per idonea media, vt ignorantes doceamus, et errantes in rectam reducere viam valeamus.* Dixi tamen per *idonea media*, qualia respectu illorum, qui non voluntatis, sed intellectus vitio propter ignorantiam aut errorem exorbitant, certe non sunt illa, quae actus externos, aut verius eorum simulationem igni, ferroque etc. violenter extorquent, et plerumque animum in errore magis obtinant; sed quae rei veritatem demonstrando rationem alia via inaccessibilem et inexpugnabilem conuincunt. Iam vero hoc ipsum officium nos a cultu *interno* hactenus explicato, ad *externum* deducit, cuius partem constituit.

§. 246.

Cultui interno vi Iuris naturae *externum* addendum esse negare non puduit Thomasium (b) quem pauci sequuti sunt, his fere argumentis istud impietatis monstrum sustentantes: 1^{mo}. Quod Deus tali cultu nec *ratione sui* indigeat, vti quidem certum est, nec *respectu hominum*, quippe qui sit *Cardiognostes* (Scrutator cordium) vt adeo minime necesse sit eidem per opera externa cultum *internum* demonstrare, quemadmodum id fieri debet apud homines. Quin in Numinis, aiunt, ignominiam cedere, si eodem honoretur modo, quo solum inferiores propterea reuereri oportet, quia abdita pectoris introspicere nequeunt. 2^{do}. dicunt
qualem-

(b) Iurispr. diuin. L. 2. C. 2. Et Introd. in Ethic. L. 3. C. 37. etc.

qualemcunque denique cultum externum Iure positio introductum, et saepe mutatum esse, etiam vbi verus erat, vti in Lege veteri: euidenti argumento, illum ex I. N. haud descendere. Christum porro *Ioann. 4. 24.* conceptis verbis omnia ad cultum internum reuocasse dicendo: *Spiritus est Deus, et eos, qui adorant eum, in Spiritu oportet adorare.* 3tio. instant, Societatem humanam vitaeque tranquillitatem omisso etiam externo cultu nihil laedi turbarique.

§. 247.

Sed enim quum homo *totus quantus* sit a Deo, et ad illum ordinetur: §. 240. quis negauerit, quod *amorem deuotionis* etiam *totus quantus* debeat festificari sua subiectioe, et hinc non tantum ad officia *cultus interni*, et solum spectantis animum; verum etiam ad officia *cultus externi corpore* exhibenda adstringatur? Idque tanto magis, quod ipsa natura ita simus comparati, vt affectus internus in actiones externas erumpat, et contra ab istis tanquam proprio nutrimento, sine quo languescere fere incipit, foueatur, atque in nobis et aliis excitetur. Quid, quod nulla aliquando fuerit Gens tam fera, et barbara, quae non, quos credidit Deos, aliquo saltem cultu externo prosequendos duxit? Nec vero id collocutio hominum, aut consensus effecit; Non institutis haec opinio est confirmata, non Legibus. *Omni autem in re*, ait Tullius, et recte ait, *consensio omnium gentium Lex naturae putanda est.* (c)

§. 248.

Quare explodi merentur illa Thomasi et sequacium §. 246. relata somnia. Namque quod ad I. spectat: Numquid Deus (vti recte reponit Cl. Heineccius) indiget cultu interno? quis autem hunc necessarium esse negauerit? Porro non ideo vtique Deo exhibemus cultum externum, vt nostrum affectum vel nostras necessitates discat; quem-

quemadmodum olim Pagani erga inanes suos Deos fecerunt, merito a Seneca, teste Augustino, (d) irrisi, et quo id ipsum sine facere solemus erga homines nobis superiores; sed ad testificandum supremum Numinis in nos Dominium, nostramque demonstrandam subiunctionem, quorum vtrumque ad ipsum etiam corpus se extendit; et denique vt nos, atque alios etiam per actus sensibiles et externos, quibus in hoc naturae statu magis fere, quam internis afficimur, excitemus ad actus internos; id quod respectu aliorum hominum est vnum ex officiis internis, iam supra §. 245. stabilitum. Nihil itaque per eiusmodi cultum externum derogatur dignitati Numinis, quum insuper non solum diuersa intentione animi; verum etiam diuerso, plerumque, et multo demissiore, quam hominibus modo exhibeatur. Quod secundo iactatur, manifesto falsum est, si cultum externum quoad substantiam consideremus: namque soli ritus quoad illorum specificam determinationem (qui tanquam aliquid mere accidentale non spectant ad Ius naturae) iure positiuo praecepti et subinde mutati sunt. Praeterea tantum abest, vt Christus allegatis verbis cultum omnem externum sustulerit, vt ipse eundem verbo et exemplo, v. g. orationem Dominicam, Baptismum, vltimam coenam etc. instituendo docuerit. Quin ne potest quidem se Deus cultu externo abdicare, quia illi debetur ex titulo supremi domini in homines, quod eidem essentiali esse, nemo sanus dubitauerit. Ad tertium, imprimis negamus suppositum, quod Socialitas sit norma et principium officiorum naturalium. Vide Prol. §. 22. Deinde falsum est, Socialitatem posse sine cultu Dei externo subsistere: namque omni Religione externa semel sublata, omnis etiam publica inter homines fides tolletur, neque vllus alteri se suae tuto credere poterit, aut volet: quum Reuerentia et Timor Dei praecipuum sit fundamentum ac robur obligationum, et fiduciae mutuae

(d) L. 7. de Ciu. C. 10.

mutuae inter homines: Vt adeo ipse Puffendor-
fius probe perspiciens sine hoc vinculo Societatem
totam diffluere, cultus externi necessitatem vltro
agnouerit, quin Machiauellus quoque in externa
saltem Religionis simulatione totam suam falsam
Politica fundarit.

§. 249.

Affectus internus ipsa instigante natura pro-
rumpit in actum externum: §. 247. ergo qui Deum
modo supra explicato cognoscit, amat, et colit,
§. 241. etc. is sane non potest non de illo reue-
renter, honorifice, saepe et libenter loqui, ad na-
turalia cultus diuini, et alia etiam praecepta actio-
nes suas omnem cauendo simulationem sollicite
accommodare, Numinis opem implorare illius, be-
neficia laudibus celebrare, atque in id totus in-
cumbere, vt suam publice testificando deuotionem,
alios quoque sermonibus, et actionibus viua Dei
cognitione imbuat, et ardenti amore inflammet,
secundum dicta, §. 245. Verum, quum hisce offi-
ciis generaliter loquendo cultus Dei *externus* con-
tineatur quaedam tamen actiones magis praecipue
adhuc considerandae sunt, quae, quoniam omni
retro aetate a gentibus fere vniuersis ad istius cul-
tus siue vero Deo, siue falsis etiam Numinibus
praestiti testificationem adhibitae fuerunt; dubitari
nequit, quin ab ipsius naturae instinctu atque Lege
descendant.

§. 250.

Eiusmodi actiones, et officia cultus externi
specifica sunt I. *Adoratio Dei externa*, qua genu-
flexione, prostratione totius corporis etc. sum-
mam erga illum nostram reuerentiam, et plenissi-
mam submissionem contestamur: ex qua etiam *in-
tentione*, quae nisi erga Ens supremum locum ha-
bere non potest, patet discrimen inter eiusmodi
honorem aut mortalibus, aut diuis Caelitibus, vel
Deo exhibitum.

§. 251.

§. 251.

II. *Sacrificium*, quod est oblatio rei sensibilis per realem illius destructionem aut saltem immutationem facta Deo, ad contestandum supremum, quod in nos habet, dominium: qualia nobis sacrificia omnes omnium gentium historiae ob oculos ponunt; ea autem non nisi Deo fieri posse, manifestum est ex illorum fine, qui semper diuinam supponit perfectionem. Sacrificium si ea solum offeratur causa, vt debitus supremo rerum omnium Domino honor exhibeatur, vocatur *latreuticum*; si simul ad gratias pro acceptis beneficiis reddendas fiat, *eucharisticum*; si ad aliquid impetrandum, *impetratorium*; si ad expianda peccata, *propitiatorium* nuncupatur. Ceterum Christus, quemadmodum Reuelatio docet, omnia haec sacrificiorum genera vna sui corporis oblatione, quae in templis nostris incruento quotidie modo innouatur, in perpetuum consummauit.

§. 252.

III. *Oratio*, non in quantum est mere interna eleuatio mentis ad Deum (sic enim pertinet ad cultum internum, vti facile colligitur ex dictis §. 244.) sed in quantum per illam Deum tanquam omnium bonorum auctorem etiam verbis externis inuocamus, laudamus, propitiamus, etc. quoniam vero natura proni sumus ad istum honorem entibus excellentioribus etiam per verba metris illigata, et secundum modulos musicos decantata exhibendum, quatenus hisce praesidiis nos et alios audientes excitemus, ad magnam existimationem de illis, quos ita celebramus, concipiendam: certum est, id orationis genus, quod *Psalmodicum* dicitur, supremo Numini deferendum esse, quemadmodum etiam ab omnibus retro gentibus semper delatum est. Patet autem omnem Orationem interna animi intentione ac attentione animandam esse, quia alioquin coram Deo *omissio*, et *omnipraesente* non potest non

non in deterrimam simulationem ac hypocrisim degenerare.

§. 253.

IV. *Iusiurandum*, sine diuini Numinis inuocatio in testem veritatis vel assertae, vel promissae. Semper hoc iuramentum, et vbique fuit tanquam praecipuum humanae societatis vinculum reputatum, quippe quo fidem nostris dictis, promissisque publicam facimus, secus nunquam non suspicionibus obnoxiam futuram propter humanae mobilitatem mentis. Neque etiam dubitari potest, quin iuramentum inter praecipuos sit *Religionis actus*, quippe quo nostram de Veracitate, omniscientia et iustitia Dei existimationem declaramus. Hinc perinde est, vtrum Deus modo enuntiatio, an imprecatorio testis vocetur; quia semper imploratur, vt sit *Vindex temeritatis nostrae*, si eius veritatem velati oppignorare ausi fuerimus in re, quae secus se habet, atque dicimus, aut quam praestare non intendimus. Neque refert, vtrum Deum *per se*, an in rebus quibuscunque creatis, quatenus ad ipsum referuntur, testem appellemus. Patet verogravissime peccare, quisquis illum *testem falsi* siue asserti, siue promissi facit; adeoque *Periurus* est. Deinde praeter *Veritatem* iusiurandum *promissorium* etiam debet esse de re *licita* et *honestae*; atque hinc est, quod vulgo dicitur, comitem illius debere esse *Iustitiam*, ne degeneret in *Vinculum iniquitatis*, ad quod Dei sanctissimi auctoritate abuti velle prorsus nefarium est. Denique *Gravitas* quoque requiritur, nec nisi in rebus magni momenti interponi iuramentum oportet; quia, si temere id fiat, ipsa quidem iurantis leuitas culpa non caret; eoquod plane indignum sit, Auctoritatem et Nomen summi Dei in rebus quibusque friuolis vsurpare; vt nihil dicam frequentem nimium tam grauis assenerationis vsu conscientiae leuitatem prodere, fidem apud alios satis ambiguum merentis.

§. 254.

Affine iuriurando est V. *Votum*, seu *pollicitatio deliberata Deo facta de bono meliore*, quae iterum inter *Religiosi cultus* officia nunquam non est habita: Namque talis pollicitatio Deo facta nihil est sane aliud, quam testificatio promtionis circa obsequium diuinum animi, ad quem certa in re exhibendum fidem nostram obligamus Deo, adeoque illum veluti *testem*, et *perfidiae vindicem*, quem admodum in iuramento fieri solet, §. *praec.* inuocamus. Igitur votum, licet forte in alterius cuiusdam commodum redundet; principaliter tamen fidem Deo alligat, adeoque grauissimam post se trahit obligationem, nostro ipsorum arbitrio indissolubilem. Hinc *animum* omnino petit *deliberatum*, qualem semper in arduis negotiis requiri apud omnes in confesso est. Praeterea debet esse *de bono meliore*, id est tali, quod praestare per nostras vires, et per Legem diuinam liceat, atque ita liceat, vt aliquid *Deo gratius* per illud non impediatur; quia secus promissio in primo casu erit *stulta*; in secundo *impia*; in tertio autem Numini *ingrata*; adeoque nunquam talis, vt ab illo *acceptata merito* credi possit.

§. 255.

VI. Denique huc spectat *Reuerentia personis, rebus, locis atque etiam temporibus Deo consecratis exhibenda*, quam Ius naturae omnes penitus gentes docuit: Quum enim per vitae necessitates non semper Numinis cultui peculiariter vacare liceat; ipsius rationis instinctu certa sunt tempora hisce officiis praestandis selecta. Et quoniam nec vbi que illa exhiberi conuenit, nec satis digne a quolibet, aut absque omni ordine atque apparatu exhiberi possunt, eadem ratione instigante, certos Sacrorum Praesides, certa loca, certa instrumenta destinare, et velut Deo consecrare, atque a communi vsu, commercio, obligatione segregare, ac discernere placuit; quibus etiam propter Deum finguntur.

singularis fuit honor praestitus, ita, vt eiusmodi personarum, rerum, locorum ac temporum violatores semper pro impiis ac sacrilegis haberentur. Porro superfluum ducimus stabilitis hactenus officii externis *positiuis* opposita *negatiua* subiungere, et longam vitiorum enarrationem texere, quum ea per se quisque nullo admodum negotio ex contrariorum disciplina cognoscere possit.

§. 256.

Ceterum quisquis hactenus *de officiis erga Deum tum internis, tum externis* dicta, et penitus considerata cum hominum indole ac moribus, cum gentium, et Religionis historia compararit, videat necesse est, quam finis procliuus ad sinistras de Deo, et rebus diuinis opiniones concipiendas, quamque pauca, quam parum determinata principia de modo illum debite colendi ex solo naturalis rationis lumine habeamus. Inde sane a condito mundo ad nostra vsque tempora tot sectae, tantae errorum tenebrae, tam immanes superstitiones, cultum, qualis vel quibus non debebatur, absurdissimum, aut etiam flagitiosissimum exhibentes enatae sunt. Igitur patet, Reuelationem omnino esse necessariam, tum vt stabiliamur in veris, dignisque de Deo sententiis, tum vt iustam cultus eidem exhibendi rationem doceamur. Et quum praeter haec Deus per Legem naturae, aliunde in multis adiaphoram, sua in hominem iura certe non exhausit; vltius sequitur, illum non *potuisse* modo iniuncta nobis officia naturalia per *Legem positiuam* magis explicare, determinare, atque etiam adstringere; verum *deuissse* quoque vt id faceret, et ignorantiae hominum, natiuae corruptionis tenebris auctae, et in tot officiis, seu Deum, seu etiam nos ipsos, siue Proximum concernentibus, hallucinanti per Doctrinam atque Legem magis determinatam subueniret. Quin, postquam nos ad *finem supernaturalem* eleuauit, quem humanus intellectus sibi relictus, et nunc insuper per peccatum

catum deprauatus, vna cum mediis ad illum per-
tingendi nullo modo capit, *dehuit* plane Deus *Le-*
gem reuelatam lumini rationis superaddere. Su-
peraddidit autem, vti Theologi nostri inuictis prob-
bant argumentis: ergo quum *Reuelatio* proficiscat-
tur a Deo summe *verace*; *fidem* etiam in rebus,
quae captum humanum superant, longe promptissi-
mam subiectissimamque a nobis requirit: *Lex* au-
tem *diuina positua* a supremo rerum omnium *Do-*
mino lata *obedientiam* postulat paratissimam, atque
per singula longe exactissimam, nec minorem,
quam qualem Legi aeternae ac naturali debemus.

ARTICULUS II.

DE OFFICIIS MONASTICIS ERGA SE IPSUM.

§. 257.

Quemadmodum officia hominis naturalia *erga*
Deum; ita etiam illa *erga se ipsum* ex primo
I. N. principio, consequenter ex *legitimo sui ipsius*
amore deducenda sunt. §. 235. et 238. Amor in
genere est *Appetitio* boni cum delectatione pro-
pter eius perfectionem percepta: §. 239. ergo et-
iam amor sui legitimus *sua perfectione* delectatur.
Perfectio autem summa hominis est eius *ultimus*
finis §. 12. et *felicitas* §. 15. id est *secura Dei*
possessio §. 22. per eius *cognitionem* et *amorem*;
§. 24. Adeoque amor legitimus sui ipsius subor-
dinatus est *amori Dei*; id est, debemus nos *pro-*
pter Deum tanquam vltimum finem et beatitatem
nostram amare. §. 236. Igitur praedicta *Dei pos-*
sessio est illud bonum, quod legitimus sui amor ap-
petit, illa perfectio, propter quam delectatur, ille
finis, ad quem tendit, et ad quem consequenter
omnia *officia monastica erga se ipsum* debent col-
limare.

§. 258.

Ad huius affectionem *finis* Deus homini triplicis generis bona, tanquam *media* quaedam, in ipso *Vitae bono* veluti radicem habentia, dedit, I. *Bona animae*, II. *Corporis*, III. *exteriora*, ita quidem, vt ea vel in se iam praeparata inueniat, qualia sunt *naturales facultates animi*, et quae ad *corporis integritatem, conseruationem, et decentem honestatem spectant*: vel vt ea, auspicante diuino praesidio, proprio possit labore procurare, vti sunt *virtutes, scientiae, artes etc.* et praecipue *bona exteriora famae, fortunae etc.* vel denique vt sic congenita, aut procurata eiusdem Numinis auxilio conseruare, augere, ac perficere possit.

§. 259.

Homo totus quantus est, ac dependet a Deo; et totus quantus ad eum, tanquam *finem vltimum*, diuinae Prouidentiae Lege ordinatus est: §. 240. ergo hoc ipso non est *Dominus sui ipsius*, sed totus ad omnem Numinis nutum se componere tenetur; consequenter de *mediis* etiam sibi propter finem vltimum datis §. praec. non pro lubitu disponere, sed circa illa secundum Dei voluntatem se gerere, et hinc iam praeparata tueri, nondum adepta pro viribus procurare, quomodocunque autem parta conseruare, augere, et perficere iisdemque rite vti pro sua iterum facultate debet; adeoque *in tuendis, procurandis, perficiendis atque applicandis Bonis animae, corporis ac exterioribus* omnia eius monastica erga se ipsum officia occupantur; Neque enim aliter ad vltimum pertingere finem, et legitimo sui ipsius amori satisfacere potest. §. 257. et 258.

§. 260.

Bona animae sunt geminae illae mentis facultates, *Intellectus*, et *Voluntas*, et quidquid ad illarum pertinet perfectionem: Porro autem nemo nescit *Intellectus* perfectionem in *cognitione veri*;

Voluntatis in *amore boni* fitam esse, ita quidem, vt per veritates inferioris ordinis, siue creatas, ad increatam; et per bona medii, ad bonum vltimi finis, seu summum, eluctari debeamus, quatenus denique cum Deo, vnica nostra et summa Beatitate, coniungi mereamur. §. 23. etc. Igitur respectu *honorum animae* redeunt omnia *officia hominis erga Deum* Art. praec. explicata; Redeunt insuper omnia illa principia, quae de acquisitione *virtutum Intellectualium*, et *moralium* in Aretologia, de *bonitate ac regulis actuum humanorum* in Praxeologia tradidimus; Quum nimirum haec omnia spectent ad perfectionem intellectus, et voluntatis, quam Deus a nobis exigit, §. praec. adeoque sint *vera Officia hominis erga se ipsum*, in quantum scilicet ad propria cuiusque statum necessaria, et singulorum captui accommodata sunt. Consequenter dubitari non potest, quin grauiter peccet, quisquis est in his animae facultatibus et bonis fideliter tuendis, solerter procurandis, diligenter perficiendis, ac rite vtendis negligentior.

§. 261.

Hactenus de officiis circa *bona animae* dicta pro Tyronibus sufficiunt; quippe pleraque huc spectantia iam ante praelibauimus: Nunc igitur ordo nos quidem ad bona corporis vocaret; sed medium inter haec duo velut intercedit *Bonum vitae*, siue ipsa *vnio mentis et corporis*, quae bonorum vtrique conuenientium, atque etiam externorum veluti radix est, §. 258. et qua sublata, licet animus immortalis superstes maneat; non tamen *homo*, qui simul ex anima et corpore constat. Itaque de officiis circa ipsam vitam praeuie est agendum. Et nos quidem ad *vitam* diligenter tuendam obligatos esse, vel solus ille probat *naturalis instinctus* non homini solum, sed abiectissimis etiam animalibus a Conditorum inditus, vi cuius se aduersus omnia mortis pericula muniunt, atque defendunt. Praeterea autem hoc ipsum inde redditur manifestum, quod homo non sit sui ipsius dominus, neque

neque de se ex proprio arbitrio disponere possit, sed ad omnem Dei nutum se componere teneatur: §. 259. ut adeo, quemadmodum recte dixit apud Ciceronem Pythagoras, nefas sit cuilibet *iniussu summi Imperatoris Dei de praesidio, et statione vitae decedere.*

§. 262.

Ex hoc principio sequitur I. Iure naturae prohibitam esse *Autochiriam*, seu voluntariam sui ipsius occisionem, quippe per quam homo de propria disponendo vita grauissimam Deo, soli vitae Domino §. praec. iniuriam facit, quem scilicet de sua velut possessione deiicit, quod neruose probans Socrates apud Platonem in *Phaed.*: *Nonne et tu, ait, si quod ex mancipiis tuis se ipsum perimeret, quum tu minime significasses velle te, ut e vita excederet, irascereris illi, et si potestatem haberes, poena afficeres?* Praeterea, vanae sunt, quibus eiusmodi sui ipsorum parricidae moueri solent, rationes: criminum, puta, torquens conscientia, qua ducti sibi persuadent, se per mortem suam grandi lae societatem hominum purgaturos; aut calamitatum, quibuscum colluctantur magnitudo; aut mortis infamis, multaeque truculentioris metus; aut denique spes vitae post onus corruptionis depositum suauioris. Namque inprimis cum conscientia in gratiam quilibet respiciendo redire, et postliminio societati utilis fieri potest; deinde licet ex duobus malis ineuitabilibus sana ratio minus eligere iubeat; malum tamen *morale*, quale est *Autochiria*, semper est maius etiam maximo malo *Physico*; nulla vero est calamitas, quae non ad quietem in Dei voluntate leniri valeat; denique frustra sperat vitam post mortem suauioris, qui ita decedit, ut Deum iniuriae et offensae Vindicem ipsa sana ratione monente (vti ex Theologia naturali supponimus, et ex parte §. 42, diximus) debeat exspectare. Itaque frustra stolidi Paganorum antiquitas ob mortem sibi audacter accessitam falsa illa fortitudinis simulacra Lucretiam,

Catonem, Brutum, Cleopatram etc. laudavit, quorum si agendi rationem penitius introspicias, videbis, imbelliores fuisse, quam qui fortunam suam aequo auderent animo tolerare. Vide §. 207. Si qua vero in necem sua sponte ruentium exempla in SS. Litteris, aut Gestis Martyrum occurrant; id quod indubitata virtute homines fecerunt, aut peculiari Numinis instinctui, aut inculpabili illorum ignorantiae tribuendum est. Ceteram nec Scriptura omnia, quae narrat, probat; et vetus Ecclesia ne habuit quidem in censu Martyrum se ipsos letho temere sine diuinae inspirationis vestigio offerentes.

§. 263.

Sequitur II. Parum interesse, vtrum quis violentas necis consciscendae causa manus sibi vna simulque iniiciat; an vero immodicis laboribus, nimio luxu, effreni libidine, abiectae omni valetudinis cura mortem acceleret, aut se sine vlla officii necessitate periculis exitii obiectum exponat. Patet quippe, quidquid horum fiat, *Dei iniussu* factem *causam* poni, quo quis citius, quam ille decreuit, e vitae statione decedere possit, quod quum natura sua malum sit §. praec. etiam malum manet, si nobis sit *voluntarium in causa*. §. 65.

§. 264.

Sequitur III. Aliud omnino tenendum esse, si quis Deo *iubente*, aut *probante*, mortem aliunde imminentem patiat. Etenim quum Autochiria ideo mala sit, quia quis iniussu Dei a vitae statione decedit, et in Numinis inuolat iura, quae nunquam permittunt, vt quis in propriam suo saeuat arbitrio vitam: §. 262. tum sane *mortis patientia* non potest esse mala, si a vitae Domino aut *iussa* est, aut *comprobata*.

§. 265.

Iussa censeri debet, non tantum, quando alicuius naturalis *perfecti* officii lege §. 229. praecipitur, vti v. g. malefactoribus, qui iusta sententia

ad

ad necem ferendam damnati sunt, aut militibus, qui mortis periculo etiam evidentissimo se exponere tenentur; quemadmodum haec patebunt ex dicendis *de officiis civilibus*: Verum etiam quando vita seruari nequit *sine Dei iniuria*, quod toties contingit, quoties hoc officium de vita tuenda colliditur cum *officio perfecto negativo* erga Deum, quum quae tali officio prohibentur, v. g. Deum negare, crimen ab ipso vetitum patrare etc. fieri nunquam sine eius ignominia possint. Aliud dicendum videtur de *officiis affirmatiuis*, quibus actio iniungitur; huius enim ommissio non est imputanda, vbi eius occasio defuit: sed humano saltem modo occasio defuisse videtur illi, qui sine mortis discrimine eandem ponere nequiuit. Vide dicta §. 229. et 230.

§. 266.

Probata a Deo mortis patientia credi merito potest, quando mens de praestantiore aliquo bono per mortem consequendo certa est; quum enim officia sint sibi inuicem *subordinata*, atque adeo ignobiliora cedant praestantioribus; §. 237. cessat sane officium tuendae vitae, si quis eam propterea solum periculo exponat, vt officio satisfaciat nobiliori, et propius ad finem vltimum, aeternae nimirum beatitatis adeptionem, propter quam ipsa nobis vita data est, accedenti. Hinc si quis v. g. officio Deum ex toto corde amandi, et eius honorem amplificandi plenissime satisfactorus corpus laboribus ac studiis atterendo, aegris inseruiendo, infidelibus praedicando etc. se mortis discrimini exponat, tantum abest, vituperari vt debeat, vt laudem celeberrimam mereatur, id quod non Sanctorum modo, sed et Gentilium confirmatur exemplo, qui pro patria, pro virtute, pro scientia, tanquam bonis vita nobilioribus (namque maior pro his quoque militat officii praestantia) maxima subire discrimina, et vires laboribus consumere non honestius, quam gloriosius duxere. Et sane *quid hominem iuuant octoginta anni per inertiam ex-*
K 5 *acti,*

acti, in rem nostram ait Seneca, (e) *Non vixit iste, sed in vita moratus est: ergo quum non nobis solis viuamus, vt ipse etiam concludit Puffendorfius, (f) sed Deo, et societati humanae; inde, si vel gloria Creatoris, vel salus societatis humanae vitam nostram velut deposcat, eam sane ad istos vsus libenter consumere debemus.* Neque enim tum agitur de solo et mero decoro, quod officio perfecto postponendum diximus §. 237. sed de perfecta obseruatione officii, cuius bonum est vita nobilius, et asecutioni fini vltimi proximius.

§. 267.

Inde autem patet, quam recte Hobbesius, ac Machiauellus quidquid conseruationi propriae nocet, cauere praecipiant, quoque suo merito Wernherus Vires corporis atterere prohibens tot alios post se traxerit, qui rigores vitae vere christianae, tanquam lanienas Iuri naturae, et amoris proprio quam maxime aduersas execrantur. Quod ad vltimum spectat, rigor moderatus (immoderatus enim excusari subinde; probari nunquam potest) omnino necessarius est vel ipsa teste experientia, si vitia comprimere, animum sua ad munia idoneum reddere, quin ipsam etiam valetudinem incolumem seruare velimus. Illa autem priora Hobbesii et Machiaueli principia non possunt non totam hominum socialitatem euertere; quippe ruat ista oportet, quamprimum quisque aliorum negligens suam tantum cuticulam curare, et nullum pro salute publica discrimen subire decreuerit. Iam vero ex vitae tuendae officio

§. 268.

Sequitur IV. Possit aliquem ad mortem certo imminentem euitandam, modo si eius patientia a Deo iussa non sit, §. 265. minus lethi periculum subire:

(e) Eplst. 94.

(f) I. N. et G. L. 2. C. 4. §. 17.

subire: v. g. conflagraturus in incendio aedium potest desilire per fenestram, cancro serpente periturus membrum recidendum praebere, ne pars sincera trahatur: Namque quum talis inter duo mala physica eligat minus, re ipsa officium praestantius tuendi vitam, et cauendi certam mortem praefert minus nobili seruandi membrum, aut cauendi mortem dubiam. Verum non aequè expeditum est, vtrum seruandae gratia vitae tale quidquam tentare, vel pati obligemur? Etenim quamuis certum videatur, teneri hominem pro vita tuenda periculum subire valde remotum, aut tolerare iacturam membri haud admodum necessarii: si tamen per ista mortis effugia spes salutis oppido incerta affulgeat, et, vt fere contingere solet, etiam cum atrocissimis doloribus, et consecutura perpetua calamitate sit coniuncta; inhumanum enimuero videtur damnare hominem, qui se communi naturae ordini permittere, et mortem imminentem tranquillo pati animo; quam spem valde incertam vitae ipso forsitan letho acerbioris futurae, tam caro emere pretio mauult: Neque auctor naturae, qui omnes suas leges humanis attemperare viribus solet, dum vitae nobis curam commendauit, ad media illius tuendae prorsus insolentia nos alligasse credi potest: talia vero procul dubio habenda sunt illa mortis effugia, de quibus heic loquimur: ergo ad illa amplectenda nemo tenetur, nisi forte extra ordinem alicuius vita bono publico apprimè necessaria esset futura.

§. 269.

Plures adhuc sequelae circa *propriae vitae defensionem contra iniquos aggressores suscipiendam* deducendae superessent: Quoniam vero eadem controuersia etiam ad alia bonorum genera tuenda hodie dum extenditur, illam consultius vna eademque opera in Sectione scholastica examinandam reseruamus. Nunc igitur ad officia, quae ad bona corporis spectant, sermonem conuertamus.

§. 270.

Bona corporis ea vocantur, quae ad illius integritatem, conseruationem, et decentem honestatem spectant. Ad *Integritatem* pertinet inprimis cura membrorum, quae, quia singula sunt partes corporis organici, variis vitae functionibus tum physicis, tum moralibus seruietes; ad ea omnia salua tuenda, exercitatione statui conueniente roboranda, et contra omnem mutilationem ac destructionem defendenda tanto magis tenetur homo, quanto minus est sui ipsius Dominus, sed non nisi usufructuarius, obligatus, vt his omnibus ad finem sibi a Deo praestitutum vtatur. §. 259. Quoniam vero ex membrorum integritate, incolumitate et harmonia *valetudo* consurgit; sine qua ad officia et munia sua homo ineptus fere, et inhabilis redditur: sequitur, ad istam quoque partem tectam seruandam nos eadem ratione adstringi; praeterea autem, valetudinem quomocunque afflictam, vti etiam laesa membra opportunis redintegrare mediis, officium esse cuiuslibet sollicita omnino cura implendum.

§. 271.

Ad conseruationem corporis victu opus est, sine quo vita produci nequit: ergo neque dubitari potest, quin ad illum iustis et opportunis modis procurandum, atque etiam corpori indulgendum obligemur. In eius autem vsu *Temperantiae* Leges §. 198. etc. diligenter seruare oportet: quia corpus plus iusto curatum haud sane minus impedit functiones animae, quam insolenti macie debilitatum; vt nihil dicam de morbis ex ingluuie, crapula, ebrietate etc. oriri solitis, quos ex officio tuendae valetudinis praecauere tenemur. §. *praec.* Ceterum nemo sanus inficias iuerit, Conditoris fructus terrae, et carnes animalium pro alimento subministrantis ordinem totum inuerti per *Anthropophagiam*, siue illarum Gentium saeuitiam, qui mactare solent homines, vt illorum vesci carnibus possint

possint. At vero vltima vrgente fame cadaueribus humanis vitam sustentare, miserandum potius dixerim cibum, quam nefarium. Neque videtur esse aduersus Conditoris mentem, si ceteris officiis saluis, et necessitate lic exigente ex lacte, sanguine, pelle etc. hominum medicamenta aegris parerentur.

§. 272.

Ad decentem denique *honestatem* pertinet cura *castimoniae*, et *modestia* tum *vultus*, tum etiam *cultus*. Etenim, quum homo non sit sui corporis Dominus, §. 259. per se quidem patet, quod membris nisi ad finem a Deo praescriptum vti non possit; adeoque illis abuti ad res venereas statui non competentes repugnet Iuri Naturae; consequenter castitas eidem statui propria tuenda fit. Vide dicta de *Temperantia* §. 198. Ceterum frustra quamcunque denique impudicitiae speciem excusari. *Capite proximo de Officiis oeconomicis* paulo vberius ostendemus. Deinde ex eodem principio *Dominii diuini* sequitur, corporis etiam partes omnes ad honestatem componendas, atque hinc oculorum licentiam refrenandam, vocem temperandam, incessum moderandum etc. et quidquid honestati repugnat, fugiendum esse, quibus in rebus *modestia Vultus* sita est *ex dictis* §. 203. Denique quum secundum superius dicta corpore, ac eius membris non nisi ad finem a Deo constitutum debeamus vti; id autem fieri nequeat, nisi etiam *modestia cultus* §. 203. accedat, hanc quoque inter officia nostra connumerari ambiguum esse non potest; Consequenter quidquid contra eam per *excessum*, id est per luxum supra sortem propriae conditionis, in vestibus, suppellectilibus, et aliis ad vsum seruiantibus: quidquid contra per *defectum*, v. g. per negligentiam partes siue pudendas, siue aspectu lasciuiam prouocantes conuenienter tegendi, seu per nimias sordes in iisdem supradictis rebus; quidquid denique contra *decentiam et honestatem seorsus* peccatur, v. g. si sine iusta causa, vel cum peri-

periculo seductionis femina veste virili, vir feminea utatur, id etiam Iuri naturae est contrarium.

§. 273.

Bona exteriora reduci possunt ad ea, quae vel sunt *Famae*, vel *Fortunae*. Est autem *Fama bona* (de hac quippe loquimur) *benignum de virtute ac perfectionibus nostris aliorum iudicium*, quo quidem vitia tanquam freno cohiberi, et contra virtutem tanquam fortissimo stimulo incitari nemo nescit; Praeterea eos fere solos quisque amat, et felicitate dignos iudicat, quorum de virtute bene sentiendi causas habet. Est igitur *Fama bonum externum animae*, et quidem post *virtutem et vitam*, quibus veluti suis nititur fundamentis, *maximi faciendum*; consequenter iustis modis quam diligentissime procurandum, servandum, atque tuendum; Adeoque *per defectum* contra hoc officium peccant, qui pudore calcato famam negligunt, prodiguntque: neque dubitari debet, quin Themistoclis exemplo (g) ad eluendam summa industria, quam nomini suo allinere, maculam obligentur; tanto magis, quod ad reparandam legitimis remediis famam illi etiam teneantur, quibus innocentibus per calumnias obtrectatur; quia nimirum extincta semel fama nec ad Dei gloriam promovendam quis satis aptus est, quod officium iam supra §. 245. stabilivimus, neque idoneus, ut aliorum curet salutem, aut Reipublicae seruiat, quae item officia suo loco firmabimus. Interim tamen hanc ultimam faciendae famae obligationem respectu innocentium ita temperari oportet, ut neque utgeat in calumniis manifesto falsis, quas negligere prudens, non resellere debet: neque etiam, si famae reparationem ad praedictos fines heic et

nunc

(g) *Quum iudicasset sine summa industria eam (contumeliam) non posse extinguere: totum se dedit Reipublicae, diligentius amicis, famaeque serviens, quo factum est, ut brevis illustratur. Corn. Nep. C. 1.*

nunc haud ita necessariam quis Deo committere, et ipse ex altiore motu nobilius interea heroicam patientiae bonum *secundum dicta* §. 265. eligere malit. Ceterum contra idem circa famam officium per *excessum* procul dubio peccant, qui anxiam nimis eiusdem curam gerunt, ut vel illam nobilioribus anteponant rebus; vel bonum hoc, quod non minus Dei est, quam totus homo, §. 259. ad omnis boni auctorem et finem haud referant; sed potius sibi per vanissimam *iactantiam*, et invidiosissimam *gloriationem* tribuere conentur. Sane non est delictum, quod praesentior poena premat: Quippe experientia constat, uti pulcherrime animadvertit Cl. Donatus, quod, qui divinae Iustitiae solem a tergo habent, eos honor insequentes fugiat: quum e converso hic ipse eorum, qui solem eundem a fronte suspiciunt, vel violentium quoque vestigiis tenaciter umbrae instar solet inhaerere.

§. 274.

Bona Fortunae vel sunt *naturalia*, vel *artificialia*; Naturalia dicuntur, quae proxime conservationi vitae subserviunt, uti fruges, pecora, domus etc. Artificialia vocantur, quae remotius eandem adiuvant, ut aurum, argentum, pecunia etc. Haec porro utriusque generis bona a Deo, quamvis plerumque non sine nostro labore, conceduntur tanquam *media ad vitam honeste traducendam*, id est, tanquam *praesidia* tum *propriae*, tum *communis*, tum *privatae aliorum necessitatis*, *utilitatisque*, ita ut prudenti illorum usu non de nobis tantum; verum etiam de republica, deque aliis, maxime indigentibus, bene mereri possimus. Ergo imprimis in hunc finem solerter id genus bonorum pro conditione status, in quo quisque vivit, iustis modis *parandum* est, et quia, qui tenetur ad finem, etiam obligatur ad media; iustiorque ad necessarias parandas facultates non patet *via*, quam quae constanti labore ac industria aperitur, ad hunc ~~etiam~~ *laborem* pro suamet *condi-*
tionis

tionis modo acriter suscipiendum, et fortiter ob-
eundum quisque adstringitur; minime excusan-
dus, si sua culpa cum ea conflictetur egestate pro-
pter quam propriis ipse officiis satisfacere nequeat.
Quodsi vero citra suam culpam quacun-
que de-
mum ratione aut bonis suis deiciatur, aut ex in-
opia se frustra attollere laboret; non vituperium
sane, sed summam emerebitur laudem, si sua se
virtute inuoluens proba possit esse contentus pau-
perie. Porro paratae Deo fauente opes procul
dubio etiam diligenter *tuendae* sunt; sed non alio
sane fine, quam vt prudenter, si res poscit, in
proprium, aut Reipublicae, aut indigentium alio-
rum necessitatem atque vtilitatem *expendantur*.
Consequenter non *auaritia* magis, quam *prodiga-
litas* Iuri naturae repugnat. Illa, dum opes non
nisi opum causa sine fine quaerens, inuentis ta-
men misera abstinet, et vti timet: ista, quidquid
habet, leuiter, et fere turpiter perdens praecipiti
ad paupertatem cursu properat; vtraque vero bo-
ni causa, quod ordine infimum, et plerumque non
nisi falsa species boni est, maiora omnia, corporis
iustam curam, famam, animi tranquillitatem, vir-
tutem, ipsumque adeo Deum negligit. Ex quo
facile patet multum periculi esse in magna Opu-
lentia, fere ad prodigalitatem et luxum, aut certe
ad auaritiam procliu, adeoque *auream illam Me-
diocritatem* olim ab Horatio decantatam (h) prae-
diuitiis, nunc curarum, iam vitiorum adeo feraci-
bus, cuique sapienti serio esse praeoptandam.

ARTICULUS III.

DE OFFICIIS MONASTICIS ERGA PROXIMUM IN GENERE, ET DE ABSOLUTIS IN SPECIE.

§. 275.

Officia monastica erga Proximum fundantur in
ea parte primi principii, quae nos illa facere,
atque

(h) L. 2. Od. 10.

atque omittere omnia iubet, quae agere, aut cauere necesse est, vt *amor Proximo debitus* exhibeatur. Prol. §. 24. et 235. Porro autem Proximum *propter Deum* amandum esse ostendimus §. 236. et quidem ex triplici ratione I. quia Conditor iubet; II. quia naturae aequalitas omnibus ab illo indita efficacissime id ipsum vrget; III. quia ipse hic Creator tales nos omnes fecit, vt aliorum *ope* carere non possimus, adeoque ad *fiduciam* in illorum auxilio ponendam plane cogamur, quae quidem nunquam locum esset habitura, nisi in *amore* inuicem debito fundaretur.

§. 276.

Amor igitur Proximo debitus, est amor *aequalium* inter se, tum *natura*, tum *auxilii inopia*: §. praec. Ex hoc principio sequitur I. *eundem amorem esse quoad substantiam omnibus omnino hominibus debitum*; namque inter omnes obtinet *naturae* in primis *aequalitas*, quae neque per maiores quasdam perfectiones, nec per imperfectiones singulorum, vtpote mere *accidentales* tollitur, et hinc multo minus per similitudines aut inimicitias cum aliquo susceptas; vnde patet, nec ignotos, nec malos, nec aduersantes nobis ab amore excludi posse; idque etiam propterea, quod secundo ea sit nostra infirmitas, vt nunquam satis nobis cautum sit, vtrum ipsorum id genus hominum aditorio carere valeamus. II. Sequitur, *Amorem hunc*, eo ipso quod sit amor aequalium, *esse amorem Amicitiae*: Hic autem quum sit *amor entis aequalis*, cuius perfectione aequae, ac nostra gaudemus, §. 239. vtique non actibus mere *externis* (vti quidam Theologi morales, merito damnati docere aui sunt (i)) verum etiam *internis* demonstrandus est; secus quippe neque esset amor, vti patet
ex

(i) Vide Propos. 10. et 11. ab Innocent. XI. praescriptas.

ex definitione, neque responderet fini Conditoris, uti quisque videt, qui expendit, quae hac de re dicta sunt §. praec. III. Sequitur, huius amoris normam esse *Amorem legitimum sui ipsius* toto Articulo praecedente explicatum; etenim *aequalitas naturae et inopiae* exigat *aequalia officia*: ergo homo eodem modo hominem quemlibet, quo se ipsum, amare tenetur, id est, quamvis legitimus amor sui antecedit amorem Proximi, per dicta §. 236. hoc tamen salvo, Proximus ea omnino ratione diligendus est, quo se quisque ipsum prudenter diligit; quod utrumque Christus pulcherrime expressit *Matth. 22, 39.* dicens: *Diliges Proximum tuum sicut te ipsum.* Igitur omnia prorsus officia erga Proximum ad geminas reducuntur Scripturae regulas: *Affirmatiua* ad illam *Matth. 7, 12.* *Omnia, quaecunque vultis, ut faciant vobis homines, et vos facite illis.* *Negatiua*, ad istam *Tob. 4, 16.* *Quod ab alio oderis fieri tibi, vide, ne tu aliquando alteri facias.*

§. 277.

Ceterum, quum Amoris officia, quae siue *affirmatiua* siue *negatiua*, nobis ab aliis praestari desideramus, vel eo petamus titulo, quod nobis tanquam hominibus, et absque omni facto praecedente ex sola naturae aequalitate debeantur v. g. *ut amemur*, aut *ut ne laedamur*: vel quod nobis exigendi ius aliquo facto proprio, aut alieno accesserit, v. g. *ut pactis nobiscum initis stetur, neue iuste parta nobis iniuris auferantur*: procul dubio ad eadem officia iisdem titulis praestanda Proximo cuilibet adstringimur, quod illum haud minus nobis diligere obligemur. §. praec. Quia vero ista officiorum distinctio multum lucis tradendae affundit doctrinae, primi generis officia recepto passim more *Connata*; secundi *Hypothetica* vocabimus, de illis praesente Articulo, de istis sequente acturi.

§. 278.

Officia ergo amoris connata sunt ea, quae Proximo qua homini debentur, §. praec. et possunt esse

esse tam *affirmatiua*, quam *negatiua*. *ibid.* Nos primum de *affirmatiuis* loquemur. Haec tum *internos*, tum *externos* actus complectuntur, et omnia reducuntur ad *legitimum amorem sui ipsius*, ita, vt quidquid iuste ac merito nobis per alios fieri volumus, id et aliis facere obligemur: §. 276. ergo, quum quivis primo omnium aliorum amorem desideret et vt quisque sibi bene velit, faueatque: procul dubio *amor etiam sincerus et internus erga omnes* §. 276. est primum inter officia erga Proximum: Sed amor iste, quum sine *aestimatione* Proximi, et haec sine *bona existimatione* subsistere non possit; ad hanc vtramque in nobis *conseruandam*, adeoque etiam ad Proximi *defectus* benigno apud nos ipsos iudicio *excusandos* sine controuersia, et tanto magis obligamur, quanto vehementius hanc eandem nobis indulgentiae facilitatem exoptamus, illaque quam maxime indigemus.

§. 279.

Amor hic est *amor amicitiae*, vi cuius Proximi perfectione aequae, ac nostra laetamur: §. 276. hoc autem perceptu est impossibile, nisi eandem eius perfectionem pro viribus procurare ac promouere, aequae ac nostram studeamus; quare quum illa ob naturae aequalitatem per eadem omnino media procuretur, ac promoueatur, quae nobis sunt ad hunc finem data, scilicet per *animae, vitae, corporis, et exteriora bona* §. 257. et 258. circa haec in Proximo *procuranda, tuenda, perficienda* nostra erga illum officia, *externa* maxime, sed ab *interno amore* §. 276. animata, occupentur necesse est.

§. 280.

Igitur in primis quoad *bona animae* (*Vide* §. 260.) quisque *pro sua facultate*, et *Proximi necessitate*, diligenter *illustrandis* per veri cognitionem eiusdem *intellectui* studere, et ab erroribus noxiis imminentibus eundem defendere; illos, in quos incidit, *dedocere*, et *contra*, si quid ad vitam felici

citer traducendam necessarium ignorat, hoc illum per se, vel alios, quantum vtiliter poterit, docere tenetur; ad quae quidem officia vtiliter praestanda *veracitatem sincerumque animi candorem* semper praesferre necesse est, ne inter perpetuas Proximus fraudum suspiciones fluctuare compellatur. Deinde haud minus quisque laborare debet, Proximi *ut voluntatem ad bonum suaviter fortiterque inflectat*, in eiusdem amore contineat, aut a recti semita aberrantem in orbitam postliminio reducat, quae omnia si *verborum* adhortationibus feliciter confieri solent; tum multo efficacius bonis curantur *exemplis*, quibus *trahi*, non tantum *moueri* nos sentimus. *Prudentia* autem heic iterum permagna, et *Patientiae constantia* opus esse satis manifestum est. Ceterum ex hactenus dictis patet, hoc ipso officio nos ad *opera Misericordiae*, quae *Spiritualia* in christiana catechesi vocamus, obligari, vtpote quibus amorem sincerum Proximi quoad bona animae demonstramus; neminem vero per illud Cainiticum, nimium hodie frequens, excusari: *Numquid ego sum custos fratris mei?* (1) quo valituro ne commune quidem Societatis bonum, nihil vt de vltimo nostro fine dicam, possemus adipisci.

§. 281.

Quoad *bonum vitae* illud inprimis aduertas velim, eidem *prudenciam*, ac *libertatem* merito equiparari, quum cordatissimo cuique non mors soleat esse acerbior, quam harum rerum iactura. Sequuntur *bona corporis*, explicata §. 270., e quibus de membrorum saltem praecipuorum integritate idem sentiendum esse animaduertimus §. 268. Vltima vero sunt *bona exteriora*; quorum tamen e numero sola *famae bonae officii absolutis* diriguntur; namque ea quae sunt *Fortunae*, quia non aquiruntur nisi *supposito aliquo facto*, spectant ad *officia hypothetica* §. 277. Iam vero de his omnibus multo est certissimum

(1) Gen. 4. 9.

simum, nos ad Proximum in illis seu tuendis, seu perficiendis, seu comparandis, siquidem ope nostra indigeat, iuuandum, et contra iniquos etiam aggressiores defendendum obligari; quoniam nimirum nunquam aliter verum erit, nos eiusdem perfectione aequae ac nostra delectari, atque ipsimet etiam miserrimi essemus futuri, nisi eandem opem apud alios paratam haberemus.

§. 282.

Licet autem hinc plane conficiatur, nos ad ista officiorum genera omnibus omnino hominibus quolibet tempore exhibenda *secundum animi praeparationem*, ut ait Doctor Angelicus, (m) dispositos esse debere: quia tamen nemo ad impossibile; nec alios plus se ipso anare tenetur, atque hinc amor sui amorem Proximi antecedit; §. 236. sequitur, cessare *exequendi* officii obligationem I. si ope praestita aequale, vel maius malum proprio auxilium ferentis capiti sit incubiturum. II. Si non tantae sint opitulaturi vires, ut a periclitantis ceruice malum imminens depellere possit. III. Denique si damnum, quod Proximus incurrit, haud sit graue: Etenim quum eiusmodi pericula fere innumera quiuis subeat; vacare iam nemo sibi possiet, si pro aliorum securitate etiam in minimis diurnus atque nocturnus custos vigilare deberet; quod sicut tu a nemine; ita nemo abs te prudenter ac merito exigere potest, quum sibimet quiuis in eiusmodi rebus facile sufficiat, adeoque non sit in *vera necessitate* constitutus. Ceterum id genus officiorum subinde *defensionem* etiam *violentam* bonorum Proximi inuoluit, §. *praec.* de qua tamen sermo in Sectione scholastica ex instituto recurret.

§. 283.

Vt vero iustae sint allatae hactenus ab officiis per se incumbentibus *excusationes*; oportet uti-

que, vt non ab animo molestiarum pertaeso temere confingantur; sed re ipsa subsistant; id quod opulenti causari plerumque non possunt, si indigentis necessitas solis *miseriçordiæ operibus*, quæ *corporalia* vocamus, et præcipue per *Eleemosinam* subleuari potest, quæ est *opus, quo datur aliquid necessitatem* (puta *grauem* per dicta §. præc.) *patienti ex commiseratione illius*; quippe quum in pari inopia constituti eiusmodi auxilium vehementissime essemus desideraturi: consequens est ex principio generali officiorum erga Proximum §. 276. nos ad illud etiam aliis ferendum obligari. Et certe ipse communis ille Conditor, qui providentissimam singulorum curam gerit, dum fortunæ bona mensura tam dispari inter homines natura æquales distribuit, manifeste ostendit, suæ esse voluntatis, vt diuitum abundantia inopum egestatem subleueret, opulentosque adeo velut pauperum Nutritios abs se fuisse constitutos. Porro multo minus se quisquam a *miseriçordiæ interno affectu*, siue a compassione alienæ miseriæ excusare valet, quam quidem ipsa post se amoris natura trahit; eum quippe, qui alterius felicitate, æque ac sua delectari debet, §. 276. etiam de eius calamitate tristari debere expeditum est apud omnes: Quin ultra progredi pro viribus oportet, et quoniam, qui malum proximi tollere nequit, sæpe tamen consilium dare, solari, pro eo Deum orare, aut aliud quidquam facere potest, quo illius allenetur miseria: iterum redeunt *Opera Misericordiæ spiritualia* iam ante §. 280. ex Regulis amoris proprii stabilita.

§. 284.

Haec igitur sunt *officia affirmatiua absoluta* erga Proximum, quæ quum omnibus hominibus debeantur §. 276., et circa varia hominis bona, nimirum animæ, §. 280. vitæ, et æquiualentium; corporis quoque, ac exteriora occupentur: §. 281. fieri facile potest, vt *collisio* plurium simul occurrentium suborietur, ita, vt nec duobus simul hominibus

nibus necessitatem patientibus opitulari; nec ab vno eodemque in diuersis bonorum generibus periclitante haec omnia mala depellere valeamus. Igitur in ancipiti euentu a *subordinatione* tum amoris, tum officiorum, cuius fundamenta iam principio huius capituli §. 236. et 237. iecimus, sana et iusta consilia capiamus oportet. Et quoniam *prima ratio* amandi Proximum Deus est; §. 236. et 275. *Norma* autem eiusdem diligendi est amor sui ipsius; §. 276. ipsa vero officia *secundum nobilitatem obiecti* sunt inuicem subordinata: §. 237. inde sequitur regula prima pro *simplici collisione officiorum*, quorum dignitate ex positis hactenus principiis considerata certum est, primo omnium amandum esse Deum, et omnia cessare alia officia, quando sine eius contumelia impleri nequeunt; (*vide dicta* §. 264.) post Deum autem proximo loco habendam esse *animam propriam*; tertio *animam Proximi*, utpote ordinis super cetera bona prorsus excellentioris; quarto *vitam et corpus proprium* quaeque his aequiparantur; quinto *vitam et corpus Proximi etc.* sexto *nostra bona exteriora* tum *famae* tum *fortunae*; et ultimo *eadem bona Proximi*. Circa quod vltimum bonorum genus aduertat velim, quod *fama*, quamuis apud Sapientes non minoris aestimetur, §. 273. quam ipsa vita, et haec etiam fortuna bonis penitus destituta morte soleat esse acerbior; quod fama, inquam, cum iisdem fortuna bonis in iam nunc firmato tuendorum bonorum ordine et respectu praesentis quaestionis, merito vltimo loco collocetur; quia nimirum, dum de bonis diuersi generis vna simulque tuendis et conseruandis agitur, sana ratio docet, vbi omnia seruari nequeunt, *irreparabilia* esse anteferenda *reparabilibus*: atqui bona fama et fortuna sunt reparabilia: §. 273. et 274. contra vero vita, et membra corporis etc. sunt bona irreparabilia: ergo haec sunt anteferenda et consequenter pro hoc casu etiam tanquam nobiliora habenda; quo quidem obseruato facile etiam patet,

Ordinem amoris a nobis constitutum nobilitati ob-
jectorum respondere.

§. 285.

Ex iisdem principiis §. praec. stabilitis sequi-
tur etiam Regula II. pro *collisione officiorum respec-
tu personarum*, quas inter ille seruandus est Ordo,
secundum quem *propius ad Deum, vel ad nos ipsos
accedunt*, inde quippe illarum crescit dignitas, ita
vt amor saepe duplici titulo debeatur. Hinc in *ge-
nere* magis sunt boni, quam mali amandi, et *ex di-
cendis de officiis ciuilibus superiores* praeferendi
aequalibus, ac inferioribus; Illorum enim perfectio,
naturae communi superaddita, amoris amicitiae et-
iam illum *deuotionis* adiungit. §. 239. In *Particu-
lari* autem, *sanguine, aut affinitate* iuncti, (ob titu-
lum *Pietatis*, suo cum amoris ordine explican-
dum, quando de officiis oeconomicis agemus) prae
alienis amandi, et inter *alienos benefactores, amici
etc. reliquis* praeponendi sunt, seruato ceteroquin
eodem bonorum ordine, quem §. praec. prae-
scripsimus.

§. 286.

Quod autem, *saluis officiis negatiuis erga Deum,
et ad propriae animae salutem spectantibus*, fas sit
ex altiore motiuo propria detrimenta periculo Pro-
ximi, *quod eiusdem est ordinis*, posthabere, certum
quidem manet ex dictis §. 265. hoc tamen non
turbat Regulas hactenus a nobis statutas, quia, li-
cet tale quid maxima cum laude fiat; nihilominus
nemo alium plus se ipso diligere tenetur.

§. 287.

Ex *Officiis posituis absolutis* erga Proximum
negatiua eiusdem ordinis consequuntur. Etenim
quum amor amicitiae Proximo debitus illius per-
fectione, aequae ac sua laetari §. 276. adeoque il-
lam pro viribus promouere teneatur: §. 279. ma-
nifestissime patet, nefas esse, quidquam agere, quo
Proximus *infelicior*, id est imperfectior reddatur,
id

id quod alterum *laedere* vocamus. Et quoniam *norma* diligendi Proximum est *amor sui ipsius*, ita, vt generalis illa obtineat Regula, ea omnia aliis esse facienda, quae nobis fieri iuste optamus; §. 276. in *laesione* etiam aliorum vitanda argumentum a nobis ipsis capiamus oportet, eaque Regula priori respondebit, vt, *quod nobis fieri nolumus, id ne aliis faciamus. ibid.* Ceterum quum in omnibus bonorum generibus, in quibus iuuandum esse Proximum hactenus ostendimus, is ipse etiam laedi possit: dubio quidem caret, circa eadem omnino bonorum, et singula genera officia negatiua versari. Verum quum ex contrariorum disciplina pleraque facile cognoscantur, his priuatae cuiusque meditationi relictis breuitati nos quidem consulemus, de illis solummodo acturi, quae ampliore videbuntur explicatione indigere.

§. 288.

Et inprimis quidem ipsa *natura amoris* Proximo debiti §. 278. *Odiu* omne, et *inuidiam* de alterius bono excludit; *Existimatio* autem (*ibidem*) *contemptum*, ac *vilipensionem*, quae communis immemor naturae ex stulta propriae excellentiae opinione subnascitur. Quisquis vero ab hac sibi cauere voluerit, idem sibi a *suspicionibus temerariis*, siue leuissimis de alieno malo morali coniecturis, et multo magis ab eiusmodi inconsultis ac *temerariis iudiciis* temperet necesse est, quibus quidem obseruatis fiet, vt neque *discordia* locum habeat, seu pertinax quaedam a iudicio et voluntate alterius in rebus iustis dissensio; enimvero lerna malorum, vt tristi saepenumero demonstratum est experientia, si in publicis maxime, et maioribus rebus v. g. in Religionis aut morum cultura irrepat.

§. 289.

Quoad *animi bona* si *Intellectus* Proximi *veritate* illustrandus est, et ab *errore* defendendus, §. 280. *Mendacium*, siue *oratio contra mentem loquentis*

quentis ad decipiendum alterum prolata, non potest non Iuri naturae repugnare; idque facile percipitur, si expendamus, sermonis vsum omnia inter animantia homini ita peculiarem esse, vt cogitationes suas solus clare et distincte manifestare possit, adeoque illum nobis nec Dei, qui arcana cordis perspicit, nec brutorum causa datum fuisse, a quibus verba nostra non tanquam sermo, sed tanquam signa, quibus assueuerunt, percipiuntur: Relinquitur ergo, Creatorem tanti beneficii nobis collati finem non alium habuisse, quam singulorum propriam, et communem omnium hominum utilitatem: nostram singulorum propriam, vt, quid fieri nobis velimus, aliis indicare; communem omnium hominum utilitatem, vt, quod illorum scire interest, iisdem quisque cuilibet significare; paucis, vt cogitationes nostras inuicem manifestare possimus; qua ex re socialitatis bonum, fidem omnem, fiduciamque inter homines, et vltimi etiam finis affectionem magna ex parte pendere nemo non videt. Atqui contra hunc finem Numinis agit, qui sermone non ad manifestandas, sed celandas cogitationes ita abutitur, vt cuius rei praesidio verum mentis sensum alios docere deberet, eodem illos in errorem inducere conetur. Talis certe sua peruerfitate, quod a Deo ad hominum incredibile commodum institutum est, ad commune socialitatis damnum detorquens, quantum ex se est, efficit, vt tuta omnia timere et ancipites interdoli suspiciones semper fluctuare debeamus: Ergo, quum contra Dei finem agere, etiam sit agere contra finem hominis; vtrumque autem sine dubio semper atque in omni casu sit malum, et naturali Legi repugnet; §. 230. mendacium quoque eidem aduerfetur necesse est.

§. 290.

Porro autem quia sermonis ore proferendi et animi sensus coram manifestandi occasio hominibus non semper praesto erat, modos inuenerunt varios, quibus sermonis vice vterentur: eiusmodi sunt

sunt admirabilis in primis *litterarum*, et *scripturas inuentio*, deinde *collocutio per digitos*, *Turcarum Proceribus familiaris*, *oculiloquium* etiam, et *pediloquium* etc. neque minus huc spectant *Signa* quaelibet, seu auctoritate *publica*, siue *priuatorum* consensu, vel *communi* hominum *usu* ad quidquam determinate significandum adhiberi solita. Haec omnia quum *sermonis* vices agant, iisdem etiam adstricta sunt officiis: consequenter si ad alios decipiendos adhibentur, *mendacia* sunt, quae *realia* merito in scholis dicuntur, vt a verbalibus distinguantur.

§. 291.

Ceterum quemadmodum ex hactenus dictis facile animaduertitur, *omnis mendacii malitiam* in eo fitam esse, quod quis contra Numinis finem sermone ad alios decipiendos abutatur, §. 289. et praec. adeoque illam in *voluntate fallendi* (n) consistere: ita etiam inde sequitur I. qui falsum pro vero habens illud affirmat, vel contra: eum, inquam, imperitum forte, incautum, vel imprudentem merito dici posse; non vero mendacem habendum esse. II. Qui ex aduerso verum quidem dicens, hoc ipsum tamen falsum existimat, veri mendacii reum esse. III. Mendacii reatum nemini imputari posse, si citra eius culpam, ac intentionem alii ex veraci eius dicto *receptis usu verbis aut signis* prolato (neque enim fas est, et in eadem recidit mendacii incommoda, *proprio arbitrio* notiones immutare) decipiantur.

§. 292.

Sed si mentiri nunquam est licitum, non tamen propterea datur obligatio *verum semper*, et *apud omnes sine discrimine effutiendi*: neque enim cuique ius competit arcana nostra consilia inspicendi; et pessime rebus nostris consultum foret, nihil si tacere, aut dissimulare liceret. Itaque quoties

(n) S. Aug. L. 1. de Mendac. C. 12. et Enchirid. C. 2. vide etiam S. Thom. 2. 2 Q. 110. A. 1. 3. et 4.

ties alteri noster sermo nihil commodi; nobis autem detrimentum afferret, toties importunum quaesitorem silentio mactare, aut dissimulando sermonem aliorum inflectere licebit. Quin si ne sic quidem securitati propriae fatis prospectum videbitur, fas erit praeterea, *arguta* responsione interrogantem eludere, id est tali, quae verax in se, sensum tamen haud primo intuitu obuium offert. Namque quum *arguta* responsio sermone non abutatur contra finem a Deo intentum, hoc ipso, quod in se *verax* sit: qui ea decipitur, molestissimae suae curiositati, praecipitique intellectus leuitati imputet, si absque necessitate sua, quin forte cum nostra iniuria quaerens responsum ferat, ad cuius latentem veritatem nec attendit, nec penetrat; sed aliud ipse percipit, quam quod ab alio dictum est. Quadrat huc exemplum S. Athanasii, qui nauicula ad insequentes Arianorum satellites studiosae conuersa, occurrentibus quaerentibusque, multumne hinc abesset Athanasius, respondit, non longe eum esse, atque hac sermonis argutia ad prosequendum iter inductos effugit.

§. 293.

Atque hac quidem ratione fatis rebus nostris prospectum existimo, quin opus sit cum Grotio (o) Puffendorffio (p) Heineccio (q) et aliis *falsiloquium* a *mendacio* distinguere, et illud permitttere, quando alter aut nullum habet ius nostra arcana inspicendi, vt hostis; aut deceptionem in malam tracturus partem haud videtur, vt aeger falsa persuasione ad pharmaca sumenda inductus; aut denique vbi sine falsiloquio magni momenti nostrum, vel aliorum bonum periclitabitur, quo quidem casu Puffendorffii Scholiales (r) eiusmodi falsiloquium non

(o) *De Iure Belli et Pacis* L. 3. C. 1. §. 12. etc.

(p) *De I. N. et G. L.* 4. C. 1. §. 9.

(q) *Elem. I. N. et G. L.* 1. C. 7. §. 200.

(r) *Ad L. 1. de Off. hom. et cuius* C. 10. §. 9. *observas.* 254.

non modo *permissum*; verum etiam *praeceptum* esse contendit. Sed enim quum Dens sermonis beneficium hominibus indulserit ad manifestandas, non celandas cum alterius deceptione cogitationes; ad roborandam, non ad infirmandam fidem, atque fiduciam mutuam: §. 289. falsiloquium autem haud minus contra hunc finem a Deo intentum nitatur; pari modo malum fit oportet atque *officio negatio semper et in omni casu obligante* §. 230. prohibitum, tantoque id magis, quod eius sit indolis, vt rima semel patefacta peruersus, quo se quisque propter naturae corruptionem deperire solet, amor illas permissi falsiloquii condiciones ultra omnes limites non sine maxima socialitatis pernicie esset extensurus.

§. 294.

Neque sane euincunt aliquid argumenta, quae Doctores Protestantici pro honestate falsiloquii conglomerare solent; quod enim aiunt, I. amorem sui ipsius praecedere illum Proximi; inter ipsos autem homines esse aliquos plus aliis diligendos; atque hinc, vbi aliquis nullum interrogandi ius habet; nos autem, vel alios plus quaerente amandos confessio veritatis in periculum adigit, nulla taciturnitate vel respondendi argutia euitandum, falsiloquium a iusto sui, vel aliorum amore defensionem habere; falsum inferunt; quoniam omnem alium amorem *amor Dei* antecedit, ita vt quaecunque demum *cessent officia*, si sine eius *contumelia* impleri nequeant: §. 265. et 230. atqui procul dubio ad Dei contumeliam spectat, si finis ab ipso praestitutus inuertatur: quum ergo id fiat in omni falsiloquio, §. *praec.* et 289. consequens est, vt semper sit inhonestum et omnia cessent alia officia erga se, et Proximum, quando sine falsiloquio impleri haud posse videntur. Deinde in *collisione officiorum* bonum *publicum* totius humanae socialitatis, vti sana ratio quemlibet docet, et patebit ex officiis ciuilibus, semper est praefendum *priuato* siue proprio, siue alieno; atqui §§. mox citatis

citatis ostendimus, totius interesse humanae socialitatis, vtne mendacia, et falsiloquia aliquando sint permiffa. Hinc haud minus fallit, quod II. inferunt, poffe audientem fuo *iuri* renuntiare: Namque poteritne idem totius socialitatis, aut Numinis iuri, ne finis ab ipfo intentus inuertatur, derogare? ex quo fimul patet, quam immerito Grotius (s) falsiloquentiae facultatem Magistratibus, tanquam *ius supereminens* et *maieftaticum* arrogare nitatur, quum et illi potestate ad fe translata ex dicendis fuo loco, neutiquam contra Dei fines vti poffint, et socialitatis bonum non euertere, fed promouere teneantur. Frufta etiam III. prouocatur ad figuras Rhetoricas Ironiae, et Hyperboles, ad Apologos, fabulas, parabolas, vel ad belli stratagemata etc. Nam quod ad priores fpectat ex *parte profertentis* non funt, nifi veritatis facilius infinuandae vehicula; *ex parte audientium* vero ita temperantur nutibus, ratione dicendi, aliisque iudiciis, vt qui non albae eft mentis, per iftos velut cortices facili negotio ad veritatis nucleum poffit penetrare. Quoad vero bellantium artes, fi illae *factis* exferuntur, figna haec quidem ex ipfo bellantium vfu nihil certi portendunt: fibi ergo imputet, qui illis fuomet arbitrio certam fignificationem adiungens decipitur: Quodfi autem *verbis*, et quidem *falfis* exercentur, nihil eft opus eadem a mendacio excufare; quum in nullius potestate fit, finem fermonis a Deo inftitutum inuertere. Pari modo necquidquam IV. Mendaciorum exempla e facris Codicibus doaceruantur; neque enim Scriptura omnia, quae narrat, probat; plurima autem, quae ibidem prima facie mendacii fpeciem referunt quoad perfonas, in quas eiusdem fufpicio non cadit; propius infpecta *mysticae* funt, aut *figuratae* locutiones, aut interrogantium respondentiumue *adiunctis*, aut *duplici Scientiae* communicabili et incommunicabili attemperatae refponfiones, atque hinc veritati, licet non omnibus peruiaie, conformes. Sed haec vberius fingula explanare Theologorum eft.

§. 295.

Nihil a mendacio ac falsiloquio differt *Restrictio*, quam *pure mentalem* vocant, siue dictum in se, et per circumstantias determinatum ad sensum falsum, aliquo interim sola mente retento, per quod sensus fieri posset verus; v. g. si fur a iudice interrogatus, abstuleritne Titio scyphum aureum, id rotunde neget, subintelligendo, *anno id superiore* factum non fuisse. Patet enimvero, finem sermonis a Deo intentum hac ratione non minus inuerti, atque eadem prorsus incommoda in socialitatem redundare, quae a mendacio oriuntur. Merito igitur Innocentius XI. Papa detestabilem hanc opinionem, et praecipue promiscuum talis restrictionis usum damnauit. (t)

§. 296.

Iam vero si quolibet mendacio, §. 289. et 290. falsiloquio, §. 293. et restrictione pure mentali §. praec. Ius naturae violatur: quanto huic magis *Doctrina falsa* repugnat, quae sophismatibus, praepudicatisque opinionibus in errores inducit intellectum? Tanto est hoc crimen grauius, quanto doctrinae obiectum est nobilius. Porro illud quoque non ex superfluo additur, grauiissime peccare, qui quum excolenda suscipiant ingenia, siue per imperitiam, qua non obstante se intrudunt; siue per ignauiam sterilibus discipulos obruunt, inani-busque documentis; ad quam perniciem si tenera praecipue Iuuentus plagosi Orbilius fustibus compellatur, nulla sane praesentior est pestis ad omnem veritatis per sapientiae studium amplificandae amorem in mentibus eradicandum.

§. 297.

Contra officium, vi cuius Proximi *voluntatem* qua verbis, qua exemplis suauiter fortiterque ad
bonum

bonum inflectere obligamur, §. 280. non solo istarum rerum neglectu, siue *omissione*; sed multo atrocius *commissione*, id est contrarium agendo peccatur. Hoc autem criminis genus *scandalum* vocari solet, estque nihil aliud, quam *ocasio delicti patrandi nostra culpa Proximo subministrata*, quae non potest nos alieni peccati non reos facere, seu deinde, quod malum est, *iubeamus*, siue *suadeamus*, aut sponte ad praua currenti *consensu*, *laude*, *cooperatione*, vel *defensione* animum stimulosque addamus, siue denique, dum id facere vtiliter possumus, peccantem *impedire*, *corripere*, aut ad illos *deferre* negligamus, qui ex tali eum eripere ruina possent. Licet enim non eadem sit in singulis hisce scandali speciebus criminis enormitas: Laesio tamen quaelibet bonorum animi tanto est grauior, quanto mens ipsa est corpore praestantior, et mala moralia sunt physicis deteriora, magisque vltimi finis impediunt assequutionem, ex quo facile patet, quam sint detestandi, qui alios ad *voluptates*, *libidines*, aliaque *vitia* pelliciunt, et *verbis inhonestis*, *lenociniis*, *adulationibus*, *maloque exemplo* (quibus rebus nihil ad peruertendos hominum mores est foecundius) deteriores faciunt, atque corrumpunt. Neque sane ad illorum facit excusationem, quod eosdem sibi in nequitia habeant consentientes: namque illos nihilominus faciunt imperfectiores, et infeliciores, quod naturae charitatis repugnat.

§. 239. Quin quum artibus suis nefandis, atque sollicitationibus animum penitus peruertant, consequens est, vt multo sint peiores illis, qui alios ad crimen, quod ceteroquin exhorrescunt, vi metuque compellant.

§. 298.

Ceterum in hoc vitandi officio scandali sollicitate pensandum est, quinam sint illi, qui patrandi occasionem delicti e nostris dictis, factisue capere possunt: Sunt enim quidam adeo *peruersi*, vt optima quaeque in malam trahentes partem inde peccandi ansam arripiant, quod quum olim Pharisei respectu

respectu Christi fecerint; hoc genus scandali inde *Pharisaicum* dicitur: Huius autem causa boni quidquam omittere, fatui enimvero hominis futurum esset. Sunt contra alii ita *imbecilles*, vt ex bonis etiam non rite perceptis ruinae subeant discrimen: Hi ergo, vbi errorem dedoceri nequeunt, prudentia quidem et charitas imperant, potius vt bonum aliquod, quod solam decori rationem habet, omittamus, quam eosdem in grauissimum malum praecipites agamus. *Vide dicta §. 284. et 237.* Istud porro scandali genus *Puffillorum* dici solet.

§. 299.

Officia quae circa *vitae, corporis, et aequiualentia bona* §. 281. stabilimus, necessaria consequentia nos adstringunt, vtne alium occidamus, neque eius sanitati noceamus, vitamue aut valetudinem periculo exponamus, membra mutilemus, corpus vulneribus, vinculis, tormentis, verberibus iniustis, et quibuscunque tandem iniuriis excruciemus, aut qualibet ratione deterius reddamus; quippe a quibus omnibus damnis atque incommodis ipsimet vehementissime abhorremus. Si qua vero exceptio in hisce officiis vel ex capite inculpatae propriae defensionis, vel alio titulo locum habet, ea quidem suo loco magis declarabitur. Nunc illud opportune quaeri potest, quid sentiendum de *euratione* apud Orientales Gentes, atque apud Italos etiam satis frequenti? At enim quum haec grauissimo semper cum mortis periculo coniuncta, mutilatioque per se sit multo grauissima; atrocem illis iniuriam fieri nemo sanus negauerit, qui vel vi ad castrationem sustinendam coguntur vel imprudentes inducuntur. Sed neque ipsi quidem, vtpote qui vitae, corporis, et membrorum Domini haud sunt, in talem exsectionem sine crimine consentire possunt. Denique finis per eurationem plerumque intentus, illi maxime amoenioris vocis caduca conseruati

nunquam nobilitate sua vel periculum, vel iacturam tali mutilatione factam exaequare potest.

§. 300.

Debita Proximo *honorum fama* atque *honoris* conseruatio, et amplificatio, omnes omnino prohibet detractiones, calumnias, conuitia, iniurias, contumelias, siue dicto, siue scripto, factoue declarentur: qua in re illud monere oportet, ne *occultum* quidem Proximi *defectum* sine crimine propalari posse; quoniam et ipsi talia de nobis spargi nolumus; et inter aequales nulli in alterum ius competit eundem fama spoliandi, licet ignominiam meruisse videatur, quum id poenae rationem habeat, cuius infligendae potestas iudici legitimo, *ex dicendis de officiis civilibus* est reseruata. Illud etiam in Detractione parum refert, vtrum quis virus illud hiante euomat ore; an vero emollito ad speciem sermone quasi dolens iacula vibret, Proximi existimationem tanto certius et acerbius apud alios iugulatura.

§. 301.

Atque haec de officiis absolutis tum *positiuis*, tum *negatiuis* dicta sufficiant. Posteriorum summam in eo sitam esse, *vt nemo laedatur*, vidimus §. 287. *Laedere* autem est alterum in aliquo bonorum genere reddere *infeliciorem*, ac *imperfectiorem*: *ibid.* atqui talem alterum et ille reddit, qui *damnum* illatum non pro viribus resarcit: ergo quisquis Proximum laesit, is etiam *ad damnum reparandum*, quodcunque illud sit, in tantum teneatur oportet, in quantum illud sarciri, et laesus in statum restitui potest, in quo citra nostram laesionem futurus fuisset. Verum hac de re iterum sermo recurret, postquam erit de officiis hypotheticis actum.

Sit ergo

ARTICULUS IV. DE OFFICIIS HYPOTHETICIS ERGA PROXIMUM.

§. 302.

Officia hypothetica sunt, quae homo homini debet ex iure aduentitio. §. 277. Hinc nituntur illo principio: *Cuique suum*: vide §. 188. Quisque autem suum vocare solet vel *acceptione propria* rem illam, quae in suo est *dominio*; vel *significatione impropria*, quam exigere potest vi alicuius conventionis, seu *pacti*: unde *Dominium*, et *Pactum* sunt geminae *radices officiorum hypotheticorum*, quae licet sint fere innumera; nobis tamen intra primorum principiorum limites manendum est, ne in alienas menses falcem immisisse arguamur.

§. 303.

Dominium nobis est *facultas alios usu rei alicuius excludendi*. Exclusio autem fit *detentione*, quam infra *Possessionem* vocabimus. Si ius habemus *omnes alios excludendi*, dicitur *Proprietas*; si tantum *certos homines*, nuncupatur respectu reliquorum *communio nobiscum eiusdem rei usum habentium communitiva*; quodsi autem res ita in medio est posita, ut neque nos per alios ab illius usu *excludi*; neque *alios excludere* possimus, *communio negatiua* appellatur, et haec sola opponitur *Domino*, uti ex eiusdem *Dominii* definitione manifestum est.

§. 304.

Sola *communio negatiua* obtinuit in mundi primordio; tum enim Deus res totius terrarum orbis vulgariter omnibus utendas fruendas dedit, quin sibi quisquam peculiare prae ceteris ius arrogare potuerit, tanta etiam inter paucos rerum abundantia ad eam *communio servandam largiter suffecit*: sed quum res aliquae multiplicatis homi-

nibus exhaurirentur, neque sine illorum industria reparari possent; ipsa quidem necessitas quoddam *Dominii genus; communionem* scilicet *positiuam* subintroduxit; coegitque homines; vt quaelibet ad minimum familia suorum sibi laborum fructus exclusis aliis assereret, cuius exemplum manifestum habemus in diuisione facta inter Abraham, et Loth, Gen. 13.

§. 305.

Potuerat *ista* saltem *communio* sufficere, tantum si apud homines virtus valuisset, vt quisque Proximum tanquam se ipsum amaret, et singuli singulorum necessitatibus certarent subuenire: sed quum apud plerosque liuor, cupiditas, auaritia, quaeque inde nascuntur iurgia, in amoris locum successerint: compulsi sunt tandem mortales (incertum quo tempore) vt praeter *positiuam communionem*, quin etiam in eius vicem *ius Proprietatis* §. 303. passim inducerent, illis iam solis rebus in *communione negatiua* relictis, quae vel sunt vsus inexhausti; aut ad vitae commoda non pertinent. Neque vero id contra naturae Legem factum, cuius Auctor rebus omnibus ad nostrum vsum in medio positus §. praec. permisisse censendus est, vt illis homines eo fruerentur modo, qui illorum societati erat maxime commodus futurus. Ergo postquam hominibus semel visum est *Dominium proprietatis* introducere, et illud etiam in rebus, quae antea in *communione positiua* erant, ad singulos transferre; multo minus queri quispiam potuit, res adhuc in *communione mere negatiua* constitutas ab vno occupari; quum enim huius *communionis proprium* sit, vt nemo ab eiusmodi rei vsu excludi, neque alterum excludere possit §. 303; atque hinc re ipsa sint *nullius*; consequens est, vt qui primo eas occupat, vtatur iure a Deo omnibus aequaliter concesso §. 104, ita, vt res illae desinant *nullius*, et intra *communionem negatiuam* esse: atqui nemo queri potest, si quis vtatur iure a Deo concesso, et qui id impedire, inuolare-

lareque in res niteretur, quas ex communione negatiua exemptas alius sibi vindicauit, faceret illum infeliciorem, ac imperfectiorem, quod est Proximum laedere, atque Iure naturae prohibitum: §. 287. ergo etc.

§. 306.

Igitur in duobus bonorum generibus potuit induci, inductaque fuit *Proprietas*, nimirum in illis, quae erant *nullius*, seu in *communione negatiua*; et in illis, quae iam fuerant *aliquorum*, siue in *communione positiua*: in prioribus adquisitio proprietatis est *originaria*; in posterioribus *deriuatiua*. Originaria versatur vel circa *substantiam*, vel circa *incrementa* substantiae adquisitae deinceps accedentia: Illa vocatur *Occupatio*; ista *Accessio*.

§. 307.

Occupatio est apprehensio possessionis rerum in mera communione negatiua constitutarum: tales autem censerentur debent non solum res, quae nunquam in alicuius dominio fuerunt; verum etiam derelictae, id est, quorum se dominio alius abdicauit; item de quorum domino constare nulla ratione potest, ea sane ad ius omnium reuera merito censentur. De his ergo Iure naturae verum est, quod *fiant primo occupantis*: vide §. 305. ad finem. neutiquam vero de rebus, quorum se iure Dominus haud abdicauit, quod maxime obtinet, si ille inuestigari potest, vti fit in amissis, vi, furto, vel per animalia etc. ablati, tempore naufragii, vel incendii iactati, etc. Ceterum *Possessio* nobis est *detentio rei, cuius vsu alios excludere volumus*. Vide §. 303. ex quo patet, illam et *animi*, et *corporis* adminiculo fieri debere: *animi*, quia requiritur voluntas rem sibi exclusis aliis vindicandi; *corporis* autem, in quantum opus est signo aliquo apprehensionis, sine quo alii intelligere non possent, rem a communione negatiua ad certum cuiusdam Dominium transisse. Qualia autem haec signa hodie esse debeant, spectat ad Ius positiuum

§. 308.

Accessio est ius incrementa substantiae acquisitae aduentitia sibi vindicandi. §. 306. Incrementorum autem accessio vel potest esse *naturalis*, vt in foetura animalium, enatis insulis, alluione, aluei mutatione etc. vel *industrialis*, v. g. per inaedificationem; vel rem rei quomodolibet adiungendo, aut cum illa commiscendo, vel confundendo; aut si in materiam noua inducatur forma, v. g. si ex rudi aere fiat simulacrum, quo casu *specificatio* vocatur; vel denique potest esse *mixta*, si simul naturae et industriae debeatur, vti fit per sationem, plantationem, etc. Equidem de accessione communis iactatur regula, *quod accessorium sequatur suum principale*: verum esto, vt haec obtineat, si quod substantiae accedit, antea fuerit nullius, vel in Dominio illius, cuius est substantia: centies fallit, si, quod in alterius Dominio est, vel casu rei alterius accessit, vel ex ignorantia, aut etiam fide mala adiunctum fuit; tunc enim spectato Iure naturae ex aequo et bono pronuntian- dum: nunc res, si incolumis reddi Domino suo potest, reddenda, nunc si disiungi non potest vel accessorium principali multo est pretiosius, aut alterutrum, vel vtrumque commixtione corruptum fuit etc. praestita damni aestimatione et poena malae fidei exacta adiungenti relinquenda, et vno verbo expensis omnibus circumstantiis sententia iusta ac prudens ferenda est. Dixi *spectato Iure naturae*; neque enim huc pertinet Ius positium, magnis ista praecipue in controuersia eruditorum contentionibus obnoxium, et forte in multis Iuri naturae non satis conforme.

§. 309.

Res, quae a *communione negatiua* in *positiuam* semel translatae coeperunt esse *aliquorum*, trans- eunt in *proprietatem singulorum* per modos aqui- rendi *deriuatiuos*: §. 306. Isti, si ad primos redire fontes libeat, duo sunt, I. *Diuisio*, seu rerum in

com-

communione positiva constitutarum aequa, et talis distributio, ut cuilibet sociorum sua pars remaneat propria. Quod si res ipsa non sit diuisibilis, institui potest diuisio vel distributione pretii ex re vendita redacti; vel alterno rei usu singulis concessio; vel rem ipsam vni relinquendo, qui ceteris eius aestimationem pro parte cuiuslibet conueniente praestet. II. *Cessio*, qua res communis tota cum omnibus iuribus et oneribus (namque haec quoque ferat, par est, qui commoda sentit) transfertur in proprietatem vnius. Ceterum res, quae utrolibet hoc, vel etiam *originario* quodam acquirendi modo ad proprietatem vnius iam transiit, iterum ad proprietatem alterius transferri potest per *Traditionem*, si nimirum Dominus, qui vult, et de cetero potest rem alienare, eandem transfert in alium, qui vult et potest eam acceptare; de hac autem voluntate quum sine declaratione verborum, aut alicuius signi constare nequeat, consequens est, eiusmodi indicium Iure naturae esse necessarium, quod deinceps consuetudine, aut Iure positivo fuit determinatum. Porro ex dictis patet, *Traditionem tertium quidem esse, sed non primum deriuatum acquirendi modum.*

§. 310.

Colliges I. Ad *originarios* acquirendae proprietatis modos spectare *inventionem thesauri, effossionem mineralium, venationem, piscationem, et aucupium* ferarum, piscium, volucrum, quae adhuc sua libertate gaudent, aut in illam se postliminio asseruerunt; namque de his omnibus verum est, quod in nullius sint dominio; aut si fuerint aliquando, esse cessarint; aut quod saltem de illorum Domino constare nequeat, consequenter, quod circa illas locum habeat *occupatio*: §. 307. At vero hoc ipsum fallit, si eiusmodi animantia sint viuariis, piscinis, alueariis etc. conclusa, si mansuefacta fuerint, aut si fugitiua insequens Dominus facile retrahere possit; tum enim ex proprietate illius, qui eas sibi asseruit, neutiquam

excessisse censentur. Ceterum *Praescriptio* siue *usucapio*, qua proprietates rei alienae, intra certum tempus a Domino non vindicatae hoc etiam inuito, et haud aliter ac si derelicta fuisset, bonae fidei possessori acquiritur, *Iuris Naturae* non videtur: quum enim totum illius momentum positum sit in *relatione temporis*; natura certe propter hoc solum nemini dare, nemini adimere dominium intelligitur. Licet ceteroquin Praescriptionis ius a *Legge positiva* ad excitandam negligentium vigilantiam, ad lites amputandas, ad tollendam dominii incertitudinem iustissime ac saluberrime fuerit introductum.

§. 311.

Colliges II. ad *deriuatiuos* aquirendi modos pertinere in primis *donationem*, quae quum sit gratuita rei nostrae in alterum translatio, adeoque liberrimae voluntatis; dubio vacat, quod et possit fieri *pure*, et cum *conditione*, etiam in futurum, vel vt effectum plenum non fortiatur, nisi post mortem donatoris; sed interim donatarius, vti vocant, solum habeat *ius ad rem* donatam; quin et ita institui potest, vt hoc ipsum ius sit ad nutum donatoris *reuocabile*, aut aliis conditionibus *restrictum*. Inde enascitur diuisio donationis in illam, quae est *inter viuos*, et eam quae est *mortis causa*; Ad posteriorem spectant I. *Testamenta*, quae ex positis mox principiis saltem in tantum sunt iuris naturae, in quantum sunt pacta, vi quorum homines viuentes aliis vel expresse, vel ex praesumptione consentientibus aut ipsam possessionem, ac Dominium rerum suarum, aut saltem ius pro mortis casu in illas succedendi attribuunt. II. Huc spectant etiam *successiones ab intestato*, eatenus in iure naturali fundatae, quatenus is, qui sua sollicitate acquisiuit, et conseruauit, merito praesumitur maluisse, vt *suus* profint, quam vt pro *derelictis* habeantur. Dico *suus*, alienos quippe potuerat, si voluisset, testamento haeredes scribere. Inter suos autem quisque maxime solet
amare

amare liberos, vt recte obseruat Aristoteles, (v) velut *quiddam sui*, et magis etiam quam parentes, *quia magis norunt parentes, quos procrearint; quam nati se ab illis procreatos*; igitur in successione ab intestato primi sunt *Liberi*, et quidem propter rationis aequalitatem pro *partibus aequalibus*, sine sexus, aut aetatis discrimine, nisi ipsa haereditatis ratio v. g. Regnum indiuiduum poscat vnum, aut vnum prae altero, v. g. masculum ante feminam; seniore[m] magis expertum prae iuniore. Eadem quoque rationis aequalitas poscit, vt *Liberi* succedant *in capita*, *Nepotes* autem *in stirpes*, quatenus nimirum patrem suum repraesentant, ne alioquin Liberorum primorum imminuant haereditatem. *Descendentium* linea si penitus defecerit, sequuntur *ascendentes* pro gradus vicinitate se inuicem *excludentes*, et ideo etiam Descendentibus postponendi, quod posteris potius providere debeant, quam ipsi luctuosam captare haereditatem. Ultimi sunt *Collaterales*, qui eodem vicinitatis et exclusionis inuicem iure vtuntur; namque singulis fere gradibus ipsa docente experientia, decrescere amor solet. Verum haec *de iure naturali*, quod quum saepe soleat esse anceps in remotioribus maxime gradibus, vbi nullum vrget officium strictum; dubitari nequit, Legislatoribus ius competere, vt, quae dubia videntur, ipsi salubribus pro Republica legibus definiant, atque determinent.

§. 312.

Colliges III. Ad eosdem *deriuatiuos* aquirendae proprietatis modos *pacta* et *contractus omnes* reuocari, quibus, quod erat vnus, vel penes plures dominium, in alium transfertur: §. 306. atque sic ad *alteram officiorum hypotheticorum radicem* deuoluimur.

§. 313.

Haec est *Pactum* §. 302. quod a *contractu* subtiliter distinguunt Iureconsulti, huic, non illi actionem in iudicio concedentes: Sed enim hoc discrimine, quod ipsis iisdem fatentibus ad ius naturae haud pertinet, praetermisso, nobis quidem *Pactum est mutuum duorum, vel plurium in idem placitum consensus pariens obligationem.* Intelligi inter homines *consensus* nequit, nisi vel exprimitur *verbis*; vel colligatur *ex factis*: ille *expressus*; iste *tacitus* vocatur, et aliquando etiam recte *praesumitur*, quando nimirum talis est alicuius negotii natura, ut non possit non iudicari, alterum eidem suum quoque consensum accommodare: ergo aliquis saltem talis consensus, et quidem ex utraque parte est necessarius; neque enim aliter erit *mutuus*. Ceterum potest se quis alteri ad quidquam praestandum vel ita obligare, vicissim ut compaciscentem ad quidquam adstrictum teneat; vel ut obligatus ipse non tamen velit obligare alterum: ergo dantur non solum *pacta bilateralia*; verum etiam *unilateralia*.

§. 314.

Primo omnium necessitas homines subegisse videtur ad illud ineundum pactorum genus, quod est simplicissimum, et a nobis *Permutatio* dicitur; quia per illud res cum re, opera cum opera, res cum opera, aut opera cum re permutatur. Atque hos quidem contractus *innominatos* vocare Iureconsultis placuit, eosdemque ad sequentes reuocare formulas: I. *Do, ut des.* II. *Facio, ut facias.* III. *Do, ut facias.* IV. *Facio, ut des.*

§. 315.

Neque multo post enata videntur alia pacta I. *Commodatum*, vi cuius res alteri ad certum usum, et determinatum tempus gratis ea datur lege, ut rem eandem deinde restituat. II. *Depositum*, quo res alterius fidei commissa gratis custodienda traditur cum obligatione eandem ad deponentis arbitrium

trium reddendi. III. *Mandatum*, quo alium consentientem ad certa quaedam negotia nomine nostro gratis, ac diligenter obeunda obligamus. Quos omnes contractus quum ita exigente necessitate, et humanae societatis vtilitate inuentos, ac introductos fuisse quisque facile animaduertat: patet simul illos Iuri naturae apprime conformes, initosque fideliter, ac diligenter seruandos esse.

§. 316.

Sed quia hi omnes contractus commercium non satis commodum reddebant, atque in ipsa etiam permutatione §. 314., vti Paulus IC. ait (w) *non semper ac facile conueniebat, vt quum tu haberes, quod ego desiderarem, inuicem haberem, quod tu accipere velles, electa materia est.* (nec rara nimis, nec cuilibet obuia, pretio intrinseco haud destituta, facile diuisibilis in partes, neque nimis operose conseruanda, custodienda, et transferenda, adeoque fini intento accommodatissima) cuius publica, ac perpetua aestimatio difficultatibus permutationum aequalitate quantitatis subueniret; eaque materia forma publica percussa (uno verbo *PECUNIA*) vsum dominiumque non tam ex substantia praebet, quam ex quantitate, nec ultra *Merx* utrumque; sed alterum *Pretium* vocatur.

§. 317.

Introducta semel pecunia novos mox parturivit contractus: I. *Emtionem, Venditionem*, qua quis pro determinata mutuo consensu pecuniae quantitate rei suae dominium in alterum transfert. II. *Locationem, Conductionem*, quae habetur, si quis rei suae vsum, vel etiam operam suam ad id pro certa pecuniae mercede (secus enim spectabit ad contractus *innominatos* §. 314.) conductam alteri elocat, atque concedit.

§. 318.

§. 318.

Sunt et alii contractus, qui licet *ante inuentam pecuniam* locum habere iam coeperint; ea tamen inuenta multo sunt facti *frequentiores*: Praecipui sunt I. *Mutuum*, quo res *fungibilis*, id est ex earum numero, quas adnumerare, admetiri, et appendere solemus, traditur eo animo, vt statim in dominium et vsum transeat accipientis, cum obligatione reddendi similem in specie et bonitate post determinatum temporis lapsum. II. *Pignus*, et *Hypotheca*: Per illam debitor rem *mobilem* tradit; per istam rem *immobilem* obligat creditori, eo fine, vt solutione debito tempore non secuta hic ius habeat ex ea solutionem petendi. III. *Fideiussio*, siue obligatio suscepta, id quod tertius debet, in eius subsidium soluendi. IV. *Societas*, seu conuentio duorum vel plurium ad collocationem rerum vel operarum cum communicatione lucri vel damni inde resultantis.

§. 319.

Innumera essent vtique, quae circa officia ex his, et aliis etiam contractibus solius naturalis legis vigore suboriri solita singulari, et diligenti pertractatione explanari mererentur. Verum enim contrahenda sunt vela, ne promissorum parum memores falcem iam longius protensam in alienos immisisse agros videamur. Atque sufficere possunt hactenus dicta Philosopho, quum alioquin, quid circa eosdem contractus lege naturae iustum et aequum sit, tum ex illorum natura in definitionibus explicata, tum ex generalibus Principiis hucusque traditis, et deinceps tradendis maturo sit iudicio statuendum. Aliqua vero (vti quae controuertuntur de *mutuo*, et inde resultantibus *usuris*, *cessibus* etc.) tam sunt vasta, difficilia, et impedita, vt merito altioribus disciplinis referentur. Potius ergo *generales* quasdam *regulas* ex positis hactenus principiis eruere, et statuere iuuat, quibus officia hypothetica erga Proximum diri-

dirigantur: Illarum porro aliae geminis istorum radicibus *peculiares*; aliae iisdem *communes* sunt.

§. 320.

Prima radix officiorum hypotheticorum est *Dominium*, §. 302, per quod intelligitur *facultas alios usu rei alienius excludendi*, §. 303. Ex hoc sequitur I. *Dominum non esse in hac facultate*, id est *Iure suo, turbandum*; frustra enim, et sine emolumento societatis humanae introductum fuisset dominium, si in ipso domini iure quisque a quolibet turbari posset. Porro quum illa exclusio fiat per *possessionem*, §. 307, sequitur II. *Dominum non esse a sua possessione deiciendum*; parumque refert, vtrum id fiat *aperte*, et quemadmodum *Iura loquuntur positiua*, per *eiectionem violentam* in rebus *immobilibus*, aut per *rapinam* in *mobilibus*; an vero *artibus clanculariis*, puta *directe furto*, vel *indirecte aliis defraudationum* quarumcunque generibus. Hisce omnibus modis quum Domino non sine atroci iniuria tollatur, quod *suum* est; *Cuique autem suum*, Principium fit omnium officiorum hypotheticorum, §. 302, adeoque recte communi proverbio dicatur, *quod res semper clamet ad Dominum*; et hoc ipso quisque rem suam ab alio repetere possit, quia hoc nihil est aliud, quam pro iure Domini sibi competente alios ab usu excludere, §. 303, denique quum repetere ab alio rem suam, idem sit ac *vindicare*; sequitur III. *Domino competere ius vindicationis*, de quo tamen iterum sermo redibit, quando infra de obligatione restitutionis agemus. Interim ex eo ipso, quod *Dominium sit facultas omnes alios ab usu suae rei excludendi*, sequitur IV. *Domino etiam competere in re sua ius liberae dispositionis*, ita vt non solum pro libitu, et sine alterius iniuria (saluis tamen ceteris officiis) ea *uti*, et omnia inde emolumenta percipere; verum etiam illa *abuti*, id est eandem alienare, quin destruere, aut corrumpere possit.

§. 321.

Ista tamen *Dominii proprietates*, et inde consequens rebus suis *liberrime utendi facultas* ita intelligenda est, vt prima quidem cesset in casu *extremae necessitatis*, quando alteri res nostras non contrectaturo pereundum esset. Quippe Deus, quando res omnes communiter omnibus utendas fruidas dedit, permittit quidem, vt pro maiore humanae societatis commodo ad singulorum proprietatem transirent: §. 305. sed non ita sane hoc indulgisse censendus est, vt contra finem a se intentum alicui etiam summe necessaria deessent: ergo res ad *proprietatem* vnius translatae redeunt ad *communione primaeuam negatiuam* a Deo institutam §. 304. quando incipiunt esse alicui *summe necessariae*, et consequenter tum ab illo *occupari* possunt; vnde natum est prouerbum: *In necessitate omnia esse communia.* Libera porro suis rebus *utendi facultas* tunc plenum sortitur effectum, si I. nec a iure superiore intra angustiores limites coercatur; nec II. rei nostrae *usum iam restrictum* acceperimus, neque III. *propria facto restrinxerimus.* Primum exigente bono publico a supremo Magistratu fieri posse, audiemus tractaturi de *officiis ciuilibus*; et actu fieri cernimus in pupillis, minoribus, furiosis, prodigis etc. quibus rerum suarum administratio saluberrime suspensa est. Secundum et tertium fieri posse dubio vacat, quia in primis in translatione *Dominii* plus iuris ad nos non peruenit, quam prior Dominus voluit, et potuit transferre: §. 309. ergo si aut non voluit, aut non potuit *Dominium nisi restrictum* transferre; sequitur nobis non nisi tale competere. Deinde quum Dominus habeat liberam in re dispositionem; §. praec. ipse etiam rem, vel rei usum cum aliis communicare procul dubio potest. Ex his ergo fontibus ortum est *dominium imperfectum*, quod si *proprietatem* rei continet sine eiusdem *usufructu*, dicitur *directum*; si vero *usufructum* sine *proprietate* rei, *utile* nominatur. Huius postero-

rio-

rioris species sunt I. *feudum*, coniunctum cum onere fidelitatis, et certi obsequii Domino directo exhibendi, cumque obligatione rem absque illius consensu haud alienandi. II. *Emphyteusis*, obligata ad soluendum annuum canonem in agnitionem Domini directi. III. *Ius superficiei*, siue fruendi superficie soli alieni; aedificando, plantando etc. denique IV. *Seruitus*, qua non res ipsa, sed aliquis eius usus alteri traditur; et hic si ad personam utentis restringatur, *seruitus dicitur personalis*; si autem rei ipsi inhaereat, *realis* vocatur. Ex his ergo principiis moderandi sunt Canones §. *praec.* firmati, ut quod circa officia ex Dominio enascentia iustum et aequum est, rite statuamus.

§. 322.

Altera officiorum hypotheticorum radix est Pactum; §. 302. hoc quum fit *mutuus duorum, vel plurium in idem placitum consensus pariens obligationem*, §. 313. sequitur pro pactis **REGULA I. inualidum esse pactum, cui dolus, vel error praecipuam causam dedit**; quoniam enim ex sua natura est *consensus duorum*; hic autem sine cognitione haberi nequit, §. 61. eoquod cognitio per dolum aut errorem, qui dat causam contractui, ita tollatur, ut, quemadmodum supponitur, pactum stante eiusdem notitia neququam inicum fuisset; ipse contractus ruat, et inualidus fit oportet. Quamquam, si compaciscens doli vel erroris machinationes malitiose struxit, et pactum nihilo minus parti innocenti utile appareat, aequitas exigere videatur, ut nocens pars, quae nullum ex sua malitia commodum reportare debet, ad illud seruandum compellatur a Magistratu.

§. 323.

Colliges 1. *Dolo vel errore, qui non dedit praecipuam pacto causam*, illud inualidum non reddi, quia tunc cognitio quoad *substantialia* non tollitur, adeoque neque *consensus §. praec.* *Accidentalia* autem; uti nemo nescit, nihil nocent *substantialia*,

tiae; quamuis talia machinantis improbitas propterea minime a culpa iniuriae, et inde manantis obligationis satisfaciendi (*ex dicendis*) excusetur. 2. Pacisci non posse homines, *quando*, et *quandiu* quacunque ex causa vsu rationis carent; tum quippe ex defectu rationis non possunt in contractum *consentire*.

§. 324.

REGULA II. Neque minus inualida sunt pacta priuata metu graui, et iniusto extorta; quamuis enim in illis *consensus* non deficiat: (*vide dicta §. 75. etc.*) quo tamen minus iste pariat *obligationem*, quam pacto *essentialem* esse constat ex definitione §. 322. obstat metum incutientis iniquitas. Namque *obligatio quidquam praestandi*, et *ius illud exigendi* sunt plane *correlatiua*, quorum vnum sine altero intelligi nequit: §. 188. atqui paradoxum plane videtur, *ius* alicui per metum iniuste incussum, id est *per summam iniuriam* aquiri, et *ius naturae* facto suismet legibus aduersanti firmitatem tribuere, adeoque ad sui ipsius euerfionem subseruire; nihil vt dicam, quam lata sic panderetur via ad subruendam penitus humanae societatis tranquillitatem felicitatemque. Ceterum haud frustra *Regulam* hanc ad *pacta priuata* restrinximus; quippe aliud in *publicis* obtinere ostendetur in *officiis civilibus*.

§. 325.

Colliges 1. *Metu leui* pacta non reddi inutilia; leuitas enim *iniuriae* est *accidentalis*: ergo non ingreditur *substantiam* contractus; §. 323. consequenter, quamuis non sit sine culpa; non tamen tollit *ius* alterius. 2. Multo minus pactum eueri per metum *iustum*, licet *grauem*, quia per illum *iniuria* nulla infertur, adeoque etiam *ius* non impeditur. Contra 3. irrita esse quaecunque pacta per *violentiam* extorta, v. g. si frustra renitentis apprehensa manu alius quisquam eius nomen pacti tabulis subscribat; tum quippe omnis deest *consensus*.

§. 326.

§. 326.

REGULA III. *Pacta ut valeant, debent esse de re possibili, et honesta:* Quippe quum obligatio iisdem sit *essentialis*, vti patet ex pacti definitione: §. 322. tum nequit dari obligatio ad *impossibilia*, vtpote quorum *omissio* imputari non potest: atqui etiam, quae *inhonesta* sunt, *moraliter* sunt *impossibilia*; quia fieri saltem *licite* nunquam *possunt*. Deinde non potest fingi *Ius contra Deum*, siue facultas exigendi, quod ille prohibet: ergo nec obligatio talia praestandi; §. 188. consequenter eiusmodi pacta Iure naturae nulla sunt.

§. 327.

Colliges: Quamuis alter pactum *inhonestum* pro sua parte impleuerit: te tamen *vi pacti* minime teneri ad illud vicissim praestandum, quod promissisti; licet hoc non sit *inhonestum*. v. g. nemo tenetur *vi pacti* mercedem condictam scorto exsoluere propter praestitum corporis usum: Si enim pactum fuit *invalidum*, §. *praec.* vigore illius non potuit prostibulo *Ius exigendi* accrescere: ergo neque adest *obligatio solvendi*, §. 188. Dixi tamen *vi pacti*; namque ex aliis principiis v. g. propter *damnum* illatum, *sententiam Iudicis* etc. nihil obstat, quo minus oriatur obligatio conditionem pacti *honestam* implendi.

§. 328.

REGULA IV. *A pactis omnis abesto iniqua Proximi laesio.* Quamuis enim non fit tanta, vt ipsam contractus *substantiam* ingrediatur, adeoque pactum prorsus *inutile* reddat; vti fit per *dolum*, §. 322. et *metum iniustum*: §. 324. quia tamen omne pactum nititur *consensu*, ex eius definitione, §. 322.: siue laesio fiat per *fraudes occultas* (v. g. si imperito res aliqua caro nimis vendatur pretio) nemo in istam laesionem, vtpote qua fit, *infelicior* et *imperfectior*, *consensisse* censendus est: siue *aperta improbitate*, v. g. si *egenum* viliores, quam par est, pretio suam tibi locare operam

compellas; ipsa quidem haec consensus extorsio illum reddit infelicem, ut adeo oppresso placuisse credi minime possit. Praeterea pacta sunt *radix* altera officiorum hypotheticorum; §. 302. ista vero quum illo nitantur Principio, *cuique suum; ibidem*, substant Regulis *iustitiae*, et quidem *expletricis*, quae debet servare *aequalitatem*, seu *proportionem medii arithmeticae* inter rem et eius pretium, operam et illius mercedem, ius unius, et obligationem alterius, *per dicta* §. 188. et 193. *et sequentibus*: atqui ista proportio medii evidenter violatur per eiusmodi laesionem: ergo etc.

§. 329.

REGULA V. Pactis legitime initis standum est. Talia enim pacta pariunt *obligationem*, ex *Definit.* §. 322. ergo compaciscenti tribuunt *ius* id, quod pactum est, tanquam *suum* exigendi; §. 302. Hoc ius est *bonum Proximi*, uti nemo negare potest; nemo autem in bonis suis *laedendus* est, §. 287. patet itaque, etiam hoc *ius pactorum* violari non posse, absque eo ut impingatur in principium officiorum hypotheticorum: *Cuique suum.* §. 302.

§. 330.

Colliges 1. Hoc ipso quod *consensus* pariat *obligationem pactis standi* §. 322. eandem obligationem etiam tolli posse, siue *mutuo paciscentium consensu*, ut alter alteri obligationem remittat: siue etiam *dissensu*, id est, ut vno, quod pactum est, praestare negante, etiam alteri liberum sit *refilire*, eo ipso, quod prior fide violata nullum iam habeat *Ius* ab altero, quod nonnisi sub *conditione* promissum fuerat, exigendi. 2. Nullam obligationem oriri ex pacto cum illis inito, qui a *iure* quodam *Superiore* impediuntur, quo minus de rebus suis, quas in pactum deducunt, *disponere* possint, quemadmodum animadvertimus §. 321.

§. 331.

§. 331.

Vtraque officiorum hypotheticorum radix *Dominium* scilicet, et *Pactum* nititur generali Principio, cuique *ut suum tribuatur*, §. 302. ut adeo siue tollatur Proximo, siue *detineatur*, quod iure *Dominii suum* est, siue etiam *non praestetur*, quod ille iure pacti exigere tanquam *suum* §. 302. potest, procul dubio contraueniatur officiis hypotheticis, atque Proximus *in iure suo laedatur*. §. 301. Haec laesio autem quum tamdiu *duret*, quamdiu Proximus *suum* non habet. *ibid.* necessario sequitur, ut ea post se trahat *obligationem laesionem reparandi*, id est Proximum in eam restituendi conditionem, in qua citra laesionem futurus esset; *ibid.* et in qua, quantum spectat ad *officia hypothetica*, habiturus est, quod recte *suum* dicere potest: igitur quomodo id fieri debeat, breues adhuc tradendae sunt Regulae, quas vtrique officiorum hypotheticorum *communes* esse ex dictis patet.

§. 332.

Interest vero, utrum Proximus in rebus *vi-gore* *Dominii*, vel pacti suis *mala*, an vero *bonis fide* laedatur, si prius, id est, si *sciens* Proximo non tribuam, vel auferam, quod *suum* est, tunc *Reparatio* laesionis et rerum, quae ad illum spectant, *restitutio* rectius oriri dicetur ex *iniusta damnificatione*, quam ex *iniusta acceptione*, quemadmodum vulgo vocari solet; quia haec vltima appellatio angustior est, quam ut omnem *damnificationem* comprehendat: si posterius, siue si ex *ignorantia* hactenus Proximo non tribuerim, aut etiam abstulerim, detinuerimue, quod erat *dominii* vel pacti titulo *suum*; ego autem *meum* opinabar: tunc *reparatio* laesionis a tempore, quo in *veritatis* notitiam deueni, oritur ex *iniqua rei*, vel *iuris detentione* potius, quam ex *re*, ut vulgo dicitur, *accepta*; utpote quae *Reparatio* durante *bona fide* non vrget, et subinde eius *obligationem* mediante *Praescriptione* omnino tollit;

§. 310. sed tum denique eandem suscitatur, quando *detentio rei alienae incipit esse iniqua.*

§. 333.

Qui per *iniustam damnificationem* §. *praec.* Proximum laesit, tenetur I. ad id, quod adhuc *vi pacti* debet, illico praestandum. II. iure *vindicationis* §. 320. obligatur ad rem, quam abstulit, aut detinuit, cum omnibus fructibus, et accessionibus, quatenus ad Dominum spectant, restituendam; aut si illa perierit, istius consumpti fuerint, ad iustam horum singulorum aestimationem praestandam. III. adstringitur ad *omne damnum emergens, et lucrum cessans* compensandum, quod absque laesione innocenti perferendum haud fuisset. Neque enim, nisi his omnibus praestitis, laesus in statum restitui potest, in quo *citra* laesionem futurus fuisset, et in quo, quod *suum* iure dicere potest, iterum habiturus est: ad quod tamen iniuste damnificans obligatur. §. 331. Quod autem ad fructus atque accessiones spectat, haec etiam omnia secundum principia §. 308. firmata ad *Dominum* pertinent quo titulo gloriari nunquam potest, qui mala fide rem alienam abstulit, detinuitque. Ceterum haec adeo vera sunt, ut *casus* quoque praestari debeat, quo res aliena, aut eius fructus apud malae fidei possessorem perierunt, nisi forte talis sit, quem etiam absque laesione facta Dominus ipse vitare non potuisset.

§. 334.

Colliges, si plures damnum intulerunt, plures etiam obligari ad illud reparandum, ea mensura, qua quisque efficacior, aut minus efficacem influxum habuit in ipsam damnificationem. Verum huius rei exactior tractatio ad altiores spectat disciplinas; nobis satis est fundamentum posuisse.

§. 335.

Reparatio debita ex capite *iniquae detentionis* §. 332. longe alias sequitur regulas; plurimumque refert,

refert, vtrum *statim* fiat, ex quo iniquitas detentionis patuit, nec ne. Si primum, laesio hactenus facta quamvis fuerit *physica* ex parte veri Domini, propter *bonam* tamen *fidem* haud fuit *moralis* ex parte detentoris, et hinc eidem neque est *imputabilis*; vtpote, qui se merito hactenus pro Domino gessit. Hinc potest quidem Dominus I. rem suam cum fructibus et accessionibus iure Domini sibi competentibus a detentore *vindicare*, §. 320. adeoque iste ad eadem *resituenda* omnia tenetur, siue existant *in se*, siue in *aequivalenti*, id est, si ex illis quocunque modo consumptis, vsurpatis, vel alienatis factus sit *ditior*. Interim tamen II. Dominus detentori vicissim compensare debet impensas in rem suam saltem *necessario*, ac *utiliter* factas, quia neque ipse cum innocentis *damno locupletior* fieri iuste potest. Et ex eadem causa III. Detentor ad nihil omnino tenetur, si rem, aut eius fructus consumserit, corruperit, alienauerit etc. quin inde factus sit *locupletior*; quia tanquam *bonae fidei possessor* pro Domino se merito gerere, adeoque etiam ea omnia facere potuit, quae Domino licent; §. 320. vt adeo non magis illi laesionem talem imputare fero repertus Dominus possit, quam si rei suae, aut eius fructuum iacturam casu aliquo passus fuisset. IV. denique si ex ignorantia inculpabili quis non soluit aut praestitit, ad quod vi pacti tenebatur, ex *eisdem* rationibus ad id praestandum aut soluendum, quidem tenetur; non tamen obligatur ad *reparationem lucri cessantis*, vel *damni emergentis*, hoc ipso, quia inculpabilis fuit dilatio solutionis etc.

§. 336.

Colliges: si detecta detentionis iniquitate, quisquam sit *in mora culpabili* reparationis faciendae, tunc ab eo tempore hanc eius moram merito equiparari *iniustas damnificationi*; quia quoad effectus non minus nocet Domino tam iniqua detentio, quam iniusta damnificatio: Igitur ab eodem

tempore illas omnes incurrit obligationes, quas ab ista oriri diximus §. 333. Et haec de officiis monasticis dicta Philosopho sufficient.

SECTIO II. PRACTICA.

§. 337.

Quo fuimus in exponendis officiorum monasticorum dogmatibus, atque praeceptis vberiores: tanto nunc nobis licet esse brevioribus in exhortandis ad illorum observantiam animis, quam illa sane suamet natura sint talia, ut ingenuum quemque alliciant, et inuident. *Quid enim (quantum inprimis ad officia erga Deum spectat) tam iustum ad aequitatem, tam pium ad honorem, tam necessarium ad salutem, quam Deum agnoscere, ut parentem venerari, et Dominum? (x) Modum recte colendi petis? Breuem dat Seneca, et discendum sane ipsis Christianis, qui quotidie a Religione docti nihil proficiunt. Nunquam, ait ille (y) satis profectum erit, nisi qualem debet Deum, mento (homo) conceperit, omnia habentem, omnia tribuentem, beneficia gratis dantem. -- Primus est Deorum cultus, Deos credere. Deinde reddere illis maiestatem suam, reddere bonitatem, sine qua nulla maiestas est. -- Vis Deos propitiare? bonus esto. Satis illos coluit, quisquis imitatus est. Nempe summa filiorum est erga Parentes observantia atque pietas, si illorum exempla studeant aemulari.*

§. 338.

Sed reuocare gradum, superasque evadere ad auras, Hoc opus, hic labor est; (z) Enimuero non tam arduus, modo memoriam in Dei omnipraesentis obtutu figere assuescas. Hunc tu testem
male

(x) *Lactant. Epit. C. 56.*

(y) *Epist. 95.*

(z) *Aeneid. 6.*

male factorum, hunc praesentem flagitiorum vindicem non reuerere? Quaesitus Thales Milesius, (1) *num lateat Deum homo iniuste agens? imo, respondit, ne cogitans quidem.* Utinam vero tantum recordatio Testis nunquam ex animo efflueret, quam cito alii a nobis essemus futuri, et ad omnes officiorum apices compositi! Igitur dicat sibi quisque cum Seneca apud Lactantium: (2) *Magnum, nescio quid, maiusque; quam cogitari potest, Numen est, cui viuendo operam damus. Huic nos adprobemus. Nam nihil prodest conclusam esse conscientiam; patemur Deo. Quam ob rem, apposite ad rem nostram Epictetus (3) concludit, clausis ianuis ac valuis, quum in tenebris confederitis, nolite dicere, vos solos esse, non enim estis. Non certe estis, sed Deus intus est.*

§. 339.

Quisquis boni, malique genuinam habet notionem, §. 31. et 32. is facile animaduertet, sub potissimum interesse, ut officia fideliter impleat, quae natura cuique versus se ipsum imponit. Itaque quemadmodum veteres his auspiciari epistolam suas verbis solebant: *Si vales, bene est, ita recte et nos dicimus: Secundum posita principia si philosopharis, bene est. Valere enim hoc denuum est, sine hoc aeger est animus.* (4) Simus itaque persuasissimi, neminem posse beate viuere, ne tolerabiliter quidem sine sapientiae studio. — — Sed hoc, quod liquet, firmandum, et altius quotidiana meditatione figendum est. Plus operis est in eo, ut proposita custodias, quam ut honesta proponas. Perseuerandum est, et assiduo studio robur addendum, donec bona mens sit. (5) Namque Bona mens omnibus patet: omnes ad hoc sumus nobiles. Nec reiciunt

N. 4

quem-

(1) apud Diog. Laert. L. 1. C. 1. n. 9.

(2) Diuin. Instit. L. 6, 24.

(3) apud Arrian. L. 1, 14.

(4) Sen. Ep. 15.

(5) Ep. 16.

quemquam Philosophia; nec aligit: omnibus licet. Patricius Socrates non fuit. Cleantes aquam traxit, et rigando hortulo locavit manus. Platonem non accepit nobilem Philosophia; sed fecit. Quid est, quare desperes, his te posse fieri parem? omnes hi maiores tui sunt, si te illis geris dignum. (6)

§. 340.

Quod si vero tua erga te ipsum officia negligis, quem, amabo negligis, quam temet ipsum? nae tu immane hac incuria malum tuomet tibi iumento aduehis! Quippe *minimum ex nequitia, leuissimumque ad alios redundat: quod pessimum ex illa est, et, ut ita dicam, spississimum, domi remanet, et premit habentem.* — Malitia ipsa maximam partem veneni sui bibit. Illud venenum, quod serpentes in alienam perniciem proferunt, sine sua continent; non est huic (istud malitiae toxicum) simile: hoc habentibus pessimum est. (7) Neque id manifestius quam sub ipsum vitae finem patet: Plerique, iterum ait Seneca, (8) *peiores morimur, quam nascimur.* Nostrum istud, non naturae vitium est. Illa de nobis conqueri debet, et dicere: *Quid hoc est? sine cupiditatibus vos genui, sine timoribus, sine superstitione, sine perfidia, ceterisque pestibus, quales intrastris, exite.* Percepit sapientiam, si quis tam securus moritur, quam nascitur. Nunc vero trepidamus, quum periculum accessit; non animus nobis, non color constat, lacrymae nihil profuturae cadunt. Quid est turpius, quam in ipso limine securitatis esse sollicitum? Causa autem haec est, quod inanes omnium bonorum sumus, quorum in fine vitae desiderio laboramus: non enim apud nos pars eius vlla subsedit; transmissa est, et effluit. Nemo quam bene viuat, sed quamdiu, curat: quum omnibus possit contingere, ut bene viuant: ut diu, nulli.

§. 341.

(6) Ep. 44.

(7) Ep. 81.

(8) Ep. 22. ad Attum.

S. 34r.

Iam ergo intelligis quam sollicite auerfanda sint, atque fugienda, quae quoniam mala sunt, non possunt nos non miseros facere. Quæris autem, quomodo muniendus sit animus contra tot malorum irritamenta, quibus quotidie patemur. Ista fere a cupiditate profiscuntur, et ab hominibus nequam, qui nunc verborum lenociniis, nunc exemplorum fascino mentem bonam corrumpunt, ut adeo et intus nutriamus hostem, et ab illo exterius circumuallemur. Tanto autem ille contra iuventutem est validior; quanto inopportunius vegetior adhuc sanguis impotentem cupiditatis licentiam stimulat, et inexpertae imprudentia aetatis aduersus pericula deliciosae libertatis melle illita caecutit. Ceterum ne cadamus animis: Tu — — *Ne frenos animo per mitte calenti, Da spatium, tenuemque moram, male cuncta ministrat Impetus.* (9)

Vno hoc medio cupiditatem non exarmaueris solum; verum etiam subiugaueris. Contra vero corruptores morum, contra prauorum praestigia exemplorum firmissima est animus imbuendus persuasionem, nullos nos habere hostes magis infensos, quam qui nos a virtutibus ad mollem et luxuriosam vitam pellicunt. Tyrannis seruit, quisquis se a malis sociis corrumpi patitur. Est namque ea ars re ipsa tyrannica, qua Dionysium Siculum contra Dionis filium, (10) Romanos aduersus Germanos, aut quos dubiae fidei amicos existimabant, (11) vsos fuisse, historiae tradunt; quod nec aegrius se illis facere, nec perniciosius nocere posse non ignorarent. Et utinam animo insculperent, qui cerei in vitium flecti, monitoribus tamen sunt asperi! Ceterum non hoc insanire

N 5 est,

(9) Statius Thebaid. L. 10.

(10) Corn. Nepos, in Dione c. 4.

(11) Tacit. hist. L. 4, 64.

est, quod, quemadmodum ait Epictetus apud Arrianum, (12) *Ubiunque in his, quae ad corpus pertinent, possessionibus aliquid damni acciperimus, illico iacturam nos fecisse arbitramur, sed in voluntatis proposito, quum detrimenta nobis eueniant, nihilominus tamen damnum nos accepisse nullum censuimus; quandoquidem ei, qui corrumpit alterum, aut corrumpitur, nec caput dolet, nec oculus, nec coxa, sed nec fundum amittit: atqui aliud nihil volumus, quam ista. Inter nos vero disceptatio nulla est, ne mediocris quidem, utrum satius sit, voluntatem habere pudicam et fidelem; an vero impudicam et infidelam.*

§. 342.

Haec ipsa Epicteti doctrina alto est imprimenda animo quantum ad officia erga Proximum, quorum quum magna pars in eo sita sit principio, ut neminem laedamus: tum sane nunquam atrocius nocetur Proximo, quam in bonis animae, et dum voluntas ad malum corrumpitur. Interim quantum est, praecclare ait Seneca, (13) *ei non nocere, cui debeas prodesse? conseruanda est igitur humanitas, inquit Lactantius (14) si homines recte dici velimus. Id autem ipsum, conseruare humanitatem, quid aliud est, quam diligere hominem, quia homo sit, et idem quod nos sumus? Discordia igitur, atque dissensio non est secundum hominis rationem, verumque est illud Ciceronis, quod ait (15), hominem naturas obedientem homini nocere non posse. Ergo si nocere homini contra naturam est; prodesse igitur homini secundum naturam sit, necesse est: quod qui non facit, hominis se appellatione despolet. Inde Libanius: (16) *Hominem quum dico, misericordiam dico, benignitatem humanitatemque dico.**

§. 343.

(12) *Diff. Epict. 2, 10.*(13) *Ep. 95.*(14) *Divin. Instit. L. 6, 11.*(15) *Off. L. 3, 5.*(16) *Declam. 19.*

§. 343.

Hinc facile patet animum ad illa etiam esse erga alios officia adiiciendum, quae *homiletica* vocari solent, quod conuersationem humanae societatis faciant gratiorem, quamuis enim ea sit illorum indoles, vt nonnisi inter *imperfecta* computari possint: tamen neque haec quidem omnia, et a singulis negligi posse pridem in *Prolegomenis* ostendimus. Talia sunt *Comitas*, qua suauem se aliquis et affabilem tum dictis tum factis praebet; *Ciuitas*, quae cuiuslibet debita congruaque obseruantiae ac honoris signa sine tamen affectationis fastidio exhibet: *Sinceritas*, quae cum debita moderatione idem praestat factis, quod *Veracitas* Mendacio opposita verbis, curatque ne quis callide viuendo et omnia simulate agendo totus ipse fit mendacium. *Concordiae* etiam, seu pacis cum aliis et inter alios tuendae ac restituendae praestitutum studium; denique *Beneficentia*, siue *promittendo ad rem, vel actionem, quae alteri profutura est, gratis praestandam* huc pertinet, in quantum erga homines exercetur non in tanta necessitate constitutos, vt beneficium simul sit *elemosina*; tunc enim beneficium, cuius notionem ex mox dictis habes, inter *officia perfecta* connumerandum esse iam supra §. 283. animaduertimus.

§. 344.

Porro autem *officia etiam feras sentiunt; nec ullum tam immansuetum animal est, quod non cura mitiget, et in amorem sui vertat: (17) at vero beneficentia, qua nihil est naturae humanae accomodatius, multas habet cautiones: Videndum est enim primum, ne obstit benignitas, et iis ipsis, quibus benigne videtur fieri, et ceteris: deinde ne maior benignitas sit, quam facultas; tum vt pro dignitate (quam etiam indigentia determinat) cuique tribuatur.*

tur. (18) Namque illos ex toto praeteribo, quorum mercenarium beneficium est, quod qui dat, non computat, cui; sed quanti daturus sit, quod undique in se conuersum est, — in quo mercator non cogitauit, quantum auxilii allaturus esset mihi, sed quantum lucrum sibi. Quod emi, non debeo. (19) Nimirum hamata beneficia, totius beneficii naturae repugnant, quae prorsus est gratuita. §. praec. Vtilis mihi esse potes, rem, qua carere nequeo, vendens; sed tum sane officiosi laudem tuleris; non benefici.

§. 345.

Quamquam autem beneficium nulla graui urgente accipientis necessitate exhibitum inter officia imperfecta computetur: §. 343. Acceptum tamen semper vigore officii perfecti gratum obligat minimum. Nullum quippe, vt recte inquit Cicero, (20) officium referenda gratia magis necessarium est. Quod si ea, quae utenda acceperis, maiore mensura, si modo possis, iubet reddere Hesiodus; quidnam beneficio prouocati facere debemus? an non imitari agros fertiles, qui multo plus afferunt, quam acceperunt? Etenim si in eos, quos speramus nobis profuturos, non dubitamus officia conferre: quales in eos esse debemus, qui iam profuerunt? Nam quum duo genera liberalitatis sint, vnum dandi beneficii, alterum reddendi: demus nec ne, in nostra potestate est: non reddere bono viro non licet, si modo id facere possit sine iniuria.

§. 346.

Porro gratuita beneficii natura §. 344. per se quidem non admittit actionem contra ingratum, nisi nimirum a Legibus ciuilibus diserte fuerit inuecta; quare etiam Antoninus Imp. (21) dicere non dubitauit: Quando tanquam ingratum incusas aliquem, in temet ipsum censuram conuerte. Peccatum

(18) Cicero Off. L. 1, 14.

(19) Sen. de Benef. L. 6. 14.

(20) L. 1. Off. 15.

(21) L. 9, 42.

tum enim procul dubio est tuum, quod non absolute dedisti, nec tanquam qui totum actionis tuae fructum iam statim percepisses. Quid enim amplius velle debebas, ubi homini benefeceras? annon hoc ipsum tibi sufficit? quod est naturae tuae congruum, ubi quid feceris, tum facti istius mercedem quaeris? Ceterum hoc ipsum est, quod ingrati animi culpam exaggerat, eamque omnibus sana ratione pol- lentibus facit prae aliis vitiis detestabiliorem: unde recte Cartesius: (22) Ingratitudo vitium est hominum brutorum, et stolidae superbiorum, qui putant omnia sibi deberi; aut stupidorum, qui nullam faciunt reflexionem animi ad beneficia, quae accipiunt; aut imbecilliorum, et abiectorum, qui ubi sentiunt infirmitatem et egestatem suam, demissa quaerunt auxilium aliorum, quod ubi sunt consecuti, eos odio prosequuntur, quia destituti voluntate paria referendi, aut se id posse desperantes, et sibi fingentes, omnes omnino secum venales et mercenarios esse, nihilque boni fieri, nisi cum remunerationis spe, eos se decepisse arbitrantur.

SECTIO III.

SCHOLASTICA.

DE IURE DEFENSIONIS CONTRA NOSTRORUM AGGRESSORES BONORUM.

§. 347.

Defensio, prout heic sumitur, nihil est aliud, quam propulsatio malorum ad laesionem nostri, aut ad bonorum nostrorum iacturam tendentium.

§. 348.

Certum est I. quod haec defensio nunquam habeat locum contra iustos aggressores; si enim penes illos fuerit *Ius* alicui, ad criminis v. g. puni-
tio-

(22) de Passionibus Art. 194.

nitionem, mala inferendi: necessario penes malefactorem erit *obligatio* eadem mala sustinendi: §. 188. Contra *iniustos* autem *aggressores* defensio vel suscipitur *sine laesione* et pernicie illorum; vel *eum eadem*? Primi generis defensio quod *licita*, quin saepe *praecepta* fit, patet ex dictis §. 259. confer §. 266.: ergo quaestio tantum de secundi generis, siue de *violenta defensione*, et quidem *circa omnia bonorum genera* procedit, quae nobis *violenter* eripi possunt.

§. 349.

Certum est II. quod *defensio* etiam *violenta* sul ac bonorum suorum contra iniquos aggressores iure naturae permessa sit pro *statu* hominum mere *naturali*, seu in quantum homo nonnisi tanquam membrum generis humani consideratur; §. 233. quum enim sub hac consideratione omnes quoad partes essentiales sint natura aequales; accidentales vero perfectiones nihil in essentia immutent; evidenter sequitur, quod hic status *aequalitatis* etiam sit status plenissimae *libertatis*, id est, quod excludat omne imperii, subiectionis, et dignitatis discrimen, et consequenter etiam omnem Magistratum, omnes leges humanas, atque poenas: ex quo ulterius patet oppressis in tali statu nullum esse praesidium, nisi *in se ipsis*, et *propriis viribus*. Iam vero datur ordo amoris in Iure naturae fundatus, vi cuius quisque se ipsum et suamet etiam bona iuste plus amat et servare studet, quam alterum, et eius bona, quae sunt in eodem cum suis ordine §. 236. et 284. ergo si oppresso nullum superfit praesidium se ipsum et haec sua bona servandi, nisi in propriis viribus, siue *violenta defensione* contra iniquos aggressores suscepta; Iure naturae permissum est eadem vti, modo si dictus amoris ordo rite servetur.

§. 350.

Contra ea certum est III. Eandem defensionem violentam non habere locum pro hominibus

pri-

privatis in hodierno statu *aduentitio civitatis* §. 233. quum enim hic (*ex dicendis de officiis civilibus*) ideo fit institutus, vt translata in aliquem Magistratum, quae antea penes singulos erat, naturalis status libertate, et summa etiam Legum ferendarum, ac poenarum sancendarum auctoritate, hic privatos contra iniustas aggressorum machinationes tueatur, quatenus sic tranquillitas socialitatis et securitas publica inter reliquos servari possit; quamdiu ad talem Magistratum patet recursus, plane recurrendum, et a defensione violenta eademque privata abstinendum est; quia, nisi id fieret, finis eiusmodi status obtineri non posset. Praeterea in tali statu oppressis haud iam *in solis propriis viribus* praesidium relictum est. §. *praec.* Ceterum ex hoc ipso ulterius rite inferitur, quando tam *repentina* opprimit *necessitas*, vt non pateat recursus ad Magistratum, tum ius defensionis violentae *pro modo necessitatis* postliminio redire ad privatos: quum enim homines iura status et libertatis naturalis nonnisi propriae securitatis causa in Magistratum transfulerint; sibi eadem pro illo casu necessitatis in tantum merito servasse censentur, in quantum non patente recurso haec ipsa securitas ex tali translatione magis periclitaretur. Vnde Cicero: *Est haec non scripta, sed nata Lex, quam non didicimus, accepimus, legimus: verum ex natura ipsa arripuimus, hausimus, expressimus, ad quam non docti, sed facti; non instituti, sed imbuti sumus, ut si vita nostra in aliquas insidias, si in vinum, si in tela aut latronum, aut inimicorum incidisset, omnis honesta ratio esset expediendae salutis. Silent enim Leges inter arma, nec se expectari iubent, quum ei, qui expectare velit, ante iniusta poena luenda sit, quam iusta repetenda.*

(23)

§. 351.

Ex principiis hactenus positis sequitur I. *Defensionem violentam, pro praesente nostro statu licitam.*

(23) pro Milan. n. 4.

tam, semper esse commensurandam necessitati; quae enim non est necessitatis, hoc ipso est privatae, adeoque illegitimae potestatis; unde cum laesione aggressoris, quantum fieri potest, minima suscipienda est; §. praec. II. A defensione semper abesse debere cupiditatem vindictae; quippe quae defensionis limites iam excedit, et inuolat in iura supremae potestatis in Magistratum translata. ibid. III. In ipsa necessitate seruandum esse ordinem charitatis circa dignitatem bonorum, quae laeduntur. Namque hic quum vrgeat semper, adeoque etiam pro statu naturalis libertatis; §. 349. multo magis seruandus est, quando in illam ex statu aduentitiae subiectionis tot cum limitibus restitui mur. §. praec. IV. Moderamen inculpatae tutelae, quod in praesenti quaestione ab omnibus Auctoribus requiritur, nihil esse aliud, quam defensionem violentam contra aggressores iniustos in casu vrgentis necessitatis tam necessitati, quam bonorum laesioni attemperatam. Interim etiam illud probe est inculcandum, nos in seholis extra periculi aleam positos, et veluti per otium haud difficulter limites describere, quos tenere opus est, vtne in moderamine inculpatae tutelae excedatur: at vero qui in arena consilium capere, et vrgenti caput discrimini subducere cogitur, huic sane delibrandi tempus haud superest; unde non ocyus damnari debet, qui eosdem limites excessisse videtur; sed ad eas recurrendum est Regulas, quas de actibus humanis, et moralibus in Ethica generali tradidimus. His omnibus, et semper praeluppositis sit

§. 352.

Propositio I.

Licet etiam cum occisione iniusti aggressoris tneri vitam propriam.

Quippe et ordo amoris, §. 284. et libertas status naturalis, §. 349. in quam homo tali necessitate oppressus restituitur, §. 350. permittunt, vt,

si aut mihi pereundum sit, aut iniusto aggressori, ego conseruationem mei conseruationi alterius anteferre merito possim; estque haec facultas omnino necessaria ad refrenandam furiosam hominum improborum audaciam, et seruandam tranquillitatem publicam,

§. 353.

Colliges I. Id ipsum procedere de omni aggressore iniusto; siue sit talis *sua culpa*, vt latro; siue *ex ignorantia*, vt qui me falso pro hoste suo habet, siue *sua infelicitate*, vt maniacus; vel qui me a tuenda vita impedit, licet innocenter, vt si premente hoste non nisi per conculcatum hominem saucium, in via iacentem lethum effugere possim; namque ex vna parte nemo horum *ius* habet, vt mihi seu exitium machinetur, seu tuendae salutis moram iniiciat; ex altera autem parte semper verum est, quod iuste malim alium perire, quam me ipsum. §. *praec.*

§. 354.

Colliges II. Quum *membrorum*, praecipuorum saltem, *integritas* §. 268. *Libertas* item, ac *Pudicitia* §. 281. eius sint generis bona, quorum iactura cordatissimis quoque ipsa morte acerbior esse solet: tum id ipsum violentae defensionis ius ad illa etiam conseruanda non immerito extendi.

§. 355.

Obiicies I. Praeceptum naturale de non occidendo est *negatiuum*: ergo obligat *semper*, et pro *omni casu* §. 230. consequenter etiam respectu iniusti aggressoris; praecipue si hic cetera sit *innocens*. II. Solus Deus est vitae necisque Dominus §. 262. ergo nunquam licet in hoc eius ius, alium per violentam et priuatam defensionem occidendo, inuolare. III. Per eiusmodi caedem inuertitur ordo charitatis; rapitur enim iniusto aggressori simul vita aeterna, vt nostra temporalis seruetur, quod est contra §. 248. IV. Pudicitia est bonum animi, quod teste S. Hieronymo non *uis* maculat, *P. Schwarzkusber Eth. P. II.* sed

sed voluntas; ideoque etiam in S. Script. (24) L. V. ea tantum damnatur puella, quae contra vim sibi illatam non exclamavit; non autem quae stupratorem haud occidit: ergo pudicitia per caedem aggressoris inepte defenditur.

§. 356.

Respondeo ad I. concedo totum, et nego suppositum, quod actus ille defensionis, spectatus moraliter, sit actus occisionis; quippe morales actus (vti praeclare animaduertit S. Thomas (25) accipiunt speciem secundum id, quod intenditur; non autem ab eo, quod est praeter intentionem, quum sit per accidens. -- Actus ergo eiusmodi ex hoc, quod intendit conseruationem propriae vitae, non habet rationem illiciti; quum hoc sit cuiuslibet naturale. Neque obest, quod intentio saltem indirecte videatur dirigi ad occisionem iniusti aggressoris; hoc quippe modo est a Deo summo vitae ac necis Domino permessa, quia necessario coniuncta cum defensione propriae vitae, quam nobis ab illo concessam nemo dubitare potest: igitur tum mutatur obiectum praecepti negatiui, quod non est aliud, quam violatio supremi Dominii; consequenter ipsum etiam cessat praeceptum. §. 230. Ad II. c. a. et n. suppos. conf. namque occisio secundum mox dicta directe non intenditur; indirecte autem, et quatenus est cum necessaria defensione vitae, eisdemque aequiualentium bonorum connexa, a Deo permittitur; ergo nunquam per illam in Dei iura inuolatur. Ad III. n. a. tum argumenti, tum etiam probationis: Ipse sibi aggressor vitam simul aeternam, et temporalem rapit, quippe qui, modo si vellet, facile ex hac necessitate emergere posset desistendo ab iniuria: Oppressus contra, quamuis et ipse non solo tantum affectu; verum etiam in effectu quemlibet Proximum diligere obligetur: non tamen tenetur pro eo vitam prodige-

(24) Deut. 22.

(25) 2. 2. q. 64. A. 2.

digere, si ipse sibi facile consulere potest. §. 283. et 284. Ad IV. dist. a. Pudicitia est bonum animi, tantum, n. corporis simul, et quidem irreparabile, c. item per vim non maculatur coram Deo, transeat: in existimatione hominum, iterum irreparabili, n. Quin Pudicitia etiam per vim expugnata propter vehementissimam delectationem appetitus sensitiui cum proximo semper consensus periculo coniunctam etiam coram Deo a macula morali rarissime; a macula autem politica, et quidem irreparabili honoris coram hominibus vix vnquam, et a corruptione ipsius corporis apud virgines nunquam omnino exempta est. Ceterum S. Scriptura de illis tantum disponere solet, quae communiter eueniunt; quum ergo defensio Pudicitiae cum caede aggressoris coniuncta propter sexus imbecillitatem in feminis raro locum sit habitura; nullam quidem de ea mentionem facit; hinc autem minime sequitur, quod eandem improbet.

§. 357.

Propositio II.

Non licet aliquem occidere, grauius mutilare, aut vulnerare pro tuendis I. solis fortunae bonis, nisi II. ad conseruationem vitae, et status sint necessaria, ac simul III. alia via nec defendi nec recuperari possint.

Ratio est, quia repugnat ordini charitatis, si Proximo adimitur bonum irreparabile superioris ordinis, id est vita propter bonum reparabile ordinis inferioris, quo censu veniunt bona fortunae. §. 284. Hinc etiam in Lege veteri (26) homicidium, et mortis reus a Deo pronuntiatur, qui furem diurnum occiderit, quia nimirum talis tanquam fur, et non tanquam Latro venisse supponitur; et in Iure ciuili (27) dicitur: *Furem nocturnum si quis*

O 2

(26) Exod. 22.

(27) L. 9. ff. ad L. Cornel.

quis occiderit, ita demum impune feret, si parcere ei sine periculo suo non potuerit.

§. 358.

Dixi tamen I. *pro tuendis SOLIS fortunae bonis*; quia si aggressor simul minetur vitae, utique licebit eum occidere, §. 352. atque sic simul fortunas seruare; ideo eodem Exodi loco fur nocturnus domum effringens, et in Iure civili (28) diurnus se telo defendens occidi permittitur, quia latro esse praesumitur. Dixi II. *Nisi ad conseruationem vitae, et status sint necessaria.* De vita res patet ex mox dictis; Status autem certe inter ea est bona, quae vitae aequiparantur, eiusque iactura ingenuis morte solet esse tristior: ergo idem pro statu licet, quod pro similibus bonis §. 354. Dixi III. *Et simul alia via nec defendi, nec recuperari possunt.* Quamcunque enim sint ad conseruationem vitae vel status necessaria, si alia tamen via defendi possunt, aut recuperari; cessat *necessitas*: ergo etiam *ius priuatae violentiae defensionis.* §. 351.

§. 359.

Colliges fas tamen esse absque caede, §. 357. et mutilatione membrorum saltem graui, utpote quae vitae aequiparatur, §. 354. aliis modis magni momenti fortunae bona tueri; tunc namque satis iusta seruatur proportio. Quin si me meae tuente iniustus aggressor mortem mihi machinetur, redit facultas defensionis etiam cum illius occisione: neque enim ille ius habet me impediendi, quo minus mea defendam, hinc si illud iniuste impediturus etiam mortem machinetur, iniustus incipit esse aggressor vitae: atqui talem licet occidere: §. 352. ergo.

§. 360.

Obiicies I. Bona fortunae sunt media ad vitae sustentationem necessaria, et quamuis non sunt heic

(28) L. 4. ff. ad L. Aquil.

heic et nunc; fortasse tamen aliquando erunt necessaria: ergo si licet vitam cum caede iniqui aggressoris tueri; etiam fortunas licebit. II. Fur capitis damnatur propter ablata fortunae bona: ergo inter haec, et vitam aggressoris est proportio. III. Sine talis metu defensionis nostra semper paterent improborum rapacitati: ergo necessario concedenda est ad seruandam socialitatis humanae securitatem, et tranquillitatem.

§. 361.

Respondeo ad I. Permissam esse eiusmodi bonorum fortunae defensionem, si istorum necessitas ad conseruationem vitae et status sit praesens, et certa: §. 358. quod si vero non sit nisi futura, et incerta, tunc vtique non licet propter illam Proximo auferre bonum certum, irreparabile, et maioris ordinis, quia plane nulla est proportio. Ad II. dist. Fur capitis damnatur auctoritate priuata, n. publica, subdist. praecise ob bona fortunae, n. ob securitatem publicam, quam perniciosum eiusmodi reipublicae membrum euertit, c. Heic autem alia prorsus apparet proportio. Ad III. n. a. Tranquillitati socialitatis satis cauetur per Leges poenales publicas: istae autem si in casu particulari singulorum indemnitati haud sufficiunt; tunc id est per accidens, neque propterea licet ordinem generalem naturalis charitatis inuertere.

§. 362.

Corollarium I. Permissa est, minime autem praecepta ratio se, suaque tuendi hactenus explicata. Quippe ceteris paribus potest aliquis de sua aeterna salute moraliter certus propter finem perfectiorem charitatis mortem propriam temporalem morti aeternae iniqui aggressoris posthabere §. 266. II. Quum norma amandi Proximum sit amor sui ipsius §. 276. id ipsum licebit pro aliis, et maxime propinquis facere, quod pro nobis nostrisque rebus tuendis concessum est; Interim ceteris paribus nemo tenetur cum propriae salutis

discrimine istud praestare; Amor enim ordinatus incipit a se ipso. §. 237.

§. 362.

Propositio III.

**Nefas est violentam honoris et famae defensionem suscipere.*

Ratio est, quia ex vna parte vita Proximi, membrorumque integritas, ac incolumitas est bonum altioris ordinis: §. 284. ex altera autem parte mors aggressoris (praeterquam quod sit *malum irreparabile*, contra vero damnificatio honoris et famae *reparabilis*) medium est ad defensionem et reparationem honoris, ac famae prorsus *ineptum*: idemque dicendum de aliis violentae defensionis rationibus: Honor quippe, quum secundum commune prouerbum non sit in *honorato*; sed in *honorante*, id est, quum consistat in benigna de virtute ac perfectionibus nostris aliorum existimatione, §. 273. haec utique non est ex fatuorum deliriis; sed ex prudentum iudicio metienda: Verum apud aequos rerum aestimatores nunquam dilueris maculam calumniae nomini tuo inuistam, neque innocentiam demonstraueris tuam infamatorem occidendo, mutilando, verberando etc. aut vicissim calumniando; sed calumniam falsi reuincendo, vel ignominiae auctorem iniuriarum actione legitime intentata ad palinodiam, et satisfactionem per iustam Iudicis sententiam adigendo: ergo supra dicta omnia reparandi honoris praepostera media inepta habenda sunt; si autem sunt *inepta*, tunc neque possunt esse *necessaria*; et si non sunt necessaria, neque seruant *moderamen inculpatae tutelae*, et hoc ipso sunt *illicita*, neque habent nisi rationem *vindictae priuatae*, quae in statu ciuili nunquam locum habet. §. 350. et 351. vt iam de aliis innumeris similem malis, quae permessa semel eiusmodi honoris defensio pleno agmine in societatem humanam intueheret, quaeque vel obiter tantum amoris proprii, nulla alia in re delicatioris, ingenium expen-

pensuro facile et sponte occurrent. Nunc vero ab his principiis vltro ad *Duellorum* considerationem deuehjmur.

§. 363.

Duellum est *quasi duorum, aut certe paucorum bellum ex conducto susceptum*. Suscipitur autem vel *auctoritate publica*; vel *ex consensu priuatorum*. In primo casu, siquidem id fiat ex causa iusta, scilicet propter *bonum publicum*, vt plurimum parcatur sanguini (quale fuit Daudis cum Goliatho, et illud Horatianorum et Curiatorum apud Liuium) idem licitum esse nemo sanus dubitauerit, patebitque hoc ex argumento *a maiore*, scilicet bello, *ad minus* ducto, quando agemus de officiis ciuilibus: quodsi autem ex *frivolis tantum* permittatur rationibus; vti fecerunt veteres Romani, gladiatorum cruenta spectacula populi oblectandi causa exhibentes; certe, et tanto magis sunt illicita, quanto minus Reipublicae talis potestas in vitam et membra hominum ex dicendis suo loco potest conuenire. In secundo casu, si duellum initur *sola ostentandi roboris libidine*, vel simili alia licentia, id ipsum nefarium esse liquet ex hactenus dictis *de conseruatione vitae, integritatisque propriae*, §. 261. etc. et *laesione alienae*; §. 299. si vero ad illud, vt passim fieri videmus, *prouocatur, vindicandi honoris, aut reparandae causa contumeliae*; tunc proprie est illud Duellum, de quo heic quaeri potest, et quod contra Grotium, Hobbesium, et alios, etiam Catholicos quosdam, impugnamus. Sit ergo

§. 364.

Propositio IV.

Duella priuata sunt Iure naturae prohibita.

Ratio est, quia hoc medium est I. *prorsus inaptum* ad honorem farcendum; §. 362. II. *ob crudelitatem* instinctui naturae aduersum; III. *ob periculum viros fortissimos* propter causas plerumque *frivolas*

friuolas perdendi, societati humanae, tranquillitati status, et bono publico reipublicae longe perniciosissimum; atque IV. vt vno omnia dicam verbo, nil nisi merissima *vindicta priuata* in statu ciuitatis semper prohibita §. 350. Hinc non solum Leges ecclesiasticae seuerissimis poenis animaduertunt in illos, qui duella ineunt, illorum adiutores, quin etiam spectatores: verum etiam Leopoldus Imperator capitis, Ludonicus XIV. Galliae Rex laquei, Augustissima Imperatrix vidua, et Hungariae ac Bohemiae Regina Theresia etc. nouiter, et iterato mortis poenam contra haec monstra sanxerunt etc.

§. 365.

Obiicies I. Honor est bonum, cuius iactura vitae aequiparatur: ergo potest eodem modo defendi. II. Contumelia non vindicata reddit hominem infamem: ergo fama est aequae irreparabilis, quam vita. III. Duellum detrectans, maxime nobilis, aut miles habetur pro ignaui, ita, vt reliqui eius consortium auersentur, et propterea suo munere, ac necessariae vitae sustentatione excludere debeat: ergo saltem ex hoc capite, secundum dicta §. 358. permittum erit. IV. Magistratus non serio prohibent, et coercent duella: ergo frustra per scholarum pulpita contra illa declamatur; tamdiu enim non possunt sine graui periculo detrectari. V. Vbi non patet recursus ad Magistratum, homo restituitur in statum naturalis libertatis, §. 350. in quo irreparabiliter necessaria ad conseruationem vitae et status violenter licet contra iniustos aggressores defendere: §. 358. atqui non patet recursus ad Magistratum, si hic aperte iniustitiam deneget: ergo si in hoc casu irreparabiliter necessaria ad vitae et status conseruationem non possunt, nisi per duellum defendi, id licite suscipietur contra iniustum aggressorem ab homine in statum naturalis libertatis restituto. VI. *Bella publica* sunt licita: ergo etiam priuata, maxime quum seruiant ad acuendos militares animos.

§. 366.

§. 366.

Respondeo ad I. dist. fama est bonum, cuius iactura, si concipiatur tanquam irreparabilis, vitae equiparatur c. reparabilis, qualis est praecipue in nostro casu n. ergo potest eodem quo vita modo reparari d. si hoc modo esset reparabilis, c. fin, vt re vera se res habet, §. 362. n. conf. vide dicta §. 273. et 284. Ad II. d. a. contumelia ne licitis quidem et legitimis modis vindicata reddit infamem transf. (Vide §. 273.) modis illicitis etc. n. Generosa viri probi calumniam passi moderatio non solum non minuit eius existimationem apud prudentes; verum etiam auget, quam contra impotens vindicta pessumdat. Porro stultorum deliria negligenda sunt. §. 362. Denique non desunt idonea reparandae famae ac honoris praesidia. Ibidem et ex continuo dicendis. Ad III. n. a. Nemo prudens te, quisquis talia quereris, pro ignaui habere potest, si contesteris, naturalium te, diuinarum atque humanarum Legum religione impediri, quo minus acceptes duellum; ceterum ad latus arma gerere, virumque aduersus quoscunque iniquos aggressores nunquam non futurum. Horum vero existimationis ratio habenda est, non improborum, qui, qualescunque demum gradu, certe stulti sunt. Quid enim, amabo, si pessimae frugis homines te pro fungo sint exhibilaturi, nisi flagitia, nescio quae, illis placitura patrare audeas? ideone, quod exigunt, facere licebit? Pluris ergo facienda sunt iudicia prudentum, qui acceptato duello non possunt non te pro homine impio habere. Deinde contra illos, qui tuum consortium inique detrectant, et de munere sustentationis necessariae prouentibus deiicere improbitate sua conantur, prouocandum est ad summos Magistratus, e quorum Legibus hactenus rogatis satis patet, vix futurum esse statum adeo corruptum, vt iste etiam recursus sit interclusus, aut irritus. Denique si neque istud suppetat praesidium, omnia ante, quam mala facienda sunt;

vrget quippe Praeceptum negatiuum de non occi-
 dendo, mutilandoque, sine auctoritate et arbitrio
 illius, qui solus est vitae ac membrorum Domi-
 nus, quod semper et omni casu obligare patet ex
 §. 230. in huius enim iura inuolare semper in ip-
 sius cedit ignominiam: Neque sane Magistratus
 ciuilis a Deo potestatem accepit, talia permitten-
 di, vnde frustra ad eius conuiuentiam in istius
 generis *vindicta* magis, eaque *priuata*, et hoc
 ipso *illicita*, quam *defensione* prouocatur; aut certe
 sequetur cum maxima Reipublicae perturbatione,
 contra quemcunque famae aggressorem toties lici-
 tam esse defensionem violentam, quoties laeso vi-
 sum fuerit, sibi a Magistratu iustitiae administra-
 tionem negatam fuisse. Merito itaque ista omnia
 Duelli effugia damnatione sua confixit anno 1752.
 Benedictus XIV. PP. Denique erit profecto alibi,
 qui strenuum admittere Nobilem, vel militem non
 grauabitur. Ex his autem patet simul responsio
 ad IV. Ad V. *dist. maior.* vbi *nullus omnino* patet
 recursus, homo restituitur in statum naturalis li-
 bertatis; *conc.* vbi *efficax* non patet; *n. maior. et*
sic, dist. min. conf. Homo ex dicendis *de off. ciuili-*
bus se libertate naturali propter *finem ciuitatis*, id
 est propter *felicitem securitate muniendam* abdicauit;
 hinc in statum huius libertatis non restitui-
 tur, nisi hoc ipse ille finis exigat. Finis autem
 ciuitatis exigit quidem, vt in illum statum defen-
 sionis gratia restituamur, quando *nullus omnino*
 patet *recursus* ad Magistratum, quia nisi in hoc ca-
 su se defendere etiam violenter liceret, felicitas
 ab improbis ne quidem in media societate ciuili
 satis esset segura: At vero finis ciuitatis minime
 exigit, vt homines in statum libertatis restituan-
 tur, quando recursus quidem patet, sed *per acci-*
dens non est *efficax*, quia iustitia denegatur. Imo
 si etiam pro hoc casu pristina rediret libertas, *finis*
ciuitatis ne quidem posset obtineri; quum enim
 homines amore proprio seducti facile sibi etiam
 falso persuadeant, se immerito fuisse oppressos,
 iam tota ciuitas, omni securitate sublata, tumultu-
 tibus,

tibus, priuatorum, seditionibus ac latrociniis agitaretur illorum, qui sibi ipsis negatam iustitiam administrare vellent. Igitur licet in vno vel altero casu, v. g. *conuiuendo circa duellum*, aperte iustitia denegetur, et propterea innocens etiam de bonis ad sustentationem vitae ac status necessariis periclitari debeat; non potest tamen illius *bonum priuatum bono publico ciuitatis* de quo heic agitur, praeualere, vti iterum *in officiis chilibus* offendetur. Ad VI. *Disparitas* est, quia bellum, vti suo dicitur loco, medium est necessarium ad dirimendas summorum Principum lites, qui superiorem in terris non agnoscunt; atque hinc aliud praesidium non habent ad sua, vel creditae ipsis Reipublicae iura seruanda, tuenda, vindicanda, aut recuperanda: contra illi, qui priuati priuatum suscipiunt duellum, habent Magistratum superiorem, cuius ope haec ipsa praestare possunt, adeoque etiam debent. Ceterum ex sapientissimorum Belliducum testimonio quo quisque ad duella offerenda est procliuior; hoc fere in iustis praeliis solet esse ignauior; et aliunde etiam ad oculum patet, quantum vtraque haec bellandi methodus hominibus aenico aetate, atque vsu discrepet. Quin cordatissimus quisque et strenuissimus ea quam maxime fugit stipendia, vbi honor et vita a rixosi cuiuslibet effreni licentia contra omnes naturales, diuinas atque humanas Leges quotidie periclitantur.





CAPUT II.
DE OFFICIIS OECONOMICIS.

SECTIO I.
DOGMATICA.

ARTICULUS I.

DE OFFICIIS OECONOMICIS IN GE-
NERE, ET PHILETICIS
IN SPECIE.

§. 367.

TAles nos creauit Deus, vt aliorum ope *carere non possimus*; §. 275. Inde quum non minus, quam ex *naturae aequalitate* amoris mutui officia oriantur; *ibid.* ea tamen est hominum corruptio, ac malitia, vt satis certam in illorum promiscuo amore, et auxilio fiduciam ponere haud possimus: Itaque maior quorundam *perfectio*, et a tali corruptione *integritas* primum quidem efficacissime inuitat; deinde ipsa etiam *naturae necessitas* nos compellit, vt praeter communem socialitatem eiusmodi nobis homines singulari quodam societatis, amorisque vinculo adstringamus; et haec eadem ratio *officiis naturalibus conuatis* superaddidit *aduentitia*, fini cuiuslibet talis *societatis*, siue *status* commensurata §. 233. Horum autem complexio *Ius Gentium* appellatur, deinceps explicandum, quodque nihil est aliud, quam *Ius naturae dirigens actiones hominum in societate existentium*; namque *Ius inter Gentes* libere, solisque introductum moribus ne quidem ita commune est vniuerso generi humano, vt propria significatione *vniversale quoddam Ius Gentium* appellari mereatur.

§. 368.

Societas heic nobis nihil est aliud, quam *consensus duorum aut plurium in eundem finem, ac eadem*

dem media ad finem obtinendum necessaria: quum igitur status moralis sit conditio faciens ut homo, quatenus est in hoc mundo hoc, vel alio modo positus, his etiam, vel illis obligetur Legibus §. 231. sequitur, quod status socialis in genere sit conditio hominem obligans ad Leges, siue officia, §. 228. et 229. quae ad finem societatis, in quam consensit, obtinendum sunt necessaria. Porro quemadmodum ex Definitione societatis collata cum definitione Pacti §. 313. patet, quod tali quodam pacto omnis societas nitatur, ita etiam ex dicendis manifestum fiet, *consensum mutuum*, qui vtriusque definitionem ingreditur, officii singularum societatum veluti pro fundamento substratum esse, eumque semper aut *expressum* haberi, aut *tacitum*, aut saltem iure meritissimo *praesumi*.

§. 369.

Sicut autem natura fere a *simplicioribus* solet ad magis *composita* et vastiora progredi: ita etiam homines a minoribus et simplicioribus societatibus ad maiores et magis compositas venisse videntur; idque tanto est credibilius, quod *pauciores* facilius in eundem *conspirare finem* soleant, quam *multi*. Itaque hoc ordine *societates minores* (de istis quippe nunc solis agimus) se inuicem in hoc *corruptionis statu*, secundum quem Ius naturae metiendum est, *Prol.* §. 16. consecutas esse existimamus: Inprimis homo hominum sibi quorundam peculiariter voluit amorem, ac in necessitate fauorem deuincire; §. 367. et inde nata est ultra communem omnium hominum *socialitatem*, vniuersalis amicitiae amore nixam §. 276. *societas particularis, et arctioris amicitiae*, quae *philetica* dicitur. Hac semel constituta nihil fuit pronius, quam ut homo generis sui conseruationi, ac speciei propagationi naturaliter, et secundum instinctum a Conditore inditum intentus ex hominibus iam ante ad amicitiae societatem adlectis potius, quam ex ignotis hominem diuersi sexus eiusdem finis gratia sibi intimae amicitiae ac angustioris societatis arctissima

vinculo copularet; ex quo altera iam societas, *coniugalis* nimirum, seu *gamica* cum officiis suis profecta est. Haec, quum suamet natura non vti- que ad procreandos tantum liberos, verum etiam eosdem ita educandos ordinetur, vt et ipsi congruentibus humanae naturae perfectionibus potiantur, et in vtilia societatis humanae, siue rationalis membra succrescant; non potuit quidem non tertiam *societatis parentalis* speciem parturire mutua parentum ac liberorum officia dirigentis. Verum enim nunc mors, nunc alia causa impedit, quo minus ipsi parentes liberorum educationi inuigilare possint; aliis ergo relinqui saepenumero debuit, et quarto societas *quasi parentalis*, itemque *magistralis*, siue *Paedeutica* superioribus adiungi. Denique familia multiplicata sobole accrescens et aucta coepit famulis indigere administris ad prudentem, sedulam, ac fidelem rei familiaris curam; et haec tandem superaddidit societatem *quaestuariam* siue *kteticam* inter *Patres et matres, filios et filias familias, famulosque ac familiares* etc. quae vltima deinceps saltem ex parte, secundum dicenda suo loco, in *herilem*, seu *despoticam* inter *Dominos et seruos* degenerauit. En tibi *originem societatum minorum*, ad quas reliquae facile reducuntur. *Oeconomicae* porro, ab *oikos* *domus*, recte vocantur, quia omnes eiusdem *domus*, ac familiae parietibus possunt contineri.

§. 370.

Neque vero nostra de origine oeconomicarum societatum coniectura, quae genus humanum factis iam *multiplicatum*, et peccato originis *corruptum* supponit, sacrae propterea historiae repugnat: licet enim Adamus in illo integritatis et solitudinis statu, nec ab aliorum sibi hominum malitiis debuerit timere; (*vide* §. 367.) neque etiam amicum peculiarem, aut vxorem ex pluribus seligere hominibus potuerit: Tamen is ipse *singularis amicitiae* affectum amore, quem omnibus communiter posteris debebat, multo maiorem velut pro
sun-

fundamento primae conjugalis societatis posuisse satis manifesteprehenditur Gen. 2, 23, et 24. Reliquas vero societatis oeconomicae species ordine a nobis recensito se inuicem deinceps confectas esse aliunde in aprico est.

§. 371.

Ex hactenus dictis colliges I. societatem phileticam seu amicitiae esse fundamentum omnium reliquarum; Huic quippe superaedificantur §. 369. eoque fundamento tanto magis opus habent, quanto minus sine tali amicitia, aut aliquo saltem eius gradu exspectari satis certa cum fiducia sincerum obsequium, adeoque finis istarum societatum obtineri posset. II. Societatem oeconomicam generaliter spectatam recte definiri statum addentitium §. 233. hominis, quo duo aut plures inuicem ad priuata quaelibet commoda persequenda coniunguntur. III. Naturam officii oeconomici rite explicari, si dicatur, quod sit actio vel omisio moralis ex praescripto legis naturalis ab homine, ut est pars societatis alicuius oeconomicae, comparti debita. His praemissis

§. 372.

Prima inter societates oeconomicas, §. 369. et reliquis pro fundamento substrata §. praec. et philetica, quae recte dicitur societas priuata paucorum, qua per amorem beneuolentiae mutuum, et manifestum homo homini bonum cupit. Dicitur I. Societas, quae scilicet consensu nititur, §. 368. qui fere satis expressus est in amicitia, quae ex libera electione profecta merito aduentitia vocatur; tacitus autem in amicitia, quae ex naturae instinctu originem trahens rite connata appellatur, semper recte praesumitur, quoniam ab ipsa Lege naturali praecipitur, et vrgetur. Idem porro consensus, quum procul dubio debeat esse actus saltem virtualiter, aut praesumptiue humanus, et moralis; a nozione societatis phileticae excludit sympathiam illam, siue sensualem inter quosdam amandi propensionem, in qua, si sola spectatur, moralitatis principia

cipia per se deficiunt. Dicitur II. *privata paucorum*, per quod societas *philetica* differt a civili tum ex parte *finis*, pro quo ista habet bonum *publicum*; illa bonum amici *privatum*; tum ex parte *subiecti*; in ciuitate enim *plures* ad societatem requiruntur; nostra autem oeconomica amicitia ex infra dicendis non nisi *paucos* quin subinde tantum *geminos* admittit. Dicitur III. *per amorem beneuolentiae*, quibus quidem verbis a genuina amicitiae notione excluditur *amicitia falsa*, quae non nisi propriam vtilitatem spectat, *sui* magis quam *alterius* amans; quamuis enim amicitia sit propriae necessitatis causa introducta: §. 367. et 369. tamen eius finis obtineri nequit sine amore mutuo, eodemque sincero, ac vere beneuolo. Dicitur IV. *mutuum, et manifestum*. Et ipsa quidem *societatis* natura amorem *mutuum* poscit: §. 368. *manifestus* autem esse debet, quia beneuolentia in solo *affectu* sine *effectu* ad affectionem finis, quem amicitia propositum habet, §. 367. et 369. minime sufficit: quare opus est *communione bonorum*, et quidem tali, qualem finis amicitiae in genere, et cuiuslibet societatis, quae illi velut superaedificatur, §. 377. in specie requirit. Dicitur denique V. *homo homini bonum cupit*. Boni autem nomine procul dubio intelligitur *bonum verum*, seu quod saltem mediate ad *finem ultimum* tendit, adeoque simul est *bonum morale*, ex dictis suo loco: quum autem ipse finis amicitiae sine constanti et firma eiusmodi beneuolentia obtineri nequeat, et ista firmitas dicat *habitum*, qui in actibus moraliter bonis *virtus* vocatur, vti ostensum est in ipso Aretologiae principio: sequitur, quod ipsa amicitia sit *virtus*, quodque adeo ea sola amicitia sit vera, quae pro scopo *honestatem virtutis* habet.

§. 373.

Ex natura amicitiae hactenus explicata pronouunt alueo eiusdem societatis *officia*, sine praeccepta, quae alia sunt pro *inuenenda*; alia pro *colenda*; alia pro *dissoluenda* amicitia.

§. 374.

§. 374.

In amicitis comparandis ea est, vti recte monet Tullius, (a) adhibenda diligentia, vt ne quando amare incipiamus eum, quem aliquando odisse possemus. (b) Quonam enim modo quisquam amicus esse poterit, cui se putabit inimicum esse posse? (c) Quocirca, — quum iudicaueris, diligere oportet; non quum dilexeris, iudicare. In delectu autem faciendo attendendi praecipue mores; deinde indoles, ac fidelitatis spes, quarum nimirum ex defectu rerum illae potissimum oriri solent offensiones, propter quas temere suscepta amicitia disrumpitur. Ex primo capite nunquam admittendi flagitiosi. Virtutum amicitia adiutrix a natura data est, non vitiorum comes. (d) §. 372. et quum eadem sit voluntatum consensio, vti ex definitione satis patet: *ibid.* tum certe, quos pares nondum inuenit, continuo faciet. Ex secundo capite, non nisi magna cum cautela iungere amicitiam oportet cum hominibus indolis aut nimium difficilis, quales saepe numero sunt senes; aut ambitiosae, vti praepotentes; aut leuis, quemadmodum fieri amat in illis, qui nondum matura pollent aetate; aut rixosae, veluti iracundi; aut denique auarae, vt Eycliones. Ex tertio capite fugiendi garruli, parasiti, bibuli, adulatores, et cum sordida luctantes egestate; humiles plerumque, viles, atque etiam venales animae. Rimas isti omni ex parte habent, effluet quidquid secretorum in illorum sinum infuderis: quo igitur pacto amicitia cum iisdem poterit perdurare? Vides enimvero, quanta opus sit cau-

(a) in Laelio, 16. cuius libri integri lectionem merito DD. Auditoribus commendamus, ex quo etiam pleraque haec depromsimus.

(b) *Ibid.* paulo ante.

(c) *Ibid.* 22.

(d) *Ibid.*

cautione. *Ex omnibus saeculis, ait Cicero, (e) vix tria aut quatuor nominantur paria amicorum.*

§. 375.

In colenda amicitia I. *neque rogemus res turpes, nec faciamus rogati; (f) nam maximum ornamentum amicitiae tollit, qui ex ea tollit verecundiam; (g) Iamque supra ostensum est, virtutem esse vnicum genuinae vinculum amicitiae. §. 372: II. Ab amicis honesta petamus, amicorum causa honesta faciamus: ne expectemus quidem, dum rogemur. — — consilium vero dare gaudeamus libere: plurimum in amicitia amicorum bene suadentium valeat auctoritas; eaque et adhibeatur ad monendum non modo aperte, sed etiam acriter, si res postulat; et adhibitae pareatur. (h) Haec quippe omnia requirit amor verus benevolentiae. Ut autem et fiducia postulandi, et gratificandi studium, simulque admonendi auctoritas roboretur, atque correctionis etiam temperetur severitas, accedat huc III. suauitas quaedam oportet sermonum, atque morum, haudquaquam mediocriter condimentum amicitiae, (i) modo non in importunas ac pueriles degeneret nugas. Sed ad eundem plane finem IV. maximum est in amicitia, superiorem parem esse inferiori; (l) Quippe sicut amicitia exigit communionem bonorum fini suo congruentem §. 372. IV. ita fructus ingenii, et virtutis, omnisque praestantiae tum maximus capitur, quum in proximum quemque confertur. (m) Ut igitur ii, qui sunt in amicitiae coniunctionisque necessitudine superiores exaequare se cum inferioribus debent: sic inferiores non dolere, se a suis aut ingenio, aut fortuna, aut dignitate*

- (e) *Ibid.* 4.
 (f) *Ibid.* 12.
 (g) *Ibid.* 22.
 (h) *Ibid.* 13.
 (i) *Ibid.* 18.
 (l) *Ibid.* 19.
 (m) *Ibid.*

tate superari. (n) Addendum eodem est. V. utne (amicis) criminibus aut inferendis delectetur, aut credat oblati: (o) illud benevolentia imperat toties inculcata; hoc charitas imperat, quae quod sibi non vult fieri, alteri facere cauet. §. 287. Reque vera, Nemo sine naevo; malevolorum autem maxima semper turba est, sed hoc ipso fide indigna.

§. 376.

Dissoluenda amicitia nunquam est, nisi propter conclamata in amico flagitiorum improbitatem: namque alia praeter vitium mala, quin ipsa etiam quae omnibus malis physicis multo magis nocent, vitia, quamdiu sunt sanabilia, opem, non fugam amici ex huius societatis natura, regulis, ac sine requirunt. §§. 369. 372. 375. Interim tamen erumpunt saepe vitia amicorum cum in ipsos amicos, tum in alienos; quorum tamen ad amicos redundet infamia. Tales igitur amicitiae (quoniam magis propria diligenda fama est, quam aliena, §. 284.) sunt remissione vsus eluendae, et dissuendae magis, quam discindendae; nisi quaedam admodum intolerabilis iniuria, (ad Dei praeprimis contumeliam, aut propriae periculum peruersionis redundans) exarserit, ut neque rectum, neque honestum sit, neque fieri possit, ut non statim alienatio, disiunctioque facienda sit. (p) Non enim vel amare improbos quisquam debet, vel par esse, ac similis malorum, recte ait Aristoteles. (q) Ceterum eodem Philosopho monente etiam in hoc casu, ut amicis potius gratificari putamus oportere, quam exteris: sic veteri amicitiae aliquid tribuendum est. (r) Hinc noster etiam ait: (s) Si ex tali distractione iurgia, maledicta,

P 2

- (n) Ibid. 20.
- (o) Ibid. 18.
- (p) Ibid. 21.
- (q) L. 9. Eth. 3.
- (r) Ibid. ad finem.
- (s) Cic. in Laelio, 27.

dicta, contumelliae gignuntur; — tamen si tolerabiles erunt, ferendae sunt; et hic honos veteri amicitiae tribuendus, ut is in culpa sit, qui faciat, non qui patitur iniuriam. Apage ergo illos, qui rupto quomodolibet coniunctionis phileticae vinculo fas putant, pristina omnia secreta temerare.

ARTICULUS II.

DE OFFICIIS SOCIETATIS CONIUGALIS, SEU GAMICAE.

§. 377.

Ea, quae §§. 367. 368. et 369. de natura et origine societatum diximus, satis manifestum reddunt *coniugium* recte definiri, quod fit *societas priuata personarum diuersi sexus duarum, procreandae et educandae sobolis causa inita*. Haec tria tantum iterato sunt inculcanda et nonnihil amplius declaranda. I. quod quemadmodum amor ille vniuersalis inter homines inuicem debitus simul *naturae aequalitate* nititur, simulque *necessitate singularum* §. 275. ita etiam *societas singularis amicitiae in amore amicitiae generali* fundetur, §. 367. et vltius *societas particularis amicitiae, siue philetica* pro fundamento non solum seruiat *omnibus aliis societatibus*, praecipue *oeconomicis*, §. 371. sed praecipue *Gamicae*, quae est veluti *flos praestantissimus ipsius societatis phileticae*, uti facile patet ex dictis §. 369. et magis adhuc ex fine *Conditoris*, declarato illis verbis *Genesis: Non est bonum hominem esse solum, faciamus ei adiutorium simile sibi.* (t) II. Quod haec societas ex fine *conditoris* iam per se necessaria ad *propagationem et multiplicationem generis humani*, §. 369. magis adhuc coeperit esse necessaria ad eiusdem generis *conservationem*, postquam dira mortis *Lex* in orbem intromissa ad omnes pertransiuit; tunc quippe *vnus aevi et aetatis futurum fuisset genus humanum,*

(t) c. 2. 18.

num, nisi rei vxoriae operam dedissent mortales, vt sic alii aliis subnascerentur. Quamuis vero ex hoc satis constet, societatem gamicam pro fine extrinseco et remoto habere *bonum totius humani generis*: istud tamen non obstat, quin sit *societas priuata*, quia nimirum ex fine intrinseco, et proximo *ad singulorum utilitatem et felicitatem* ordinatur. III. Quod educandae prolis cura ad parentes ante omnes alios spectet. Id enim uero patet vel ex ipso tenerrimi amoris instinctu, quem Deus parentibus erga liberos impressit, et quem in ipsis adeo brutis animantibus animaduertere licet, nunquam foetuum suorum curam abiicientibus, donec victum ipsi quaerere, et se aduersus aliorum animalium iniurias defendere possint: Animantium ergo quum nemo fere imbecillior, opisque alienae indigentior homine nasci soleat; ea ipsa re Conditor satis declarauit, quam sollicitam sobolis suae curam hominibus hominis parentibus voluerit commendare.

§. 378.

Ex his sequitur I. *societatem gamicam* siue coniugium *fini* eiusdem conditoris omnino *conformem*, adeoque etiam, contra quam Manichaei olim delirabant, certissime *licitam*, atque *honestam* esse. II. Hanc societatem de se esse *aequalem*, siue *aequalium*; quia nimirum coniuges tanquam *pares*, et *eiusdem naturae homines* media ad communem societatis finem necessaria communi opera et consensu conferunt, atque conquirunt. III. *Ex natura et fine* coniugii omnia societatis gamicae officia esse deriuanda; hic autem quum sit *procreatio*, et *bona educatio prolis*: §. 369. ea etiam coniugibus *praecepta* censenda sunt, quae ad istum finem sunt necessaria; et contra *prohibita*, quae eidem repugnant. §. 368.

§. 379.

Igitur in primis quoniam coniugium est *societas*; §. 377. et quidem *intimae amicitiae*, *ibid.* et

arctissimi foederis a libera electione pendentis §. 369. omnis autem societas *pacto nititur*, §. 368. quod necessario vtriusque partis *consensum* requirit; §. 313. consequens est, vt coniugium, praesertim non qualicumque, sed *expresso, certoque* indigeat consensu, et vt quaecunque propter *defectum talis consensus*, aut *ex alio capite valori pactorum* obstant, ea etiam *irritum* faciant male attentatum coniugium: puta, *dolus, aut error dans causam praecipuam contractui*, §. 322. qualis maxime censendus est, si versetur circa ipsam personam, vt si Rachelem ducturo Lia obtrudatur. *Metus item grauis et iniustus*, §. 324. et a potiori, *violentia ad extorquendum consensum raptu* adhibita, etc. etc. *vide* §. 325.

§. 380.

Quia vero *consensus* in solum *finem*, non item in *media* haud sufficit ad constituendam *societatem*, §. 368. ideo requiritur ad coniugium *consensus praesens* in vtrumque: itaque *consensus* mere *futurus*, licet promissus, non facit coniugium, sed tantum *sponsalia*. Ceterum quum, vt quisque facile perspicit, magnopere intersit ad finem coniugii, vt consensus semel datus negari haud amplius possit: *publica nuptiarum solemnitas*, licet ad coniugii essentiam non sit absolute necessaria; sapienter tamen ab omnibus fere Gentibus introducta, et etiam Legibus posituiis, praecipue ecclesiasticis, fuit praecepta.

§. 381.

Coniugium est societas *procreandae, et educandae sobolis* causa inita: §. 377. igitur qui ad hunc finem sunt *inepti*, merito etiam a coniugio arcentur. Hinc ipsa quidem natura illos submouet, quibus procreandae prolis *habilitas physica* deest, quales sunt impuberes, spadones, impotentes.

§. 382.

Vtinam vero et Lycurgi instaurarentur **L**eges, qui teste Xenophonte (v) *potestate adempta, ne quivis uxores ducerent, quum ipsis lubitum esset, iussit, ut dum vigerent corpora, matrimonia contraherent, idque non minus ad rectam procreandirationem conducere putabat.* Atque hoc quidem merito obtinere deberet non tantum circa personas nimium iuvenes, qui cetera quidem rei **vxorisae** vtcunque, licet non sine perpetuo propriae **val**itudinis dispendio apti, ferendis tamen ceteris **con**iugii oneribus, et probae educationi impares sunt: Verum etiam circa effoeta iam senectute graues, atque inaequalia nimis inter senem et iuuenem **coniugia**: namque, quidquid horum fiat, vix alius inde poterit fructus sperari, quam turpissima impudicitia.

§. 383.

Ex his etiam satis patet, quam fuerit stulta, impudens et lasciuia Lutheri, ac quorundam illius sequacium temeritas, qui ex illis Geneseos verbis: *Crescite, et multiplicamini,* (w) itemque ex Apostoli exhortatione: *Propter fornicationem autem unusquisque suam uxorem habeat, et unaquaeque suum virum.* (x) praeceptum coniugii pro omnibus exculpere voluerunt, praefracte contententes, extra hanc societatem castimoniam seruatu impossibilem: et vel ideo coelibatum (illum maxime Clericorum et Monachorum votis confirmatum) omnino damnandum esse, ea etiam de causa reprobandum, quod coniugium ad generis humani conseruationem absolute sit necessarium. Verum enim satis adhuc propagationi mortalium fuit prouisum, etsi multi ad coniugium mentem haud appulerint; et porro etiam periculum a virgini-

P 4

(v) de Rep. Laced. c. 1, 6.

(w) Gen. 1, 28.

(x) 1. Cor. 7, 2.

ginitatis consilio timentibus recte semper responditur, quod S. Hieronymus Iouiniano reposuit: *Noli metuere, ne omnes sint virgines; difficilis res est virginitas, et ideo rara.* Deinde quum bona educatio non minus, quam procreatio liberorum coniugii finem constituat, §. 378. atque parum referat, vtrum sit idem in annos singulos liberorum prouentus; multum vero noceat societati humanae, si magno procreentur numero, quibus iusta tamen educatio sit defutura: non sane reprehendendus, sed rectae rationi et Iuri naturae quam maxime obsequutus fuisse censendus est, qui, quo minus speret, se huic fini satisfacturum, variis causis exclusus, castum male auspicato coniugio coelibatum anteferre maluerit. Hoc si ita se habet, vti nemo sanus dubitare potest: quidni etiam amore Dei, atque virtutis vitam coelibem coniugio praeferre licuerit? *Vide dicta §. 237. et 266.* Hoc autem castimoniae institutum ad sapientiae studium, et perfectiorem officiorum homini incumbentium obseruationem plurimum conferre, quamuis per se sit satis clarum; praeterea tamen non tantum a nostris Theologis centies demonstratum est; sed etiam diserte ab ipso Dei homine inculcatum, cuius castimoniam coniugio *Matth. 19.* aperte praeferentis veritati auctoritatem abrogare antea debent, qui adducta Geneseos verba ad praeceptum, quod omnes iuxta ac singulos obliget, detorquere voluerint. Illa autem Apostoli sententia et perperam, et impudenter profertur: namque ex antecedentibus simul est manifestissimum, Paulum Corinthiis neophitis ad libidinem adhuc ex publico et propudioso Veneris cultu in ea vrbe recepto, admodum pronis (quippe apud Suidam verbo *Cothys κοπιωδραζειν* idem est, ac *genio ac libidini seruire*) id consilium dare: non autem tanquam *praeceptum* imponere; simul ex consequentibus eidentissime patet, eundem Apostolum ipsam illam virginitatem, quam ex hoc loco Lutherus cum salacissimis quibusdam suis affectis damnare contendit validissimis prorsus sua-

suadere rationum momentis. Vbi ergo seruandae impossibilitas castimoniae? Nos quidem experientia de contrario certos facit; charitas autem et aequitas paria sperare de Protestantibus iubent, qui et ipsi saepe aut coelibatum proprio sectantur consilio, aut vxores ducere politicis haud raro prohibentur legibus, vti v. g. milites, famuli etc. aut etiam longo subinde tempore a coniugibus variis ex causis auelluntur. Enimvero hi tales, quum eadem constent natura, eadem indole, et carnis fragilitate, qua Clerici et Monachi: aut cessent ex solius impossibilitatis capite horum castimoniam in furtiuarum libidinum suspicionem adducere, aut se ipsos scortatores, moechosque profiteantur, necesse est.

§. 384.

Finis coniugii, vti saepe animaduersum, est *procreatio*, et *bona educatio* sobolis: igitur quum *Polyandria*, siue vnus feminae cum pluribus viris coniunctio (experientia a meretricibus sumpta) mulierum foecunditatem fere soleat hebetare; plerumque autem maximo cum educationis detrimento incertam reddat paternam prolis originem: non potest ea non Iuri naturae repugnare, adeoque *vxorum communitio*, quam in illa sua republica Plato commentus est, et Anabaptistae saec. XVI. iterum resuscitarunt, apud Gentes ceteras melius moratas merito fuit velut vno consensu reprobata.

§. 385.

Verum non perinde expeditum est, vtrum etiam *Polygynia*, siue vnus viri cum pluribus feminis coniunctio Legi naturae aduersetur. Namque paterna sobolis origo per istam dubia minime redditur; foecunditas vero coniugii, quae vnicae vxoris sterilitate toties impeditur, per polygyniam magno cum societatis prouentu, ac emolumento dilatatur. Deinde haud leue educationis adiumentum communi Patri in plurium coniugum solertia; et eidem communi marito promptum sane

aduersus vnus vxoris improbos mores solatiu in reliquarum morigera charitate paratum est. Quid, quod non solum in hodierno Orientalium populorum, sed etiam veterum SS. Patriarcharum exemplo validum habeat naturalis Polygyniae honestas praesidium? Ista sane rationum momenta satis sunt grauia, vt credamus Polygyniam non esse *intrinsece malam*, id est, eam non ita ex natura sua *fini hominis*, et coniugii repugnare, vt officio *perfecto negatiuo semper*, et *pro semper obligante*, §. 230. prohibita fuisse existimari possit.

§. 386.

Interim tamen quum in statu sociali adeoque etiam in coniugio *media ad finem necessaria* cadant sub *obligationem* atque sint *officia affirmatiua naturalia perfecta*: §. 368. et §. 378. *necessaria* autem *media* plane illa sint habenda, sine quorum praesidio finis *non satis commode*, atque etiam *difficiliter* obtinetur; porro eiusmodi medium ad ipsam arctissimam coniugii amicitiam tuendam §. 377. et ad bonam proles educationem absque vlla controuerfia sit *animorum consensio*, et *pax domestica*: consequens est, vt etiam *unitas coniugii* sub obligationem I. N. cadat; quippe sicut animorum consensio inter paucos haud nimis magno perstat negotio: ita discordia tanto vitatur difficilior, quanto est maior ac numerosior societas. At in coniugio nihil est procliuius, quam vt inuidia ac aemulatio plurium vxorum perpetuum bellis domesticis fomitem non sine grauissimo subministret conjugalis amicitiae, et bonae educationis detrimento; vti quidem ex ipsa veteris Testamenti, ac orientalium Gentium historia satis docemur; ex qua etiam patet, Polygyniam haud raro cum plurium vxorum sterilitate coniunctam haud sane in tantum redundare societatis humanae commo- dum, vt propterea a communibus Iuris naturae principiis recedendum sit. Praeterea saepius euenire solet, vt pro vna immorigera muliere quis solatii loco omnes tres furias domum ducat. Ex

his

his omnibus porro satis patet, unitatem coniugii esse officium perfectum affirmatiuum Iuris naturae, adeoque etiam Polygyniam, licet non primario, id est tanquam *intrinsece malam*; secundario tamen, siue tanquam *non satis conuenientem* cum fine coniugii, prohibitam esse *extra casum necessitatis* talem, in quo Deus Legis naturalis conditor dispensat; hoc autem fieri posse inde patet, quod licet unitas coniugii sit eius fini semper conformis, et hinc de se necessario bona, non tamen *semper et pro semper*, utpote officium mere affirmatiuum obliget; §. 230. et a contrario Polygynia non sit *semper et pro semper prohibita* §. praec. adeoque eius etiam prohibitio non spectet ad Ius naturae immutabile §. 95. et 101. Porro autem talem dispensationem etiam cum SS. Patriarchis propter necessariam populi electi propagationem factam fuisse, iure optimo asseueratur.

§. 387.

Similis fere est quaestio, utrum Iure naturae certi quidam *propinquitatis gradus* coniugio obstant? Et certe inter *Ascendentes*, et *Descendentes* coniugium talem inducit *confusionem respectuum, et obligationum*, (v. g. filiam uxorem patri tantum non *exaequando*, aut quod deterius est, filio marito matrem coniugem *subiiciendo* etc. uti patebit ex dicendis infra *de officiis coniugum*) qualis se inuicem euertere, et in vna eademque persona sibi met contradicere prorsus videtur; ut igitur eiusmodi coniunctio, quamvis procreationem non impediatur; tamen bonae educationis spem fere omnem tollat, atque adeo contra Thomasium, et quosdam alios Iuri naturae penitus aduersa merito habeatur. Atque ista quidem ratio Angelici Doctoris (y) omnium, quae passim afferri solent, multo est validissima, et in ipso rationalis naturae instinctu fundata, quem caeca etiam Gentilitas agnuit, passim detestata nefarium Persarum et
pau-

pau arum quarumdam gentium barbararum morem, quo eiusmodi nuptiae probabantur; vnde praeter multos alios Ouidius (2) Myrrham ita loquentem inducit:

Nec quot confundas et iura et nomina sentis?

Tunc eris et Matris pellex, et adultera Patris?

Tunc Soror Nati, Genitrixque vocabere fratris?

Ex quibus etiam patet, inepte argumentum duci ab animalibus proprios parentes cognoscere solitis; neque enim apud bruta ratione carentia tales habentur *respectus et obligationes*; sed nec simile vrget *educationis officium*.

§. 388.

Inter fratres autem et sorores si in mundi primordiis coniugia firmata non fuissent, ne propagari quidem potuisset genus humanum: ex quo necessario sequitur, eiusmodi connubia, et multo magis quae in *remotioribus propinquorum collateralium gradibus* contrahuntur, *intentioni Conditoris*, adeoque etiam *Iuri naturae simpliciter* non repugnare, neque *intrinsece mala esse*. Et re quidem vera talis in hisce coniugiis, tantaque obligationum ac respectuum confusio haud deprehenditur. Quia tamen haec ipsa non penitus euitatur, si eadem sit *soror et uxor*; saltem *secundario* (vti supra §. 386. de *Polygynia* diximus) et extra summae casum necessitatis eadem a Natura rationali improbari coniugia multo est probabilissimum. Quidquid autem de hoc sit, *Iure certe diuino*, vt S. Thomas aduertit, (1) seuerissime et merito prohibentur coniugia inter personas, quas ob arctiorem sanguinis nexum fere oportet *simul conuersari, et quae hac ipsa de causa debent inuicem alter alterius pudicitiam custodire*. In hac quippe hominum ad lasciuiam procliuitate *magnus concupiscen-*

(2) *Metamorph. L. 10, fab. 9.*

(1) *Loco citato.*

piſcentiae aditus praeberetur, niſi inter illas perſonas, quas oportet in eadem domo conuerſari, eſſet carnalis copula interdicta. Denique quum magno-
pere referat humanae ſocialitatis, quemadmodum iterum S. D. obſeruat, (2) amicitiae foedera inter homines non reſtringi, ſed extendi, ac multiplicari: Legibus quoque humanis tum eccleſiaſticis, tum ciuilibus plures conſanguinitatis gradus merito a matrimonio ſunt ſeparati.

§. 389.

Finis coniugii eſt *proba liberorum educatio* §. 378. longi enim uero, ut quiſque nouit, temporis opus: huic uero peſſime conſultum foret per *diuortiorum* (quamuis paſſim apud varias Gentes permiſſa legantur) licentiam; Imo ex arbitraria coniugum ad nouas nuptias ſeceſſione ipſa etiam paterna proliſ origo ſaepenumero redderetur incerta; Praeterea ſeparationis huius facultas tepori mutui amoris, infinitis familiarum diſcordiis, atque innumeris etiam Reipublicae perturbationibus ianuam patefaceret laxiſſimam: igitur *Indiſſolubilitas coniugii* ex Iure naturae, et ipſa huius ſocietatis natura deſcendit. Neque de hoc vlla iam ratione dubitari poteſt, poſtquam Chriſtus *Matth. 19.* tam diſſerte pronuntiauit, *Libellum repudii*, Iudaeis a Moyſe non niſi *propter cordis illorum duriſſimam* permiſſum fuiſſe, *ab initio* autem non fuiſſe ſic; ſed Conditorem, qui maſculum et feminam tum creauit, ſimul uoluiſſe, ut homo *adhaereret* uxori ſuae, et eſſent *duo in carne una*; quare quod *Deus coniunxit*, ab homine ſeparari non poſſe; reuocare ſe propterea coniugium ad priſtinae perfectionis dignitatem, et ſublata veteris Legis indulgentia pro *Moechis et adulteris* declarare, quicumque uiua prima uxore ad nouas conuolarent nuptias. Porro nobis etiam non monentibus quiſque animaduertet, iſtud Chriſti oraculum a fortiori pugnare contra Polygyniam. §. 386. ut
adeo

(a) *Loc. cit.*

adeo in illa hodie nulla praesumi possit diuina dispensatio, qualem olim Lutherus cum suis in gratiam Philippi Landgrauii Hassiae comminisci non dubitauit.

§. 390.

Quia tamen ista coniugii indissolubilitas praecipue nititur bona proles educatione, §. praec. cui absolute loquendo aliter prouideri potest, et subinde etiam propter alterius coniugis improbitatem vel aliud periculum prouideri debet: recte hinc inferri videtur. I. Hanc etiam naturae Legem esse non nisi *secundariam* (vide dicta §. 386.) adeoque in illa potuisse olim Deum dispensare cum Iudaeis, eundemque, licet ob duritiam cordis illorum; tamen ad praecauenda maiora mala, vxoricidia, adulteria etc. re ipsa per Moysen dispensasse, vt non quidem *quacunq; ex causa*, quemadmodum Pharisei interpretabantur, *Matth. 19.* sed propter rationes a Moysse, *Deut. 24.* assignatas sine grauiore saltem mentis reatu vxori dimissae nouam superinducere possent. II. Adhuc hodie fieri posse *diuortia quoad solum torum, et cohabitacionem*; si tamen et auctoritate publica, et grauissima causa, quae aut fociis, aut societatis fini, nimirum procreationi, vel educationi proles periculum physicum aut morale arcessat, muniantur. Verum de his plura Theologi, ad quos etiam spectat pluribus demonstrare, ne adulterii quidem crimine vinculum coniugale ita disrumpi, vt ad nouas liceat nuptias conuolare.

§. 391.

Hactenus de *natura ipsius societatis gamicae* egimus: nunc etiam explicanda sunt *officia mutua sociorum, siue coniugum*. Ista in genere loquendo sunt eadem, quae obtinent in *societate philetica*, et a nobis *Art. praec.* exposita fuerunt. Quippe initio monuimus, ostendimusque, societatem gamicam in philetica ita fundari, vt coniugium pro perfectissimo *amicitiae gradu omnino habendum sit,*

fit, §. 377. ex quo plane sequitur, coniuges ad implenda officia philetica prae omnibus aliis adstringi. Peculiariorum autem huius societatis officia commode diuidi possunt I. in communia utriusque coniugis, II. in specialia Mariti, et III. in specialia uxoris officia.

§. 392.

Officia communia coniugum ad tria iterum reducuntur capita, quorum I. est amor, II. fides, III. mutuum obsequium. Et quidem amorem tenerimum ac sincerissimum non modo ipsa natura societatis istius exigit, quae est flos praestantissimae amicitiae; §. 372. et 377. sed etiam finis eiusdem, qui sine concordia obtineri nequit: §. 386. atqui nec concordiam sine amore, uti quisque nouit, sperare licet. Ceterum fit amor iste solidus, non iuuenilis, non ineptus; personam coniugis coniux amet, non fragilem fortunam, non fluxam labilis formae illecebras; haec enim qui sola respicit, non sane coniugem amat, sed ea quae sunt coniugis, odio locum facturum; quamprimum samenta ista praecipitem pectoris flammam deseruerint. Eadem societatis coniugalitatis natura, idemque finis fidem requirunt integerrimum: Quam enim per eam copulentur coniuges procreandum educandorumque liberorum causa; etiam ius corporis alter alteri tradat oportet, in quo compartem laedere nefas; §. 328. adeoque fidem datam semper iniolatam seruare necesse est. Hinc sequitur necessitas cohabitationis, et obligatio strictissima, usum corporis nemini prorsus alteri praebendi, quod officium non solum inuita urget comparte, cui per hoc iniuria fit longe grauissima; sed eius est naturae, ut neque a comparte remitti possit, quoniam usus corporis nunquam alteri concedi potest, quin sequatur aliquid in ipsius societatis detrimentum vergens, imminutio amoris, periculum tollendae concordiae, discrimen bonae educationis, incertitudo prolis etc. Denique sine obsequio mutuo, eodemque promptissimo, ac sincerissimo iterum, ut quis-

quisque nullo negotio perspicit, neque societas ista feliciter perstare potest, neque eius finis efficaciter obtineri.

§. 393.

Officia specialia mariti tribus pariter absoluntur rebus I. *Gubernatione*, II. *sustentatione*, III. *defensione uxoris*: Quamvis enim coniugium sit *societas aequalium*, §. 378. eiusdem tamen bono parum sane consultum foret, si, vbi inter duas personas dissensione orta ne numerus quidem suffragiorum vincere posset, rerum gerendarum ac decernendarum potestas penes alterutram partem non esset: quod si autem haec vni coniugum tribuenda est, tum certe illi, cui maioris fauet capacitatis praesumptio, et cui aliunde negotia praecipua conficiendi onus ratione sexus incumbit: atqui et illa praesumptio stat pro marito, et etiam hoc onus non potest declinare: ergo etc. Vnde amazonica illa coniugia non immerito tanquam exotica, et naturae regulis aduersa irridentur, et saepe etiam propter funestos effectus deplorantur. Sed enim quia haec *gubernatio est in societate aequalium*, hoc ipso nunquam debet in *herile imperium degenerare*; hinc ius vitae, ac necis, aut venditionis, olim apud quasdam Gentes vsurpatum, repugnat Legi naturae: Vide tamen infra *de potestate parentali* §. 399. dicenda. Quamvis autem *castigatio uxoris pertinaciter immorigerae moderata*, et talis, vt non sexui minus, quam conditioni ac dignitati eiusdem accomodetur, in ipso gubernationis iure inuoluatur: haec tamen eadem, quamprimum iustos limites transilit, in proprium mariti dedecus non potest non redundare. Vnde facile patet, quam verum sit M. Aurelii Imperatoris documentum, ex cuius sententia *uxor monenda saepe, reprehendenda raro, violentis manibus tractanda nunquam*. Ceterum ea ipsa gubernationis praerogatiua, propter maiorem capacitatem, et rerum praesertim in publico agendarum auctoritatem marito *competens, etiam onus sustentandae*

pro

pro ratione status, ac defendendae contra iniquos bonorum quorumcunque aggressores vxoris curam *praecipuam* post se trahit; *praecipuam* dico, quoniam et illa propter mutuum, quod debet, obsequium §. *praec.* suam pro viribus et sexus verecundia symbolam conferre procul dubio tenetur.

§. 394.

Officia particularia vxoris consistunt I. in *obedientia erga maritum*, II. in *rei domesticae sedula ac fideli administratione*, illa fluit ex iure directionis maritalis §. *praec.* et hinc illius etiam naturam aemulatur: igitur quemadmodum *gubernatio* minime debet esse *despotica*; ita etiam *obedientia* non debetur seruilis, sed *liberatis*, ac *obsequiosa*. Porro autem *administratio* etc. sequitur tum *ex mutuo obsequio*, quod propter naturam et finem gamicae societatis coniuges sibi inuicem debent, §. 393. tam *ex indole sexus muliebris*, cuius verecundiae secundum omnium fere gentium consensum minime conuenit multum extra domum vagari.

§. 395.

Quamuis autem coniugium *de se* sit *societas aequalium*, §. 378. et propterea etiam humiliorem vxoris fortunam eleuare, ac cum mariti dignitate exaequare dicatur in Legibus ciuilibus (3) *ita, vt vxor coruscet radiis mariti*: quisque tamen ex hactenus dictis facile videt, hac ipsa aequalitate non tam prope attingi finem coniugii, ea vt non possit pacto, aliqua saltem ratione, immutari. Itaque reprobandum haud est matrimonium, quod Iureconsulti *ad Morganaticam* vocant, seu quando vir illustris ducit vxorem status minoris, ea conditione, vt illam quidem pro coniuge habeat perpetua, et tam eidem congruam sustentationem suppeditet, quam etiam liberis inde nascituris prae-

(3) L. 13. C. de dignit.

praeter probam educationem iustam aliquam haereditatis portionem provideat; ceterum autem et uxorem simul, et liberos exclusos velit a praerogatiuis proprii status, et successione in suasmet dignitates etc. Quod idem dicendum de coniugiis, quae subinde feminae illustres, v. g. Reginae, Principes aequali fere Lege ineunt cum viro minoris conditionis, aut etiam cum subdito, quem ceteroquin ex subiectorum numero eximere, aut certe sibi exaequari nolunt.

ARTICULUS III.

DE OFFICIIS PARENTALIS, QUASI PARENTALIS, ET PAEDEUTICAE SOCIETATIS.

§. 396.

Ex coniugio procreantur *liberi*. Horum *educatio*, et quidem talis, qua et congruentibus humanae naturae perfectionibus potiantur, et in vtilia societatis humanae membra succrescant, §. 369. quum Lege naturali *parentibus* ante omnes alios incumbat; §. 377. nouam hinc oriri *societatem parentalem* iam initio huius sectionis §. 369. obseruauimus; quae, quoniam iterum *primario* ad priuata illorum, qui consociantur, felicitatem refertur, et ipsa *simplex* est. *Vide dicta* §. 377. Ceterum sicuti Lex naturalis parentibus necessitatem imponit liberos educandi, vt nimirum quibus esse dederunt, etiam ad esse consequentia subministrent: ita sane eadem Lex parentibus *liberos subiiciat* oportet, quoniam absque tali subiiectione bonae educationis finis neuiquam potest obtineri.

§. 397.

Ex hoc sequitur I. societatem hanc esse *inaequalem* et *rectoriam*; quum enim educationem siue directionem liberorum inuoluat §. *praec.* et haec subsistere non possit sine *potestate* Parentum, et

subiectione liberorum, *ibid.* necessario est rectoria, et consequenter *inaequalis*, siue maiorum et minorum, imperantium et obedientium. II. Eandem societatem, ipsamque potestatem parentalem, quidquid contradicant aliqui, recte fundari in *mutuo consensu* parentum et liberorum. Namque quum iste *consensus* plane inuoluatur in notione omnis societatis: §. 368. tum nihil est necesse, ab illa heic velut violenter auelli; quippe *parentum consensus* fere adest *expressus*; et si qui etiam non quaerendorum causa liberorum, sed solius libidinis gratia commisceantur: hoc tamen medio vfi, etiam in id, quod inde sequitur, nimirum procreationem liberorum, illorumque educandi obligationem *consentire* tenentur, tanto magis, quod per violationem Legis naturalis, qualis est talis congressus, nemo se ab eiusdem Legis obligatione eximere possit: igitur *consensus*, quem negare licite nunquam possunt, recte *praesumitur*. Eodem modo res se habet cum *liberis*; licet enim isti prima aetate consentire ne quidem possint; et adultiores frena mordere saepius non vereantur: quia tamen ipsa Lex naturalis eosdem Parentibus in ordine ad educationem ita subiicit, vt hac se obligatione euoluere nunquam possint, §. *praec.* illorum etiam *consensus* iure optimo semper *praesumitur*, vel, si denique maui, consensus tum parentum discolorum, tum etiam liberorum ab ipsa Lege naturali *efficaciter suppletur*. Inde porro vltterius patet, absurdam prorsus, ineptam et ridiculam esse Hobbesii sententiam, ex *liberorum occupatione*, et nescio quo *victoriae iure* potestatem parentalem deriuantis. III. Ex positis hactenus principiis sequitur, societatem parentalem recte definiri quod sit *societas priuata, qua parentes liberis, et liberi parentibus educationis causa certis officiis adstringuntur*. Iam vero ex hac istius societatis natura ac indole eiusdem etiam officia sunt deriuanda, ita quidem, vt primum *parentum potestati* debitos limites praefigamus; deinde, quid *Parentes Liberis*, et denique quid *Liberi Parentibus debeant*, statuamus:

§. 398.

Potestas parental dimanat ex obligatione parentum ad liberos suos bene educandos : §. *praec.* ergo etiam ex eiusdem educationis *sine* aestimari debet, adeoque est *ius Parentibus competens ea omnia agendi, sine quibus liberi ad felicitatem homini congruentem pertingere, et in utilia societatis humanae membra succrescere non possent*: his namque geminis finibus bonae educationis ratio continetur : §. 396. Iam vero quum haec ipsa educatio sit etiam *finis societatis gamicæ*, §. 369. et 377. et consequenter ad illam procurandam vi sui status uterque coniux obligetur ; §. 368. finis autem iste *sine potestate in Liberos* obtineri nequeat ; §. *praec.* manifestissime patet, *Iure naturae eandem potestatem utrique parenti esse communem*, adeoque illam iure olim Romano *ad solum Patrem* invita natura fuisse restrictam ; quamvis hoc ipso, quod Mariti potiores sint partes in gubernatione rei familiaris, et ipsius vxoris directione ; §. 393. etiam a Liberis, orta circa imperia Parentum diffensione, maior sit paternae, quam maternae iustificationis ratio habenda.

§. 399.

Ex his principiis iterum *sequitur I. Procuracionem abortus*, meretriciis matribus saepe familiarum, ne *famae* (aliunde *vita* multo ignobilioris §. 284.) iacturam patiantur ; *expositionem aut abiectionem, desertionemque liberorum*, quam vna cum expulsiōne foetus circa debilitatos, aut nimiam numero suo educationis difficultatem faceffentes Aristoteles (4) admisit ; *Ius vitae ac necis in eisdem fontes liberos*, solo patriae potestatis Titulo (aliud enim est, si Parentes sint simul summi Magistratus) nixum, ac denique *facultatem illos alienatorum causa Parentum vendendi, aut eosdem noxae dandi* (quas res Romanae olim Leges permiserunt) ita

(4) *L. 7. Polis. 16.*

ita non competere Parentibus, vt Iuri naturae plane repugnent. Quippe potestas parental est ius ea agendi omnia, quae ad bonam educationem sunt necessaria: §. praec. sed ista profecto omnia bonae educationi, atque fini gemino ipsius coniugii §. 377. penitus aduersantur: ergo etc. Dixi tamen Ius vitae ac necis Parentibus non competere solo patriae potestatis titulo. Namque aliud est, si Parentes simul summum gerant Magistratum; vt Pater Princeps; aut si a summis Imperantibus permissio membrorum familiae eiusdem societatis Capitibus permittatur, quorsum spectant exempla ab illustri Cocceio in nouo systemate Iustitiae naturalis et Romanae L. 3. C. 4. Sect. 1. §. 148. et Sect. 2. §. 160. n. 3. allata; vel denique si hoc ius hominum in societate mere oeconomica constitutorum consensu, ipsis moribus declarato, ad capita familiae translatum fuerit ad communiendam contra facinorosorum improbitatem ipsius familiae felicitatem, atque securitatem; eodem fere modo, quo id in societate civili factum fuisse suo loco dicemus. Atque istius rei exemplum Scriptura Gen. 38, 24. suppeditat; vbi Iudas Patriarcha Thamarem nulum suam rogo addixit. Sed enim quum hac in re amplioribus oeconomicis societatibus ciuitates imitari placuerit: haud inde sequitur, ex ipsa societatum oeconomicarum natura ius istud vitae ac necis dimanare; stare enim absolute loquendo absque tali potestate possunt, saluo nimirum iure defensionis contra iniquos aggressores, facultate coercionis aduersus immorigeros, et potestate eiectionis e familia contra incorrigibiles; de quibus quidem iuribus aut iam loquuti sumus; aut adhuc suo loco loquemur.

§. 400.

Contra ea sequitur II. Parentibus competere ius liberis praescribendi, quae agere eos oporteat, vt ad congruentem humanae naturae felicitatem perueniant, et in vtilia societatis humanae membra succrescant; adeoque illos etiam, quae hisce

finibus obstant, *prohibere*, et, sine quo imperia effectum saepe carerent, *immorigeros* non solum *oburgationibus*, verum etiam *castigationibus* aetati, viribus ac statui commensuratis *coercere*, et ad *obedientiam compellere posse*. Haec namque omnia Potestas parentalis §. 398. aut aperte inuoluit, aut, vt quisque nullo perspicit negotio, necessaria consecutione post se trahit.

§. 401.

Colliges, istud directionis ius tanto se latius diffundere, quanto adhuc infirmius est liberorum iudicium; quum enim prima aetate vix vnquam, quid factu optimum sit, per se dignoscere possint infantes, ac pueri, puellaeque: tum enim vix omnes fere illorum actiones a parentibus gubernari necesse est. Quod si autem iidem magis adoleuerint, et firmiore coeperint esse iudicio, tunc auctoritate magis, ac rationibus sunt in officio continendi, quam intempestiua seueritate (nisi nimirum fuerint improbe contumaces) ad iracundiam prouocandi: quippe immodicus rigor ipsa teste experientia apud ingenuos animos neque necessarius est; et plerumque, pro eo vt luuet, etiam magnopere retrahit ab assequendo bonae educationis sine.

§. 402.

Sequitur III. Parentes eo ipso, quod moderata exercitatio virium tum corporis, tum animae non modo plurimum conducit; sed plane necessaria sit ad finem bonae educationis obtinendum; *posse Liberis suis certas pro illorum conditione, aetate, sexu etc. operas* siue in Litterarum studiis, siue in artibus liberalibus, aut etiam mechanicis collocandas *imperare, quin emolumenta quoque inde prouenientia percipere*; cuius posterioris ratio est, quod Liberi, qui suo velut iure (*ex infra dicendis*) victum et omnia necessaria a parentibus exigunt, hisce fructibus ac emolumentis ex vna parte non indigeant, quae tamen ipsa parentibus ad

ad educationem plerumque necessaria sunt; ex altera vero parte *socii*, quales sunt liberi in parentali societate §. 397. semper et ipsi, quantum possunt, suam ad communem finem obtinendum symbolum conferre teneantur. §. 368.

§. 403.

Sequitur IV. Quum Potestas parentalis, quatenus ad bonam educationem opus est, se extendat in ipsas *personas* et *actiones* liberorum §. 401. et 402. eo magis illam porrigi in eorum *res*, eatenus nimirum, vt quamdiu saltem incapaces sunt sanae administrationis bonorum, quae iisdem seu fortunae, seu aliorum beneficio obueniunt; haec ipsa spectet ad parentes; Imo quin isti etiam *fructus* inde prouenientes recte percipiant, minime dubitauerim; quum pro his eadem pugnet ratio, quae pro emolumentis laborum §. *praec.* ad Parentum vtilitatem relatis. Ceterum quomodo etiam *Proprietas* istius generis bonorum *iuris naturalis* vigore ad parentes trahi possit, plane non video: namque illud veterum Romanarum Legum principium, (5) *Liberos non secus, ac res inanimas in Parentum esse dominio*, falsum esse, satis patet ex iis, quae hactenus de parentali diximus potestate; et ad finem educationis debent certe Parentibus fructus huiusmodi bonorum sufficere, quandoquidem futuris etiam necessitatibus Liberorum ipsi suamet parsimonia per congruam haereditatem *ex infra dicendis*, prouidere tenentur; et hinc tanto minus aliunde affluentium opum alueum obstruere debent.

§. 404.

Officia mutua, quae Parentes liberis, liberi Parentibus debent, haud minus ex *fine* istius societatis dimanant, vt iam §. 397. et §. 368. de *statu sociali* monuimus. Igitur quum finis societatis pa-

Q 4

renta-

(5) *Vide de his Cl. Heinesii Antiquit. Rom. L. 20 Tit. 9. §. 1. et 2.*

rentalis sit *bona liberorum educatio*, vti patet ex eius definitione; §. 397. educationis vero curam Parentibus incumbere ipso illo *naturali amoris instinctu* illorum animis indito doceamur; §. 377. Parentibus porro non alius erga Liberos congruat amor, quam ille *benevolentiae*, siue quo entis inferioris perfectione ita laetamur, vt illam seruare, ac pro eius capacitate amplificare studeamus: §. 239. sequitur, nos recte bonam educationem illis circumscriptis finibus, vt studeant Parentes Liberos suos non solum ad felicitatem homini congruentem promouere; verum vt etiam ad id incumbant, quatenus in *utilia humanae societatis membra* succrescant; §. 398. vtrumque enim necessarium est ad illorum perfectionem, qui non tantum homines, et sibi solis; sed etiam aliis tanquam membra societatis nati sunt. In his duobus ergo velut cardinibus omnia etiam officia Parentum erga Liberos, voluuntur.

§. 405.

Iam vero geminus iste finis obtineri nulla ratione posset, nisi Parentes Liberos *vitalis integritati, sanitatique* omni, quo possunt, meliore modo prospicere conarentur. Quare neque dubitari potest, quin ad haec omnia tuenda, promouenda, et etiam a laesione pro viribus reparanda teneantur; et consequenter *victum* illis quoque et *vestitum*, quaeque praeterea ad vitam congrue, et pro suo statu commode traducendam necessaria sunt, subministrare debeant; quamuis quo facilius haec Liberis praebere valeant, illorum quoque opera, et fructibus bonorum aduentitiorum iure et recte vtantur. §. 402. et 403. Denique quum ne sic quidem educationis fini satisfaceret, nisi suo tempore Liberi statum denique sibi competentem amplecti, et in eo se ipsos seruare possent; ad hunc autem difficillime pertingant, nisi parentum opibus iuuentur: sequitur, istos plane obligari, vt liberos ad hanc quoque perfectionis suae, et felicitatis partem non solum quibus-

buscunque opportunis modis praeparent, atque promoucant; sed etiam rem domesticam ea sobrietate administrent, qua opitulante ex se genitis congruam haereditatem dare, vel relinquere possint.

§. 406.

Colliges excusari non posse matres, quae absque periculo grauis alicuius mali, sibi vel proli imminentis, commoditatis tantum, aut formae gratia suos lactare infantulos grauantur. Ipsa enim uero contra istas clamat natura, quae mox a partu hoc alimento tam largiter illarum uera implet, abunde ut sufficiat, donec solidioris proles capax sit cibi. Nihil ut dicam, quod saepe sanitatis, saepe malarum inclinationum labem cum auersione erga propriam matrem a uitiolis nutricibus fugant infantes.

§. 407.

Hactenus ea stabiliuimus Parentum officia, quibus obseruatis *commode uiuere* liberi possint: uerum enim ad *bene uiuendum*, uti praeclare ait Seneca, (6) *minima est portio uiuere*: igitur quum bene et sibi, et societati humanas uiuere sit praecipuus educationis finis, §. 404. et hunc parentes nisi animos liberorum diligenter excolendo assequi minime possint: consequens est, eosdem serio debere aditi, ut liberorum intellectus iam inde a teneris ueritatibus necessariis, illis maxime ad orthodoxam religionem, et morum integritatem spectantibus, illustretur, atque etiam scientiis, artibus, disciplinis capacitati illorum, ac conditioni congruentibus mature exornetur: neque minus solerter cauendum, ne noxiis sana ratio corrumpatur praeeudiciis. Parum autem prodest, nosse, quae bona sunt, nisi simul uoluntas ad eadem serio amanda et constanter amplectenda inducatur. Itaque soboles ad pietatis et uirtutis studium summa cum diligentia qua uerbis, qua exem-

(6) *L. 3. de Benef. 33.*

plis excitanda, et a vitiis, istorumque altrice voluptate reuocanda est. Incumbendum praeterea, ne otio torpescant liberi, nimiae educationis molitiae, quod saepe fit, et corporis et animi robur amittant. Ante omnia autem inuigilandum, vt ne vnquam iisdem illa morum pestis, prauorum pateant confortia; quin domi quoque, vt recte monet Iuuenalis, (7) *Maxima debetur puero reuerentia. Quare nil dictu foedum, visusque haec limina tangat, intra quae puer est; et ipsis quoque Parentibus, atque Domesticis peccaturis obsistat filius infans, neque quisquam illorum pueri contemserit annos.*

§. 408.

His plura non addimus; quippe, quae ad hominis spectent felicitatem, tum in *Eudomonologia*, tum *monastica* explicando officia satis superque exposuimus: quae autem ad rectam in societate viuendi rationem pertinent, et in hoc ipso capite sufficienter declarantur, et vberius exponentur suo loco *inter officia civilia*, quorsum compendii causa Lectorem remittimus. Ceterum illud etiam facile ad existimandum est, quidquid contra stabilita hactenus officia pugnat, id Parentibus Iure naturae necessario esse prohibitum; quum qui ad finem, et consequenter etiam ad ea agenda tenetur, quae finis consequendi gratia fieri debent, non possit non obligari ad ea omnia, quae finis assecutionem impediunt, omittenda.

§. 409.

Officiis Parentum illa *Liberorum* respondent; hos autem Parentibus Lege naturali *subiici* iam supra §. 396. monuimus. Ceterum quemadmodum *potestas Parentum ex obligatione educationis* descendit §. 397. et haec in *amore beneuolentiae* a natura parentum animis infuso fundatur: §. 377. et 404. ita eadem natura Liberos Parentibus non *seruili-ter*, sed per *amorem* subiicit, qui quidem, quoniam Liberi

(7) Sat. 14.

Liberi Parentes non possunt non secundum Deum tanquam *vitae suae originem*, et *datos ab auctore naturae bene viuendi Magistros*, adeoque tanquam *Superiores suspicere*, necessario est *amor deuotionis*, seu ille, quo *entis superioris perfectione ita laetamur*, ut *illud iusta ueneratione*, ac *digno obsequio prosequendum censeamus*. §. 239. Ut igitur *ueneratione debita*, et *competenti obsequio officia Liberosum erga Parentes contineantur*. Sed enim quum *ueneratio et obsequium in amore deuotionis pro ratione maioris perfectionis in amato*, ac *dependentiae respectu amanti debeat augeri*. §. 240. *originem autem vitae dedisse*, et *bene viuendi praecepta tradere summa sint beneficia*, quae a mortalibus accipere possumus; adeoque etiam *summae alicuius perfectionis*, id est *Superioritatis Parentum respectu propriae sobolis*, atque etiam *dependentiae liberosum a parentibus suis irrefragabile praebeant argumentum*: expeditum est, *summam quoque uenerationem*, et *summum obsequium Parentibus a Liberis exhiberi debere*.

§. 410.

Igitur ea in primis *ueneratione prosequendi sunt Parentes*, qua omnibus aliis *anteferantur*: adeoque de illis nonnisi *honorifice loquendum*, et *debita iisdem pietas nec factis est*, nec *uerbis*, quin *ne leui quidem nutu unquam laedenda*. Esto enim sint *saepius*; sint *quantumcunque imperfecti*; et *educationis quoque officii male mali fungantur*: *vitae tamen nostrae auctores semper manent*; et *nos natura non praecise cum bono Patre*, ut *sapienter animaduertit Epictetus*, (8) *sed cum Patre coniunxit*, quod satis est ad *amorem deuotionis fundandum*. §. *praec.* quia *Parentes hoc vno titulo semper perfectiores nobis sunt*, nosque *vicissim semper ab illis pendemus*. Quare *malorum etiam Parentum vitia dissimulanda potius*, et *saeva durorum imperia*, seu *inlariae patienter ferendae sunt*, quam quidquam contra

(8) Enchirid. c. 37.

tra pietatem attentari contingat. Quin si summa etiam necessitas, et maioris officii ratio vrgere videatur; non sine maxima tamen cautela aduersus illos agendum est. Quapropter Ius etiam posituum raro admodum, et in causis tantum grauissimis *inofficiosi Parentis querelam*; rarius *testificationem*; *accusationem* autem filii nunquam admittit nisi in criminibus prorsus enormibus, ac toti reipublicae noticiis. Contra vero *exhaeredatio*, quamuis merito a vaga veterum Romanorum licentia ad arctiores limites reuocata fuerit: (9) hodierno tamen adhuc iure Parentibus permittitur contra accusatores aut delatores Liberos in causis non exceptis; sicut etiam propter alia atrociora ingrati animi crimina (10) in legibus ciuilibus expressa.

§. 411.

Obsequium etiam quod Liberi Parentibus tam stricto iure debent, §. 409 omnino *promptissimum* iisdem est exhibendum, et tale quidem, vt liberi, illorum imperiis, quamdiu, et quatenus sunt sub parentali potestate, non tantum exacte *obediant*; verum etiam eorundem iussa contendant *praeuenire*. Verum enim, quum istud etiam obsequii officium ex *amore deuotionis* deriuetur; §. 409. Parentibus autem castigandi quoque, ac coercendi potestas competat, §. 400. sequitur, eosdem etiam *timendos* esse, ita tamen, vt ex amoris timorisque temperamento *reuerentialis* ille, ac *filiialis timor* exsurgat, qui castigationes non tam metuit, quia dolent; quam quia sunt parentalis indignationis liberorum vitiis excitatae certum argumentum. Ceterum quia quanto maior est entis alicuius perfectio, tanto etiam maiorem requirit amorem deuotionis; §. 240. *Dei* autem perfectio immensum praestat illi *Parentum*, atque etiam *Magistratus publicus*, quemadmodum in procuranda reipublicae salute superior est priuatis paren-

(9) *Vide Cl. Heinecc. Antiquit. Rom. L. 2. Tit. 10. etc. §. 20. et seqq.*

(10) *Nonell. 115. c. 3.*

parentibus, ita etiam perfectior esse cognoscitur: iterum sequitur, et *Numinis*, et *Magistratus Leges semper anteferendas esse parentum praeceptis*, quando haec cum illis colliduntur; tantoque id magis, quod Parentes diuinis atque humanis ipsimet subiecti imperiis nulla gaudeant quidquam contra illas praecipendi potestate.

§. 412.

Potestas parentalis dimanat ex obligatione Parentum ad liberos bene educandos, §. 398. adeoque est *medium* bonae educationis: atqui adepto *fine* cessat *medium*: ergo etiam *expirat potestas parentalis*; consequenter, si proba et diligenti institutioni eo aetatis, ac habilitatis peruenerunt Liberi, sua ut quadra viuere possint, et honesta se ejus rei offerat occasio: impediri non possunt a parentibus, quin exeant ab illorum potestate. Igitur inuita *Legge naturali* rigidum nimis ius vetus Romanorum filios cum vxoribus ac liberis sub Patris et aui potestate detinuit, nisi forsitan vltro fuissent ab illis emancipati, atque dimissi. Ab initio certe non fuit sic: *relinquet homo*, inspiratus a Deo aiebat Adamus, (11) *patrem suum et matrem suam, et adhaerebit uxori suae, et erunt duo in carne vna*. Multo autem minus resistere Parentes possunt, quo minus Liberi iam satis adulti ac instituti certum eligant vitae genus, ad quod se ex *reuelatis* principiis sentiunt a Deo vocari. Quippe quum *finis* educationis nullus sit alius, quam ipsius sobolis *felicitas*; et ut *idoneum fiat societatis humanae membrum*: §. 404. hic ipse magnopere impediretur, si fas esset parentibus, cogere Liberos, ut ex illorum potius arbitrio certum prae alio amplectantur vitae genus; quam ut eum sectentur statum, qui ipsis praeplacet; modo si tamen hunc ipsum prudenter elegerint: secus enim Parentum procul dubio erit, insanis se opponere consiliis, quippe qui Liberos ad prudentem statum electionem eum fine educationis proxime connexam consilio, curis, opera et auxilio praeparare ac innare tenentur. § 405.

§. 413.

(11) *Gen. 2, 24.*

§. 413.

Potestate Parentum soluta non ideo extinguitur *amoris erga Liberos instinctus*, ab ipsa natura Parentum animis insitus. §. 377. Igitur istis incumbit emancipatos etiam Liberos, si quam grauiorem patiuntur necessitatem, consilio et ope iuuare, et illorum bonum pro viribus promouere. Contra omnem ergo naturalem aequitatem agunt, qui patrimonio quocunque semel dato, vel dote qualibet numerata dimissos abs se liberos ideo tantum haereditate excludunt, vt tanto plus accipiant, qui ex friuola plerumque causa sunt chariores. Hoc certe partium studium amori parentali, qui per se aequalis erga omnes esse deberet, penitus repugnat; atque ideo etiam Iustinianus Imp. (12) veteres Leges Romanas hoc ipso in capite sustulit, ac antiquauit,

§. 414.

Multo autem minus expirante parentali potestate tollitur *obligatio amoris Parentibus a Liberi exhibendi*; §. 409. vtpote quibus accepta beneficia nunquam satis referre valemus. Igitur nec *exire ab ea potestate, nec statum mutare Liberi* possunt insalutatis, et inconsultis Parentibus; neque illis, licet immerito inuitis, fas est sua *vti libertate*, nisi exhaustis demum omnibus ad eos in sententiam flectendos mediis, et seruata etiam tum, quantum fieri potest, reuerentia. Praeterea nihil decet agere, quod ad familiam spectans maioris sit momenti, sine illorum consilio. Denique *gratus animus* semper est retinendus; semper verbis, et, vbi occasio suppetit, etiam factis, ac re ipsa demonstrandus, ita quidem, vt *alimenta* etiam indigentibus sint promte et fideliter subministranda, id quod Clarissimus Heineccius (13) immerito ad *imperfecta* reducit officia. Quippe quum graui premente necessitate exterorum quilibet ex *officio sane perfecto*, et rigoroſe obligante efficaciter iuuandus sit: §. 281 et 283. opem talem

(12) Non. 118.

(13) Elem. I. N. L. 2. §. 74.

lem multo liberalius ex *perfecto* iterum officio propriis Parentibus exhibendam esse dubitari tanto minus potest, quanto certius similibus, quin difficiliorum officiorum omisio (v. g. circa Patris furiosae curam, vel captivi redemptionem, aut pro eo fideiussionem) iusta *exhaeredationis* causa Legibus etiam positivis atque civilibus (14) habetur, vti passim videre est apud Iurisperitos.

§. 415.

Occasio se heic offert agendi de ordine amoris inter coniunctas personas servando. Et consanguineos quidem extraneis etiam melioribus in pari necessitate praefereandos esse, inde patet, quia pluribus, vt ait S. Thomas (15) rationibus diliguntur. (vide etiam §. 285.) Praeterea coniunctio naturalis est prior et immobilior, quia est secundum id, quod pertinet ad substantiam; aliae autem coniunctiones (vt amica, civilis, militaris etc.) sunt superuenientes, et remoueri possunt; et ideo amicitia consanguineorum est stabilior; fundatque titulum Pietatis, seu illius virtutis, quae nos inclinatur ad amandum nostrum principium, siue per quam teste Cicerone (16) Sanguine coniunctis Patriaeque beneuolis officium et diligens tribuitur cultus. Denique ordo charitatis, vtpote Legge naturali nixus, naturae ordinem, secundum quem consanguinei sunt propinquiores, non inuertit, sed perficit: quare etiam inter ipsos consanguineos ceteris paribus (nam mutari ista possunt plurimum §. 285. aut nobiliorum §. 237 et 284. cumulatione officiorum) propinquiores semper sunt reliquis antehabendi. Porro autem vt ordinem charitatis explicatius tradamus: I. in necessitate extrema, vbi vita periclitatur, Parentes omnibus aliis sunt praeposendi; quia praeter sanguinis communionem diliguntur, vti iterum Angelicus docet, (17) sub ratione

(14) Nov. 115.

(15) 2. 2. Q. 26. A. 8.

(16) De Inuent. 82. apud Nizol. voce Pietas.

(17) S. Thom. L. 6. Art. 11.

tione principii et eminentioris cuiusdam boni ; sic v. g. Aeneas apud Virgil. Aeneid. 2 v 635. in communi illo periculo , quocumque eius Pater, vxor et filius conflictabatur , apposite ad rem nostram , *Genitor* , ait , *quem tollere in altis optabam primum montes , primumque petebam etc.* Et quia Pater habet excellentiorem rationem principii ; hic etiam eodem monente (18) II. in casu quocumque necessitatis , et collisionis officiorum , per se loquendo magis est diligendus , nisi *Matris* amorem per accidens alia magis vrgeant momenta. Vbi vero *non extrema* instat *necessitas* , III. *vxor* plane parentibus quoque anteferenda videtur propter arctissimam coniunctionem , quam satis exprimunt illa Genesis verba : *Relinquet homo patrem suum , et matrem suam , et adhaerebit vxori suae , et erunt duo in carne una ;* (19) quin et IV. *Liberorum* potiore tunc ante parentes habendam esse rationem censeo ; tum quia (vt denuo loquitur S. Thomas (20) *Parentes diligunt filios vt aliquid sui existentes : Pater autem non est aliquid filii : et ideo dilectio , secundum quam Pater diligit filium , similitior est dilectioni , qua quis diligit se ipsum ;* tum quia bonum familiarum , et Reipublicae postulare videtur , vt , vbi Pater non est in extrema necessitate constitutus , filiis saltem illis postferatur , qui adhuc in familia constituti , et sine ope relictis cum suis iterum posteris oneri potius Reipublicae , quam commodo essent futuri. V. Ob easdem rationes *vxor* filiis , *filii* ceteris omnibus consanguineis praehaberi debent. Illa quidem ; quia non tantum est *una caro* cum marito , sed etiam *principium* liberorum : hi , quia multo sunt *coniunctiores* , et a Parentum *substantia* procedunt. VI. Sequuntur reliqui *consanguinei* , pro coniunctionis propinquitate , et hos eodem modo VII. excipiunt *affines* , siue consanguinei vxoris , respectu mariti , et consanguinei mariti respectu vxoris , quia , licet ex omnium

(18) L. C. Art. 10.

(19) Gen. 2, 24.

(20) L. C. Art. 9.

nium gentium consensu etiam his specialis debeat reuerentia, et amicitia; ista tamen coniunctio, ut iterum aduertit S. Thomas, *non fit particeps eiusdem radicis, sed quasi extrinsecus adiuncta est*: (21) ergo consanguinitati praeferri non potest. Ceterum haec omnia in *pari necessitate* et multis aliis suppositis principiis intelligenda esse satis patet ex nunc, et iam antea §. 284. et 285. dictis.

§. 416.

Aliquando Parentibus siue naturaliter, seu civiliter praemortuis *educationis cura ad alios deuoluitur* eamque vel *pietate §. praec.* mori occupant *Aui, Cognatiue*; vel eadem a Magistratu demandatur *Tutoribus* respectu *impuberum*; *Curatoribus* autem respectu illorum, qui ex dispositione Iuris positiui habentur pro *minorennibus*, id est, qui vigesimum quintum aetatis annum nondum impleuerunt. Subinde autem uiuis adhuc Parentibus haec ipsa educatio vel *ex toto*, vel *ex parte* in alios transfertur: *Ex toto* per *adoptionem* Liberorum ab extraneo factam, quae licet non possit eatenus probari, quatenus prisco Romanorum Iure Liberi instar aliarum rerum in dominio constitutarum a Parentibus ueluti alienabantur: tamen Iuri naturae non repugnat, si eo fiat intuitu, quod videant Parentes, uelie adoptantes, ac posse educationis officium melius, aut certe haud minus recte quam se ipsos implere. *Ex parte* uero educationis cura ad alios transit, si re sic postulante ad certum tempus, vel ad certos fines creditur *nutritoribus, Paedagogis, Patribus familiaris etc.* ad quos u. g. studiorum, vel artium addiscendarum causa Liberi mittuntur; etc. Ista porro omnes uicissitudines referuntur ad societatem seu *parentalem*, seu saltem *Paedeuticam*, id est *magistrallem*; quoniam eiusmodi homines aut sunt *quasi parentes*, aut certe *Magistri*, atque omnes, intra suos saltem limites, *Parentum vice* funguntur.

§. 417.

(21) *Suppl. Q. 55. A. 1.*

P. Schwarzhueber Eth. P. II.

R

§. 417.

Ígitur minime anceps est, quod quum eundem cum Parentibus habeant praestitutum *finem*, eandem etiam habeant *potestatem*; quatenus haec illis pro mensura creditae prouinciae necessaria est, et a Legibus non limitatur. Item quod, quatenus in se receperunt educationis curam, non minus, ac Parentes, iisdem obligentur officiis, vt adeo dicta repetere necessarium haud videatur. Ceterum quaedam de *Magistris* admodum observanda §. 296. praemissimus, quae vide.

§. 418.

Quod si autem res ita se habet; liberi quoque eadem fere ipsis *debeant* necesse est, quae Parentibus debent, *amorem*, inquam *uenerationis*, *obsequium*, *obedientiam*, et *gratitudinem*; namque si alienae sobolis obligationi inde quidquam decedere videtur, quod parentum vice fungentibus vitam in acceptis haud referat: (quod ipsum in auis suo modo fallere nemo non videt) tanto certe strictius hisce educatoribus alio ex capite, et propterea deuincta est, quod educationis onus, et bene viuendi magisterium, arduum vtrumque, et mille curis, laboribus ac taediis foecundum, nulla ipsi plerumque obligatione arctati in se recipiant; hic autem *gratuitus beneuolentiae amor* immensi loco beneficii est habendus. *Vide dicta §. 345. et 346.*

ARTICULUS IV.

DE OFFICIIS QUAEſTUARIAE, ET HERILIS SOCIETATIS.

§. 419.

Ex coniugio nascuntur liberi; horum si numerosior sit prouentus, neque iam gamica, neque parentalis societas satis commode subsistere posset sine famulantium ministerio, et coniuncta illorum, fidelique ac sedula rei familiaris cura; §. 369. quin
aliae

aliae etiam causae, ut quisque satis nouit, idem non raro exigunt praesidium: ergo opus est *famulis*, indeque exsurgit *quae suaria* illa, siue *ketica* (*α κ τ α ω* *aquiro, possideo etc.*) sic nominata *societas*, quae ex coniugibus simul, tanquam *Patre et Matre familias*, Liberis, ac forte etiam nepotibus, tanquam *filii et filiabus familias*, et *famulis, famulabusque* conflatur, et in qua singula membra suum contribuere debent ad rem familiarem diligenter, ac fideliter curandam.

§. 420.

Ex his facile patet, hanc etiam societatem natura sua *inaequalem* esse, et *receptoriam*; quo enim societas est maior, tanto etiam est sociorum consensus circa idonea ad finem media difficilior, ut adeo oporteat ad vnum deferre potestatem actiones reliquorum ad communem finem dirigendi: quum igitur inter personas hanc nostram societatem constituentes §. 398, et eiusdem, tanquam Mariti in uxorem, totamque rem familiarem §. 393. praecipua sit auctoritas: dubitari non potest, quin ipsi etiam *regulariter* competat ius dirigendi famulitii, adeoque sit *caput totius familiae*, ita tamen, ut, quam sociam, et velut aequalem nactus est uxorem, eandem etiam in curanda re familiari habeat *praecipuam adiutricem*, et veram *Matrem familias*, cuius sit post illum maxima in reliquos potestas. Vide §. 395. Dixi tamen *regulariter*; mutari id enim potest pacto; §. 395. et non raro fit, ut uxor siue mortis, siue alia causa in potestatem mariti succedat; neque demum id esse insolens conspiciamus, ut persona coelebs utriuslibet sexus familiam, v. g. propinquorum vna cum famulatio alat, utique eiusdem societatis nostrae iuribus censendam.

§. 421.

Famuli famulaeque (namque semper eadem est amborum conditio) hodierno nostro gentium melius moratusum vsu, qui procul dubio est iuri naturae conformior, pro certa mercede, et alimentis, vel

pro his etiam folis *personam*; sed *operas* tantum suas Domino vel Dominae addicunt; igitur huius societatis fundamentum est *pactum*, §. 313. nimirum *locatio conductio*, §. 317. aut certe contractus innominatus; *do ut facias, facio, ut des.* §. 314.

§. 422.

Inde pronum est definire, qualis *Potestas* Domino vel Dominae (nam et posterioris iura sunt aequalia, si pro se familiam aliat, §. *praec*) in eiusmodi famulos competat: Potest I. *operas* sibi locatus; sed non alias indicere, exigere, et ex illis utilitatem capere; II. adigere famulos, ut per tempus, quod initio placuit, gravissima saltem causa non obstante seruiant; III. si sua non praestent in locatis operis, eosdem mercede pro rata multare; haec enim omnia ipsa ratio *pacti* inuoluit. Et quoniam pravi mores familiae bono praecipue obstant, atque ipsum etiam eius finem, praeprimis circa liberorum educationem, penitus euertere possunt, necessario etiam IV. Domino eorundem morum directio competere debet; non talis tamen, ut famulos, quorum *persona* nimirum non est subiecta, §. *praec.* durius eidem castigare liceat; quamvis V. incorrigibiles seu in moribus, seu in segnitie etiam ante tempus constitutum dimittere possit.

§. 423.

Ex eadem *pacti* natura *officia Domini erga famulos* haud minus recte derivantur. Tenetur igitur imprimis *promissam ac iustam alimoniam atque mercedem rite illis dare, ac persolvere*; circa quod animadvertendum est I. non solum contra omnes *humanitatis* et *charitatis* regulas facere, qui maiore famulorum egestate ad mercedem crudeliter imminuendam abutuntur: sed etiam contra *Iustitiae Leges* per id ipsum peccare; quandoquidem *medii proportionem*, quae heic *arithmetica* esse deberet, §. 188. et 193. nullam plane seruant; praeterea rei suae pessimis fere consulunt modis eiusmodi Domini; furari quippe ipsi miseros cogunt famulos cum perpetua necessi-

necessitate luctantes. II. notandum, quamvis Dominus alimenta *pacti titulo* non teneatur famulo praebere, qui etiam citra suam culpam v. g. ob aegritudinem locatas operas non praestat: ad id ipsum tamen *charitatis officio* (seruo adhuc magis, quam extraneis exhibendo) plerumque obligari, vti satis patet ex illis, quae de officiis absolutis erga Proximum dicta sunt. §. 283. Deinde tenetur Dominus *morum directionem respectu famulorum in se suscipere*. §. praec. Et sane Patrisfamilias est, inuigilare, ne vitia domi suae nidificent, hinc nihil inhonesti Dominus imperet; nihil etiam fieri patiatur.

§. 424.

Correlata *famulorum officia* sunt I. *amor deuotionis*, quem Dominis tanquam *Superioribus* debent; §. 239. hic ipse vero ex sua natura *venerationem*, ac *reuerentiam*, *ibidem*; atque hinc etiam poscit, vt defectus Heri non solum patienter tolerant, verum etiam illos coram extraneis studeant celare. Praeterea II. *potestas* Dominis competens §. 423. *timorem* quemdam liberalem exigit. *Vid. in simili quodam dicta §. 411.* III. *Obsequium*, quod iterum in amore deuotionis inuoluitur, §. 239. *obedientia* praecipue demonstrandum est in operis locatis, et a Domino imperatis, nec non in iussis morum integritatem spectantibus, §. 422. IV. denique *fidelitas* et *sedulitas* in promovenda Domini vtilitate requiritur; propterea enim conducti sunt. §. 419.

§. 425.

Ceterum nunquam, aut certe non nisi rarissime, et in manifesta tantum Domini iniquitate, atque omnibus aliis interclusis mediis, fas est famulis *praetextu maioris laboris* clam aliquid surripiendo suam amplificare mercedem; namque licet peccent Domini, iniquas condiciones hominibus obtrudendo, quos necessitas in illorum famulatum compellit; §. 423. tamen quum his absolute liberum fuerit, vtrum pro tam modica mercede pacisci voluerint; postquam semel in certas condiciones conuentum est, his stare; aut certe siue maiorem mercedem, siue missionem pe-

tere debent; vel denique aliis modis legitimis reparationem iniuriae quaerere oportet, si successu temporis appareat, labores ultra omnem aequitatem, et mercedis aut alimoniae proportionem augeri. Clancularia enim illa satisfactio propter amoris proprii omnia exaggerantis vitiosa praeiudicia infinitis sane fraudibus magno cum Societatis humanae, familiarum, et reipublicae detrimento latissimam ianuam aperiret; unde etiam eiusmodi saltem *promiscuae furtivae compensationes* ab Innocentio XI. PP. merito damnatae sunt.

§. 426.

Addamus pauca de *seruis et ancillis obnoxiiis*, quae *mancipia* dicimus, quod illorum etiam *personae* et pro solis quidem alimentis in *dominio* herorum sint constitutae, atque sic fundent *herilem Societatem*. Istud seruitutis genus non utique *iure naturae introductum fuit*, quo omnes liberi nascimur, §. 349. ceterum vero quemadmodum est antiquissimum (nam et Noe Chanaano illud praedixit; (22) et Abraham multos habuisse seruos, ac vernaculos legitur, (23) et Aegyptii Iosepho Proregi supplicarunt, ut se pro frugibus Pharaoni *mancipia* tradere possent) (24) ita, si iustis fulciatur titulis, eidem *naturali Iuri haud repugnat*. Nam qui se aliter sustentare impotens in seruitutem alteri cuidam *mancipare*, quam fame perire mavult; ille quidem ex rationis sanae regulis malum minus praefert maiori; et bello iusto captus, ubi iure occidi potuisset (ex *dicendis de officiis civilibus*) potuit sane a Victore hac Lege seruari, qua *mancipium* factus nec nocere posset, nec gratis omnino ali deberet: neque id prorsus inuito accidit; liberum namque fuerat etiam victa in tela irruere, et necem potius, quam miseram *mancipii fortunam* subire; ex quo patet, seruitutem quoque *pacto*, et hoc non iniusto iuri posse; adeoque etiam *Dominium*

192

(22) *Gen. 9, 25.*(23) *Ibid. c. 29. et 30.*(24) *Ibid. 47, 25.*

in personas, quod inuoluit, non improbandis per se titulis Hero aquiri.

§. 427.

Sunt igitur ipsae hominum seruatorum *personae* in Heri *dominio*: §. *praec.* quare etiam ex personis fiunt veluti *res Domini*; et consequenter huic omnia fere in seruos competunt iura, quae habet in res suas; eo tamen saluo, vt semper meminerit, illos cetera esse *homines natura sibi aequales*. Adeoque potest I. seruis quascunque, quibus praestandis sufficiunt, operas iniungere, et ex operis omnem vtilitatem capere, ea tantum lege, vt alimenta statui commensurata seruientibus praebet. §. *praec.* II. Potest etiam illorum liberos, tanquam *accessionem rei suae* sibi vindicare; circa quod nihilominus vsus attendi debet, si liberi ex seruilibus personis ad diuersos Dominos spectantibus progenerati sint: namque apud alios receptum fuit, vt *partus sequeretur ancillae ventrem*, et hoc maxime erat aequum, quando pater fuerat incertus: aliis et maioribus maxime nostris, priscis Germanis alterna placebat *vernarum* (ita enim ex seruis nati vocabantur) *partitio*. Illud quoque observandum, inter mancipia proprie talia legitimum matrimonium vix locum habere posse, quum finis praecipuus coniugii, scilicet educatio, non ab illorum; sed herorum arbitrio pendeat. *Vide dicta* §. 381. III. Potest Dominus seruos alienare, venundare, fugitios retrahere, abductos cum omnibus fructibus a possessore quocunque secundum *dicta de Restitutione* §. 333. etc. vindicare. III. Ob *Dominium* in personam potest male meritos etiam *seuerius castigare*. IV. Denique quum quilibet Dominio suo renuntiare ceteris paribus possit, etiam Domino liberum est, seruum in libertatem additis quoque conditionibus restituere, id quod *manumissio* olim vocabatur, et erat maximum omnino beneficium, quod *Libertum Patrono suo* (ita enim tum mutabantur nomina) non minore grati animi vinculo, quam filium Patri alligabat. *Vide, et confer dicta de effectibus Domini* §. 320. etc.

R 4

§. 428.

§. 428.

Contra vero non potest Herus, aut Hera I. Seruum, vel ancillam (id quod Cl. Heinneccius cum aliis permittit existimat) mutilare, aut occidere. Namque siue bello captus sit seruus; hostis iam nunc esse desit, adeoque etiam ius necis eidem inferendae (*ex dicendis de off. civilibus*) expiravit: siue se sponte in seruitutem tradiderit, aut verna natus sit, tale ius, saltem *irrestrictum* quum ipse non sit vitae membrorumque Dominus, contra ius supremum Dei, § 262 ad Herum transferre minime potuit. Dixi *irrestrictum*, posse enim Domino certis ex causis ius vitae ac necis in seruum competere patet argumento a maiori ad minus ducto ex illis, quae de potestate Caput familiae in Liberos, vxores etc. diximus §. 399. II. Quum seruus nihil habeat proprium, tenetur sane Dominus, qui totam ex eo percipit vtilitatem, etiam tum illum alere, quando operas suas ex valetudinis, aut senii infirmitate praestare non amplius potest. III. tandem, et hoc ipso, quod seruus semper maneat homo natura Hero aequalis; si iste praeter potestatis suae, §. *praec.* explicatae limites quidquam facit, peccat, et iniuriam mancipio facit; haec autem ipsa potestas, quum tota pacto nitatur §. 426. etiam conditionibus restringi potest, exacte seruandis. § 313.

§. 429.

Ex hactenus dictis, si conferantur cum aliis iam passim statutis principiis, illis maxime, quae superius de famulorum obligatione asserta sunt, proum est colligere, quatenus sint *mutua Herorum, et seruatorum officia*, quin opus videatur diutius argumento inhaerere, quod inter Christianos vsum non habet, nisi quod quaedam seruitutis vestigia extent in damnatis ad triremes, vel metalla; item in *hominibus propriis* seu illis, qui aut glebae, id est culturae fundi, aut aliis oneribus cum stirpe sua addicti sunt. Calamitas haec fere ex rebellionem Maiorum, belli moesto furore etc. descendit, et quantum ad officia

cia, tum ex propria indole, quam variam ex causis variis habet; tum ex diuersis Prouinciarum Legibus dimetienda est.

§. 430.

Supereft, ut generales quasdam pro *Societate quaestuaria* Regulas adiiciamus. In hac quum singula membra suum contribuere debeant ad rem familiarem diligenter, ac fideliter administrandam, §. 419. et directio pertineat ad Patrem familias, cui hac in re adiutrix data est vxor seu mater familias: §. 420. tum sane horum imperia, et reliquorum obsequium in illud praecipue collimare debent, *vt bona fortunae ad rem familiarem necessaria et commoda debitis modis non solum aquirantur; verum etiam conseruentur, ac dispenlentur.* Et quidem solenter debent aquiri, quia, nisi fluxa haec bona nouis semper supplerentur; tanto magis decrescerent, quanto maior est ad illarum partem quotidie consumendam familiae numerus; Pariter, nisi in eorum diligentem *conservationem* cura intenderetur, facile alia per nostram negligentiam; alia natiua sua corruptione; alia improba hominum cupiditate diffluerent; *Dispensatio* autem prudens ac prouida necessaria est, ut eiusmodi bonorum interuentu alia nobis proueniant emolumenta. Ex quo facile patet, exquisita opus esse ad rem oeconomicam bene instituendam *Prudentia*, quae omnia in tempore curans et praeterita simul respiciat, et futuris intendat, cuique nihil prius, nihil antiquius sit *Ordine* rerum singularum, cuius perturbatio non minus in re familiari, quam in choro, in exercitu, in naui etc. (25) cuncta euerit. Deinde *Iustitiam* etiam singulari studio colendam esse, quisque videt, quippe cuius neglectus multiplici teste experientia summa est etiam iussi lucri perniciēs. Praeterea *Vigilantiam* fraudulenta multorum improbitas, et natiua hominum negligentia exigit, quae vitia saepe sunt famulis ac seruis bonae defectu educationis familiaria. *Frugalitas* denique necessaria est, talis

R 5

quidem,

quidem, quae se viribus attemperans auream sectetur mediocritatem, et non longius ab avaritia; quam prodigalitate recedens etiam ab *opportuna et moderata liberalitate* non abhorreat, quippe qua et domesticorum acuitur industria, et externorum fauor magno cum rei familiaris incremento comparatur.

SECTIO II. PRACTICA.

§. 431.

Optime, ait Tullius, (26) societas hominum, coniunctioque seruetur, si ut quisque erit coniunctissimus; ita in eum benignitatis plurimum conferetur. -- (27) Gradus autem plures sunt societatis hominum; -- arctior vero colligatio est societatis propinquorum, ab illa enim immensa societate humani generis in exiguum, angustumque concluditur. -- Sed omnium societatum nulla praestantior est, nulla firmiter, quam quum viri boni moribus similes sunt familiaritate coniuncti. Hactenus ille; fatis sane luculenter ad nostram comprobandam sententiam, amicitiam, et quem haec poscit, amorem benevolentiae mutuum et manifestum §. 372. esse fundamentum omnium reliquarum societatum. §. 371. Verum ad practica pergamus.

§. 432.

Ad rite implenda cuiuscunque demum societatis officia tria, eaque omnia magni momenti idem Cicero exigit: I. circumspeditionem prudentiae, nam (28) quid cuique maxime necesse sit, et quid quisque vel sine nobis aut possit consequi, aut non possit, semper quam diligentissime est videndum. II. Sedulam in iisdem officiis exercitationem; Quemadmodum

(26) 1. *Off.* 16.

(27) *Ibid.* 17.

(28) *L. c.* 18.

modum enim nec Medici, nec Imperatores, nec Oratores, quamvis artis praecepta perceperint, quidquam magna laude dignum sine usu et exercitatione consequi possunt: sic officii conseruandi praecepta traduntur illa quidem, ut facimus ipsi; sed rei magnitudo usum quoque, exercitationemque desiderat. III. Denique magnum in quibuscunque tribuendis officiis animum, qui solus eisdem, et tum denique perfectionem virtutis conciliat, si ne difficultatibus quidem ab officio implendo dimoueat. *Intelligendum est autem*, ait saepe laudatus Orator, ac Philosophus, *quum proposita sint genera quatuor* (de virtutibus cardinalibus loquitur) *e quibus honestas, officiumque manaret, splendidissimum videri, quod animo magno elatoque, humanasque res despiciente factum sit.*

§. 433.

A generalibus ad specialia veniamus, et illa quidem *phileticae societatis* officia satis mihi exposuisse videor: ea tamen, quae in delectu amicorum seruanda est cautela, §. 374. nunquam sane nimis inculcatur: nam *quum multis in rebus negligentia plectimur: tum maxime in amicis et diligendis, et colendis; praeposteris enim utimur consiliis, et — — implicati ultro et citro, vel usu diuturno, vel etiam officiis, repente in medio cursu amicitias, exorta aliqua offensione disrumpimus.* (29) Quam vero hominibus, sanam qui iactare rationem solent, indignum est, in pecoribus parandis adhibere curam; in amicis eligendis negligentes esse; nec habere quasi signa quaedam et notas, quibus eos, qui ad amicitiam essent idonei, iudicarent? (30) Ais: iudicare difficile est. Sane, nisi expertum; etenim verorum amicorum magna penuria est. Atqui, reponis, experiendum est in ipsa amicitia; ita praecurrit amicitia iudicium, tollitque experiendi potestatem. *Est igitur prudentis, noster respon-*
det.

(29) Cicero in Laelio 22.

(30) Ibid. 17.

det, (31) *sustinere ut currum, sic impetum benevolentiae, quo utamur quasi equis tentatis, sic amicitiiis, aliqua parte periclitatis moribus amicorum.* Accipe et aliud eiusdem documentum haud paulo praecedente grauius (32) si volumus desideratissima illa verae amicitiae commoda adipisci, *VERTUTI opera danda est, sine qua neque amicitiam, neque ullam rem expetendam consequi possumus. Ea vero neglecta, qui se amicos habere arbitrantur, tum se denique errasse sentiunt, quum eos grauis aliquis casus experiri cogit.* Itaque hoc primo, hoc vltimo sentiendum, *nisi in bonis amicitiam esse non posse;* (33) quippe *improbiorum consensus non modo excusatione amicitiae tegenda non est, sed potius omni supplicio vindicanda.* (34)

§. 434.

Quodsi tam sollicita opus est cautione in eligendis amicis, quanto diutius maturiusque cogitandum, ac deliberandum sit vxorem ducere volenti, nemo non videt. Enimuero quisquis ad huius religionem societatis animum adiicit, serio secum perpendat, *Professionem* ibi non nisi morte solubilem emitti ante *probationis* ac *Tyrocinii annum.* Quotidiana cernimus experientia oraculi instar esse illud Socratis, (35) sciscitanti cuidam, vxorem, an non duceret, respondentis, *utrumuis feceris, poenitebit.* Quare ais? quia, vt idem apposite ait, (36) *iuuenes caelibes similes sunt piscibus, qui alludunt circum nassam, et gestiunt inire: contra qui iam inclusi, exire.* Simile est in matrimonio, quod ambiunt liberi, damnant capti. Tu ergo, siquidem ad hunc statum te vocari prudenter

(31) *Ibid.*(32) *Ibid.* 22.(33) *Idem ibid.* 5.(34) *Ibid.* 12.(35) *apud Iustum Lipsium Cent. 1. Ep. 31.*(36) *Ibid.*

ter existimas, et sapis; caue inprimis, in eum irruas, antequam rite exploraueris omnia, et apud te rationes probe subduxeris, paresne sint ferendis coniugii oneribus, implendisque officiis humeri, nec ne. Aristoteles certe grauissimis inductus rationibus praematura non minus damnat, quam nimis tarda connubia; et quemadmodum post annum quinquagesimum quintum: ita etiam multum ante annum aetatis tricesimum septimum a viris contrahenda negat; feminas autem anno circiter duodeuicesimo collocandas existimat. Et hoc non tantum vt perfectiores procreentur liberi, et sanitas parentum ex immodica libidine nullum patiatur detrimentum: verum etiam quia ex praematuris coniugiis non minus multa circa bonam educationem nascuntur incommoda; nam apud nimis cito succrescentes liberos, et Patris aetati fere aequales minus pudor valet; et in re familiari inter pares fere querebrae solent existere. (37) Vide etiam dicta §. 382. Deinde cautissima necessaria est cautio in ipsa eligenda coniuge. An ex composito illo vultu (pulchre ait Lipsius deliberanti cuidam (38) oculis, verbis, toto corpore ad modestiam ficto uxorem eliges? Crede mihi, nulla fides. Proprium hoc, et velut innatum illi sexui, vt crude adhuc, et vix pueritiam egressae simulent, fingant, fallant. Hoc scilicet praemium fere semper referunt furui illi et intempestiui amoruli, quibus adolescentes exquisitiorem sequioris sexus formam ore patulo admirantes, sese ipsos illaqueant. Ergo si felix vis esse maritus, pange foedus cum oculis tuis, vt ne cogites quidem de virgine ante aetatem virilem, aut virili proximam. Quin tum etiam, dum aetas, dum res hoc vrget negotium, iterum, iterumque caue, etiam ab amicis; neque temere illorum fidei, aut commendationibus tuam permitte fortunam: Nolim, ait

(37) 7. Polit. C. 16.

(38) Ep, superius citata.

ait Lipsius, (39) *equum sic emere, aut agrum. Et qua in re libentius, aut minus cum periculo fallunt amici? si in equo, aut agro imposuerunt, ex- postulandi mihi saltem ius est; at id non in isto. Ca- netur tibi illud comicum, Habeas, ut nactus: et querelae tuae in ventum ibunt, imo in irrisum. Il- lud denique animo altissime insculpendum, non esse, ipsa in dies suffragante experientia, infeli- cius coniugiorum genus, quam in quod foedis polluti libidinibus caeco ruunt impetu, sero ani- maduertentes, in suis se demum haerere poenis. Domus et diuitiae dantur a parentibus, sapiens ait, a Domino autem proprie vxor prudens. (40) Tunc illam ab irato magis, et flagitiis ad vindictam ir- ritato, quam a propitio et castis fauenti consiliis sperabis? Quoue pacto ab vxore reuerentiam exi- gis, cui tua pridem vitia iam ante coniugium non potuerunt non extorquere contemptum? Qua fronte virtutem, aut casti fidem thori ab illa exi- gis, quae te ipsum sceleris, nequitiae, et lasciu- iae iam olim magistrum habuit? Pudicitiam ar- ctae educationis fructum, et primam vxoris do- tem; simulque viri Castimoniam praecipuam pa- rentum haereditatem, ad felicis euentum coniugii Xenophon Paganus (41) ante omnia alia necessa- riam pridem enuntiauit: et sanctas (pudor!) Chri- stiani nuptias adhuc hodie a turpissimis auspica- buntur flagitiorum commercii?*

§. 435.

Essent vtique satis multa adhuc, quae de coniu- galibus, Parentumque officiis merito monerentur: verum enim ad eos nobis sermo est, quos, si non sublimior vocantis Dei inspiratio, saltem aetas, et conditio a pronubis adhuc arcet facibus; et plerosque sub patria continet, aut, eorum, qui Parentum vices agunt, positos potestate. In id ergo

(39) *Loco cit.*

(40) *Proverb. 9, 14. i.*

(41) *de re Oeconom. C. 7. §. 5. 14. et 15.*

ergo incumbendum, ut ad propria hos cohortemur officia. Et sane, nulla vi verborum, nulla ingenii facultate exprimi potest, quantum opus sit, quam laudabile, quamque nunquam a memoria hominum exiturum, posse hoc dicere: Parentibus meis parvi, cessi: imperio eorum, siue aequum, siue iniquum fuit, obsequentem submissumque me praebui: ad hoc unum contumax fui, ne beneficiis vincerer. Certate, obsecro vos, et fusi quoque restituite aciem. Felices, qui vicerint: felices, qui vincentur. Quid eo adolescente praeclarius, qui sibi ipse dicere potuit (neque enim fas est alteri dicere) Patrem meum beneficiis vici? quid eo fortunatius sene, qui omnibus ubique praedicabit, a filio suo se beneficiis victum? Quid autem est felicius quam sibi cedere? (42) Quum vero tantundem fere Tutoribus, Curatoribus, Praeceptoribus debeamus §. 416. etc. vides enimvero, quid de illis sentiendum, qui ubi eorum beneficiis vti fuerint, gratum simul abiiiciunt animum, quosque experti sunt benevolentissimos, quin etiam beneficentissimos, eos velut homines ignotos negligunt; quin contemnunt saepe, et iniuriis benefacta compensant. Audiant isti Senecam, et erubescant: Praeceptor (ait ille, (43) cuius verba ad probos Tutores, Curatores, Patresque familias mutatis quibusdam facile transtuleris) Praeceptor in docendo et laborem, et taedium tulit; praeter illa, quae praecipientibus in commune dicuntur, aliqua instillavit, ac tradidit; hortando bonam indolem erexit, et modo laudibus fecit animum, modo admonitionibus discussit desidia. Tum ingenium latens et pigrum iniecta, ut ita dicam, manu extraxit: nec quae sciebat, maligne dispensavit, quo diutius esset necessarius: sed cupiuit, si posset, uniuersa transfundere. Ingratus sum, nisi illum inter gratissimas necessitudines diligo. Nempe autem, voluntati tuae saepe Parentes, saepe Tutores, Magistri etc. obstiterunt; neque tantorum, quae

(42) Seneca 3. de Benef. 38.

(43) Idem ibid. L. 6. C. 6.

quae iactari solent, apud te est beneficiorum recordatio. Imo *beneficiorum maxima sunt*, noster contra Philosophus reponit, *quae a Parentibus (et illorum vicem obeuntibus) accipimus, dum aut nescimus, aut nolumus.* (44)

§. 436.

Vnum est adhuc, quod omittere non possum, quin scilicet illorum reprimam fastum, qui famulos, quos fortuna addidit, velut si ex meliore ipsi gleba creati essent, tantum non pro brutis habent. *Serui sunt?* iam olim de mancipiis monebat romanus ille morum praeceptor (45) tanto vt magis eius verba de nostris ingenuis sint accipienda: *Serui sunt? imo homines. Serui sunt? imo contubernales. Serui sunt? imo humiles amici. Serui sunt? imo conserui, si cogitaueris tantundem in utrosque licere fortunae.* — Plerumque non habemus illos, (vt arrogantes quidam putant) *hostes sed facimus.* — — Haec igitur praecepti summa sit: *Sic cum inferiore viuas, quemadmodum tecum superiorem velles viuere. Quoties in mentem venerit, quantum tibi in seruum liceat; veniat in mentem, tantundem in te Domino tuo licere. At ego, inquis, nullum habeo Dominum. Bona aetas est, forsitan habebis. Nescis, qua aetate Hecuba seruire coeperit, qua Croesus, qua Darii mater, qua Plato, qua Diogenes?* — — *Quare non est, quod fastidiosi te deterreant, quo minus seruis tuis hilarem te praestes, non superbe superiorem. Colant potius te, quam timeant.* — aut quomodo potest id Dominis parum esse, quod Deo satis est, qui colitur, et amatur? *Non potest amor cum timore misceri.*

SECTIO

(44) *de Benef. L. 6. C. 24.*(45) *Ep. 47.*

SECTIO III.

SCHOLASTICA.

SITNE EXTRA LEGITIMUM CONIUGII VSUM OMNIS VENUS IURE NATURAE PROHIBITA?

S. 437.

Ius naturae ad fallacem solius rationis limam, seclusa diuinae reuelationis auctoritate, a Protestantibus reformatum hunc denique, si superis placet, inter multos non absimiles fructum tulit, vt Lambertus Velthufius, et post eum Christianus Thomafius afferere non dubitauerint, deterrima libidinum monstra *Bestialitatem*, et *Sodomiam*, tantoque magis reliqua carnalium flagitiorum genera, quibus non adeo atrociter in pudicitiam, et contra naturae ordinem peccatur, *Iure naturae* prohibita non esse, quod id ratione naturali demonstrari minime posset. Neque vero dissimulandum est, reuocatum fuisse a Thomasio gradum, quippe qui libro suo *Instit. Iurisprud. diuinae* alteris edito curis, palinodiam prudenter cecinit. Ceterum operae pretium non essemus sane facturi, si in refutandis abominabilibus hisce spurcitiis haerere vellenus, contra quas ipsa satis natura, ipsa ratio clamat: At vero ex nostris etiam Catholicis quidam, quamuis non ad tam pudenda progressi dogmata; dum tamen *Probabilismi*, vt vocant, praeiudiciis abrepti solas aucupantur, ostentareque gestiunt vanas ingenii ratiunculas, ad auia delati sunt, vt *fornicationem*, atque *mollitiam* de se prohibitam non crederent, nisi diuino fuisset vetita interdicto. Atque horum quidem temeritatem iusto fulmine Innocentius XI. PP. prostrauit. (46) Nos igitur hanc

(46) 1679. 2. Martii Propos. inter damnatas 48. et 49.

hanc materiam isto examinandam loco seruauimus propterea, quod eius resolutio a principiis pendeat ante, vbi de societate gamica actum est, stabilitis.

§. 438.

Propositio.

*Extra legitimum coniugii usum omnis omnino
venus Iure naturae est prohibita.*

Probatur: Homo, quum non fit corporis, ac membrorum Dominus, illis aliter, quam ex Numinis praescripto, et ad fines a Deo praefixos vti licite non potest. §. 272. Membra porro, et partes corporis, quae, et quatenus generationi inseruiunt, homini a Conditorum non alio fine datas esse, quam ut genus suum propagare possit, dubitari minime potest: ergo etiam hoc manifestum est, quod illis nisi ad hunc finem vti licite non possit. Sed vt haec ipsa propagandi ratio fini Conditoris respondeat, hic *Lege sua aeterna*, per rationem hominibus promulgata, id est *Lege naturali* subintroduxit coniugium, siue societatem gamicam, ad cuius officia et regulas Liberi non solum debito modo procrearentur, sed, quod multo est maioris ad fines Dei ponderis, bene etiam educarentur, vt patet ex toto *Art. II. et III. praeced.* consequenter usum partium corporis generationi inseruientium, tanquam medium finibus coniugii subordinauit: atqui medium est semper propter finem, vt iterum ambigere nemo sanus potest: igitur qui hoc medio vtitur extra legitimos coniugii complexus, agit contra Conditoris ordinem, praescripta, Leges, et fines ab eo constitutos, id quod iure naturae prohibitum esse, tam est certum, quam quod certissimum: omnis ergo talis venus, siue vsus illarum partium est Iure naturae prohibitus; et quum fines hac in re a Deo intentos grauissimi esse momenti quisque facile videat; illud praeterea per-

perpicuum est, eandem prohibitionem non posse non *grauiter* obligare.

§. 439.

Colliges I. etiam *simplicem fornicationem* seu copulam soluti cum femina soluta et iam corrupta; et tanto magis *stuprum* virgini seu inuitae, seu consentienti illatum, *incestum* quoque cum consanguinea etc. ac *adulterium* Iure naturae esse seuerissime prohibita, iterumque a potiori nefaria prorsus esse illa impudicitiae genera, quae *contra naturam* pugnant, et finem, vsumque legitimum membrorum genitalium etc. ac seminis studiose frustrantur, vti fit per *mollitiem*, seu omnem voluntariam extra vas debitum effusionem seminis, *Sodomiam* quoque, seu commixtionem cum eodem sexu; *Besialitatem* denique, siue congressionem cum bruto, quaeque sunt aliae adhuc spurcitiæ species, quas feliciter ignoramus. Patet quippe, hisce omnibus tam enormibus flagitiis finem conditoris inuerti, et horrendum membrorum abusum committi §. *praec.* vt nihil dicam plurima eorum cum summa aliorum hominum iniuria, et aliis horrendis deordinationibus esse coniuncta, quas seuerissimis suppliciis, atque vltimicibus etiam flammis vel ipsi ciues Magistratus merito solent vindicare.

§. 440.

Colliges II. Ipsas etiam *deliberatas*, de re quacunque obscœna *delectationes*, quamuis mere internas, et a voluntate talia patrandi seiunctas iure naturae grauiter prohiberi. Non enim possumus de re aliqua *deliberate delectari*, quin eam bonam, et appetitui conformem censeamus, adeoque *amemus*: §. 239. sed enim rem grauiter malam, qualis certe hæc est §. 438. amare, est grauiter Iure naturae prohibitum, vti iterum nemo dubitat: ergo etc. Accedit, quod talis delectatio nos *proximo peccati periculo* exponat: quippe Lex peccati, tristi teste experientia, ita sane in no-

stris regnat, faeuitque membris, vt tali voluntaria delectatione excitata cohibere se homo vix vnquam possit, quin rem malam, quae tanquam conformis appetitui proponitur, interno saltem affectu *desideret*, atque *appetat*, id quod iterum peccatum esse apud omnes in confesso est. Quodsi autem deliberata etiam et mere interna delectatio grauius est vetita: tanto id minus negari potest, de *aspectibus, amplexibus, tactibus, gestibus, oculis, verbis* etc. per se ordinatis ad impudicos motus excitandos, quippe isti ex medicorum consensu iam sunt inchoata pollutio, vt igitur, qui illam cauere iubetur, non possit non ad ista etiam vitanda obligari. Neque vero (quod probe notandum) in luxuria datur aliqua, vti vocant, *materiae leuitas*; quia ob naturae corruptionem semper adest periculum proximum peccati; et sane tam lubrica est natura, vt heic gradum intra certos terminos sistere, et quousque progressus quis sit, diiudicare, plane impossibile reddatur.

§. 441.

Colliges III. Etiam *coniuges* contra Legem naturae peccare, si quid faciant, quod non tanquam legitimum *medium* ad *finis coniugii* saltem *indirecte* ordinetur; aut eidem omnino *repugnet*. Medium quippe semper est propter finem, atque coniuges non minus, quam omnes alii partibus corporis, et membris ex Dei praescripto vti tenentur. §. 438.

§. 442.

Obiicies I. Fornicatio commissa cum muliere notorie sterili, aut quando educationi prolis subnasciturae satis est prouisum, non aduersatur fini, quem Deus per coniugium intendit: ergo non aduersatur Legi naturae. **II.** Proli melius est miseram esse, quam non esse; et quum tempore fornicationis nondum existat, falsum est, quod vulgo iactatur, eidem fieri iniuriam propter defectum bonae educationis. **III.** Licita est conseruatio pro-

propriae vitae, et sanitatis: atqui ad hanc eiectio feminis potest esse necessaria, non minus, quam emissio sanguinis; ergo nequit esse I. N. prohibita. Quin licet subinde expellere foetum iam conceptum: igitur multo magis semen. IV. Fornicatio non est prohibita propter delectationem, utpote quae etiam habetur in coniugio; sed propter deordinationem: atqui potest aliquis cogitatione consentire in delectationem, quum consentiat in deordinationem, et velit fornicari: ergo. V. Si ipsae etiam cogitationes obscenae grauerent essent vetitae, tunc vel propter ipsam cogitationem, vel propter delectationem: non primum, quia secus nunquam liceret de talibus cogitare, quod falsum est; sed nec secundum; nam delectatio v. g. de furto sine voluntate committendi furtum non est peccatum, sicut nec delectatio de actu aliquo virtutis absque voluntate illum exercendi virtus est: ergo etc.

§. 443.

Respondeo ad I. n. a. quoad *primam partem*: Coniugium procreandorum causa liberorum a Deo institutum est, non *explendae gratia libidinis*, quam ille solam quaerit, qui ad fornicandum studiose mulierem *sterilem* eligit. Et sane quum solius delectationis sensualis causa nunquam agere liceat, uti patet *ex sectione Scholastica C. 3. Ethicae generalis, siue Aretologiae*: ipsi etiam coniuges culpa orani non vacant, si tantum voluptatis causa rei uxoriae dent operam; quamvis grauerent non peccent, propterea, quod ex reuelatione constat, Matrimonium etiam tanquam *remedium concupiscentiae* a Deo esse *permissum*. Quanto ergo minus excusari possunt, qui medio, quod Conditor ad certum statum, finem, et modum restrinxit, §. 438. suo arbitrio ad exsatiandam libidinem abutuntur? Quoad *secundam partem* d. a. eiusmodi fornicatio fini conditoris non aduersatur *per accidens*; c. *per se*; n. fornicatio *per se*, et *ex natura sua* post se trahit susceptionem prolis, atque iterum

per se, et ex natura sua post se trahit malam pro-
 lis educationem, quippe bonam fornicarii tanto
 minus intendere solent, quanto magis ipsam pro-
 lis susceptionem vulgo impedire student, et sobo-
 lem iisdem plerumque inuitis natam negligere
 consueperunt; Pater praecipue, qui tanquam in-
 certam, et vulgo quaesitam fere contemnit. Vn-
 de etiam fieri videmus, miserrimos eiusmodi libe-
 ros non nisi ad scelera, ad onus, ad probrum hu-
 manae societatis ac Reipublicae succrescere. Igi-
 tur *per se* quidem fornicatio quam maxime fini,
 quem Conditor per coniugium intendit, aduersa-
 tur: quod si autem *per accidens* educationis obliga-
 tioni heic et nunc satisfiat; tunc id nec *generale*
periculum, nec *generalem naturalis Legis rationem*,
 adeoque nec *ipsam Legem* tollit; vti patet ab ipsis
 etiam Legibus humanis, quae propterea non ces-
 sant, quod in vno vel altero tantum casu ratio
 Legis sublata videatur. Deinde falsa est etiam
consequentia: Ideo enim omnis ventus adeoque
 etiam fornicatio est Iure naturae prohibita, quia
 per Legem naturalem Deus illius usum intra con-
 iugium restrinxit: §. 438. ergo licet etiam extra
 coniugium possit soboles bene educari: hoc tamen
 est niti contra finem et ordinem Conditoris, et
 sic in eiusdem cedit contumeliam, adeoque est
intrinsece malum, et Iure naturae vetitum, vtpote
primo eius principio contrarium.

§. 444.

Ad III. inprimis *retorqueo primam partem*:
 Melius est proli esse miseram, quam non esse: ergo
 etiam ex incestu et adulterio licebit sobolem quae-
 rere. Haec illatio si falsa est, vti nemo dubitare
 potest: patet enimvero non solum *physicum* prolis
bonum; verum plura alia simul pensanda esse, an-
 tequam fornicatio excusetur. Igitur *dist.* melius
 est in ordine *physico*; c. in *moralis*; n. atqui ad sta-
 tum moralem praecipue attendere debent, qui
 Parentes fieri volunt, vti satis patet ex dictis de
officiis societatis coniugalis, et Parentalis. Vnde
 etiam

etiam parum interest, quod, quemadmodum in altera dicitur parte obiectionis, proli nondum existenti *iniuria proprie dicta* fieri nequeat; satis quippe contra suum agunt officium, qui rei operam dant, quae proli subsecuturae nocere nata est, et eam fere semper magnis inuoluit miseriis. Denique nunquid et *sui* rationem habere debent eiusmodi homines? quis autem dicet illis *melius* esse fornicari?

§. 445.

Ad III. d. *maior*. Licita est conseruatio vitae et sanitatis *saluis ceteris maioribus officiis*; c. *secus*. n. §. 230. d. etiam *min.* necessaria est subinde eiectio feminis; et simul *prohibetur officiis aliis maioribus, transeat*; non *prohibetur*; n. *min.* et *consequ.* Inprimis casus vrgentis eiusmodi periculi est plane rarissimus; Deinde semen ad *nihil aliud* est ordinatum a Deo, quam ad *speciei propagationem*: ergo etiam *non aliter* eo vti licet, quam ad hunc finem, id quod vel a brutis quoque animalibus fieri videmus; si quid ergo sit aliud, quam maxime nocetur *bono vniuersali totius speciei humanae*. Hoc ipsum magis inde patet, quia, si semel licitum esset feminis effusionem extra actum coniugii procurare; ipsa quidem illa, quae sentitur, vehementissima voluptas excaecaret homines, atque alliceret, ad iustas huius rei causas passim confingendas, quod non posset non esse cum maximo speciei humanae detrimento coniunctum: quia si simul ea voluptate frui, simulque coniugii et educationis onera subterfugere homines possent: plurimi certe ab ipso matrimonio abhorrent. Iam vero *bonum totius societatis humanae* et eius conseruatio grauiori certe obligat officio, quam bonum et conseruatio valetudinis, atque etiam vitae singulorum, vt adeo vel sola hac ratione debeat pollutio *praecepto naturali negativo semper et ubique stringente* esse prohibita, neque villo valetudinis praetextu possit excusari. Porro autem nihil simile obtinet in *sanguine*, vel etiam

aliis membris, quæ quum insuper per se ordinentur ad constituendum totum, merito pro conseruatione totius impenduntur. Foetum denique humanum expellere nunquam licet, nisi certo constet, illum in vtero iam esse extinctum; tum quippe nulla iam superest illius seruandi ratio; secus vero, etiam supposito, quod nondum sit animatus, eadem pro illo pugnat ratio, quæ superius de feminis expulsionem data est: animati autem temporalis et aeterna vita omnibus aliis praeualet bonis temporariis, atque ipsi etiam maternae vitae. Vide dicta §. 284.

§. 446.

Ad IV. d. maior. Fornicatio non est prohibita propter delectationem, si haec consideratur tanquam *medium legitimæ procreationis*, quale tantum est intra coniugium, c. si consideratur tanquam *primarius finis*, qui a fornicantibus fere solus intenditur, aut saltem tanquam *medium illegitimæ procreationis*; n. vide dicta §§. 438. et 443. dist. etiam minor. Potest aliquis consentire in delectationem, quin consentiat in deordinationem, vt *actu exteriori consummandam*; c. vt *interius amantam*; n. hoc impossibile, et praeterea semper cum proximo periculo *mali desiderii* coniunctum esse, ostensum est §. 440.

§. 447.

Ad V. respondeo cogitationes obscœnas grauius vetitas esse propter *cogitationem* non vtique mere speculatiuam, quæ ex fine honesto, certe permiffa est, vti patet in Philosophis, Medicis, Theologis etc. quibus eiusmodi rerum cognitio non vtilis tantum, verum etiam necessaria est: sed propter *cogitationem practicam*, id est cum amore rei obscœnae, nihil a voluntaria delectatione differente, coniunctam. §. 440. Neque paritas aliqua vrget de furto, et similibus flagitiis, quia etiam cogitatio de illis, nisi sit mere speculatiua, et tantum de ingenioso talia patrando modo etc.

etc. delectetur, procul dubio mala est, et iuri naturae statim repugnat, quamprimum incipit amare ipsam v. g. furti *malitiam moralem*. Porro delectatio deliberata *de virtutis honestate*, vbi actus non cadit sub obligationem, iterum est bona et *verae virtutis* rationem habet: si autem actus cadit sub obligationem, tunc bonum non est ex integra causa, adeoque totus actus vitiatur *ex dictis de moralitate actuum humanorum*. Quodsi denique cogitatio de virtute sit *mere speculatiua*; tunc quia, vt supponitur, non adest *amor boni*, etiam nulla adest *virtus*. Sed hoc ipso paritas non procedit, quia etiam cogitatio *mere speculatiua* de rebus obscenis *per se* non habet rationem vitii. Interim tamen in hoc magnopere vtraque discrepat cogitatio, quod cogitatio de virtute cum delectatione de rei veritate, nullo modo sit periculosa, qualis tamen est cogitatio etiam *mere speculatiua* de rebus obscenis propter corruptionem naturae; vt adeo, nisi ex causa honesta et graui, talibus vacare minime deceat. Sed enim satis de rebus loquuti sumus, quae tacere, aut certe ignorare melius foret. Quia tamen carnis flagitia tam leuiter patrari, et leuius adhuc, postquam omni opinione citius in consuetudinem fere incorrigibilem abierunt, excusari et contemni solent; haec etiam pertractatio superuacanea nobis visa non fuit, quin necessaria etiam, ne forte quidam venenatis quorundam tum A catholicorum, tum etiam nostrae Religionis malefactorum hominum principis sibi imponi patiantur, et cum summo aeternae salutis discrimine ad excusandas excusationes in peccatis irrito labore conuertantur.





CAPUT III.
DE OFFICIIS CIVILIBUS.

SECTIO I.

DOGMATICA.

ARTICULUS I.

DE NATURA, ET ORIGINE
CIVITATIS.

§. 448.

Explanatis officiis monasticis et oeconomicis superest, vt a statu hominis *solitario*, et simplicibus minoribusque societatibus ad compositas ac maiores transeundo hominem etiam tanquam *membrum reipublicae* consideremus, et quibus in hoc *statu Legibus limitetur*, ostendamus. *Vid. dicta §. 231.* etc. Quum vero hoc argumentum non sit difficilius, quam vastius, et totius *Juris publici communis* principia in se complectatur: nobis quidem intra *Ethices angustias* coartatis sufficere ex *Iure naturae* ea deducere, quae sublimioribus *Disciplinis*, vberiore cum fructu suo deinceps tempore excipiendis, veluti pro fundamento substrata non inutiliter possint seruire.

§. 449.

Facile autem est ad existimandum, nos *ciuitatis* nomine hoc loco non vtique *urbem* aliquam cum suis incolis, ac aedificiis intelligere; sed *insignem aliquam hominum multitudinem*, qui in *naturalis statu libertatis §. 349.* positi *felicitationis per securitatem procurandae tuendaeque causa* sub *communi aliquo Imperante certis legibus consociantur*. *Istam definitionem* nunc quidem ceu *arbitrariam*, ac *nominalem* adoptamus: at vero ex dicendis patebit, eam esse *realem*, et naturam *ciuitatis*, prout heic sumitur, satis apte exprimere.

§. 450.

§. 450.

Verum enim de ipsa iam eiusmodi ciuitatum origine vehementer inter se altercantur Iuris naturae Doctores. Alii earum genesin ad ipsius reuocant consecutionem naturae; in quam rem luculentus existat Ciceronis praecipue locus, (a) ex auctis connubio familiis, et consobrinorum sobrinorumque coniunctionibus colonias exisse, perque nouas iterum coniugiorum, affinitatum, et liberorum accessiones ciuitates denique, ac republicas subortas esse existimantis. At vero, uti recte contra Hornium Puffendorfius animaduertit, (b) fratrum ac propinquorum amor sua se quidem sponte eo haud extendit, ut illi inuicem subiecti, quam aequales viuere malint; adeoque separationi potius, quam ciuitatis aggregationi occasionem dedisse legitur numerosior vnus familiae propagatio. Gen. 13. Alii ad rerum plurium indigentiam recurrunt, qua homines subactos credunt, ut in ciuiles coirent coetus: Sed enim ex infra dicendis citius ciuitates extitisse videntur, quam talis vrgeri poterat penuria; et Patriarchas satis commode extra ciuilem societatem, ac non sine pecunia, non sine artibus, mercimoniisque vixisse, imo luxu illo, subinde per ipsas ciuitates introducto, feliciter caruisse, euidenter docemur sacra, eademque omnium Gentium vetustissima historia Gen. c. 13. 24. et 33. quibus testimoniis, si illa adiungamus Gen. 14. 18. 23. etc. deprehendemus, tantum etiam illos populi electi parentes a morum inculta barbarie alienos, ita ad omnem honestatis elegantiam excultos inter amplas, quamuis nonnisi oeconomicas victitasse familias, ut neque a solitudinis taedio, neque a morum beluina feritate vniuersalis, et necessaria quaedam ad amplectendum ciuitatis statum consecutio inferri posse videatur. Quemadmodum etiam sola utilita-

(a) 1. Off. 19.

(b) 1. N. L. 7. c. 1. §. 5.

tis ratio, et Iustitiae fruendae cupiditas haud satis efficaciter euincit, homines vnica istarum rerum consequendarum fiducia impulsos naturali libertati, quae illis non potuit non esse suauissima, renuntiasse: Sane enim tantis adhuc, quamuis se greges, frui poterant commodis, vt reliquorum, quae deerant inopiam haud difficulter exemptio a ciuilibus oneribus solaretur; Neque obstabat quidquam, quo minus Patres familias domesticis suis ius dicerent, eorumque controuersias feruente aliqua lite subortas dirimerent.

§. 451.

Quum igitur illarum causarum, quae communius afferuntur (nihil quippe moramur opiniones a verisimilitudine longius adhuc recedentes) nulla satis per se momenti habere videatur, vt credi merito possit, ea coactos fuisse compulsosque homines ad abdicandam dulcissimam naturalem libertatem, ad se alieno imperio subliciendos, ad ius vitae et necis Imperantium arbitrio in propria capita permittendum, ad res et actiones, in societatis potius, quam proprium singulorum bonum conferendas, quaeque cetera sunt non minus insuauia ciuium officia, atque onera: maior quaedam necessitas istius societatis constituendae consilium mortalibus extorserit opus est. Iam vero ea est nostra omnium natura, vt, modo si rationis, et virtutis semitae insistere placeat, *homines plurimum hominibus profint*; ea autem simul naturae inest corruptio, vt iidem sibi inuicem, *et vehemētissime obsint*; (c) quoniam nimirum ad cupiditates plerique procliuēs dominari aliis, eos subiugare, et rebus suis spoliare mirifice cupiunt, modisque omnibus nituntur. Quare *vt magnas utilitates adipiscimur conspiratione hominum, atque consensu: sic nulla tam detestabilis pestis est, quae non homini ab homine nascatur.* (d)

§. 452.

(c) Cicero 2. Off. 5.

(d) Idem ibid. paulo ante.

§. 452.

Itaque quum naturali quidem omnes instinctu felices esse, et hoc ipso felicitatis praesidia conquirere, conquistaque tueri, summa diligentia contendant: non tamen quisque genuinas habemus de vera felicitate ideas, quam improbi in excutiendis suis cupiditatibus pessime reponunt; interim his ipsis, potius nihil segnus, atque ita intenti, ut quidquid obstat, malum arbitrentur, atque ad id ipsum amolendum haud minus sibi quaecunque idonea praesidia circumpondere studeant, quam, qui boni sunt, modis omnibus verae felicitatis praesidia tueri, et mala prosperitati suae minitancia abs se depellere laborant. Sed enim praesidium seu verae, seu falsae felicitatis validissimum adipiscimur conspiratione hominum, atque consensu: §. praec. igitur hanc quidem cuiuscunque felicitatis per securitatem adipiscendae, ac unitis arcifitorum plurium hominum viribus tuendae cupiditatem genuinam esse, et propriam ciuitatum originem existimamus, quatenus nimirum homines hunc finem obtineri non posse viderunt, nisi contra obstitutorum, aut re ipsa resistentium vires consociarentur. Quo facto non potuerunt quidem non ocyus animaduertere, hanc ipsam suam societatem inutilem futuram, nisi naturali libertate cupiditati, aut maioribus necessitatibus postposita inaequalem illam facerent, ac rectoriam; ne scilicet multorum dissentientibus studiis, ac voluntatibus, finis affectionem impedirent potius, quam promouerent.

§. 453.

Porro autem, qui boni sunt, et veram tantum felicitatem pro votorum cynosura habent, illi etiam ita suis imperare debent cupiditatibus, ut propter amplificandam auctoritatem et potentiam, augendasue opes neminem vnquam iniuste laedere velint: igitur si omnes fuissent tales, carere potueramus tota ciuili societate, quoniam nihil felicitati re ipsa necessarium nobis defuturum, §. 450. nihil etiam securitati

ritati nostrae ab aliis metuendum fuisset. *S. praec.* Quare manifesto liquet, *improborum licentiae* prima ciuitatis incunabula deberi; tum quod hi publica securitate suis primum facinoribus turbata proprio exemplo docti sint, quid ab aliis possint et debeant timere: tum quod aliorum sibi personas ac bona subicere per detestabilem ambitionem ac auaritiam in animum induxerint, et tam illis timoribus auertendis, quam hisce cupiditatibus explendis impares, cum aliis eiusdem farinae hominibus se conglobarint, vt vnitis viribus et securitati suae, et exstimate felicitati etiam cum illorum, quos sibi obstare credebant, oppressione prouiderent: quo facto ea bonis quoque imposita est *necessitas*, vt, quum aliud tuendae contra iniquas improborum machinationes felicitatis praesidium non superesset, *vim vi repellere* studerent, atque ad pares flagitiosorum multitudini vires opponendas in ciuilem inter se coirent societatem, cuius nimirum metu et opibus prauorum simul coerceretur licentia, et publica simul sui ipsorum securitas munitur.

§. 454.

Et haec quidem de ciuitatum origine sententia, ad quam ab ipsa velut natura manuducimur, hodie, quoad substantiam saltem, communius recepta, reque vera sacrae historiae, qua nullum antiquius habemus vetustatis monumentum, ex asse conformis est. Namque prima ciuitatis mentio ibidem iam quarto fit *Genesis* capite, quando *egressus Cain a facie Domini habitauit profugus in terra ad orientalem plagam Eden -- et aedificauit ciuitatem.* (e) Quod si enim vltro Ioanni Clerico largiamur, quod non vsquequaque certum est, *tenuem hanc fuisse casarum collectionem, maceria forte, aut sepe viridi cinctam:* (f) tamen verisimillimum manet, haec sibi fratricidam praesidia circumposuisse, quod non satis securitati suae

(e) v. 16. et 17. vide etiam *Dufresnoy Tab. Chronol. ad annum mundi 129.*

(f) *Comment. p. 49.*

suæ illo signo, quod a Deo acceperat, cautum existimauerit, timueritque, ne similia alii tentantes sua illum quacunq̃ue felicitate multarent, et interficeret eum omnis, qui inuenisset eum; (g) Igitur si primo huic Scripturae testimonio inhaerere libeat: patet, a malo homine metum turbandæ cum securitate felicitatis, et inde ipsas ciuitates originem duxisse; quippe vti recte animaduertit Heineceius, (h) multarum saltem familiarum societas, qualis ista certe fuit, sine aliquo civili regimine intelligi vix potest. Quomodocunq̃ue autem res ista se habeat; luculentius nobis testimonium de origine ciuitatum Scriptura post diluuium suppeditat Gen. 10., vbi *Nemrodus nepos Chami, et pronepos Noachi, coepit esse potens in terra, (i) et quem prius bene ad extirpandam ferarum noxiam multitudinem verterat impetum, nunc etiam in homines effundere non dubitauit: fuit autem principium Regni eius Babylon, et Aruch, et Achad, et Chalanne in terra Senaar. De terra illa egressus est Assur, (l) et aedificauit Niniuem, et plateas ciuitatis et Chale, Resen quoque inter Niniuem, et Chale: hæc est ciuitas magna.* Itaque tum primum bella hactenus incognita proruperunt, prodieruntque, vt pulchre aduertit laudatus Bossuetus, (m) illi Prouinciarum Praedones. quos deinceps Victores placuit nominare, qui sola imperandi ambitione impulsæ, tot innocentes exterminarunt. *Nemrodus maledictus*

(g) Gen 4, 14. et 15. vide etiam Discours sur l'histoire uniuerselle par Bossuet. l'an du monde 129. f. 9.

(h) I. N. L. 2. c. 6. §. 104.

(i) v. 8. 10. etc.

(l) Id est, vt ceteris melius multi interpretantur: Nemrodus inuasit, ac occupauit regionem, quæ deinceps, et iam Moësis tempore Assyria dicebatur; at Micheas C. 5, 6. iterum terra Nemrod vocatur; vt itaque vox Assur hæc localiter intelligenda videatur.

(m) Seconde Partie f. 143.

ledictus furculus maledicti Patris bella gerere coepit, non alia allectus causa, quam ut sibi regnum stabiliret. Quemadmodum vero multos detestanda Nemrodi exempla sequutos; et potentissima quaeque Regna latrociniarum occasione subnata esse omnibus deinceps historiarum tabulis docemur: ita etiam credibile nequiquam est, omnes omnino homines hisce improborum conatibus aut nunquam, aut semper incassum restitisse; imo bonos etiam defensionis gratia ad ciuiles societates conuolasse, inde satis probatur, quod aliquot post saeculis, id est Abrahami tempore plura iam cum Dynastiis Regna occurrant, et horum quaedam tam venuste administrata, vt tam probrosas instituta modis minime videantur.

§. 455.

Paulo diligentius fuit *origo ciuitatum* peruestiganda, quod sine eius cognitione solidi nihil circa ipsa huius societatis *officia* statui possit, quippe quae ex eiusdem natura deriuari debent. iam vero si illis inhaerere placeat, quae post diluuii tempus ex historia, et ex ipsius humanae indolis consideratione §. 451. etc. magis sunt explorata: *duplicem* sane Ciuitatum *originem* habemus, quarum vna alteram post se trahit. Primo nimirum improbi certo sub duce ad vim impune innocentibus faciendam se conglobarunt, vt existimata sua felicitate possent potiri; et de hac ciuitate dubitari non potest, quin *iniustissimus* sit *latronum coetus*: istorum deinde violentia homines etiam innoxios excitauit, vt, quod vnum supererat felicitatis tuendae praesidium, et ipsi in ciuitatem confluere, quatenus nocentium viribus pares opponere vires, suaeque consulere securitati possent; et huius quidem finis iustitia facit, vt eiusmodi societates pro *iustis* omnino sint *Rebus publicis* habendae.

§. 456.

Inde conficitur I. Deo non diserte et absolute iubente (vti quidam existimant Pseudopolitici) sed quod *commodum* erat hominibus *permittente*, quodque

que ad innoxiorum defensionem ac securitatem *necessarium* videbatur, *probante*, aut certe non nisi *generaliter praecipiente*, ciuitates esse subortas *vid.* §. 259. II. *Finem* cuiusque ciuitatis esse *adeptionem felicitatis ciuium securitate munitam*. Namque nihil aliud ipse etiam Cainus respexit, vti patet *ex dictis* §. 454. Post diluuium quoque ad felicitatem *falsam* illi latronum coetus aspirabant; ad *veram* iustae Republicae. §. 452. et *praec.* Quoniam vero ad neutram sine *securitate propria* quisquam peruenire potest, vtriusque generis ciuitates eidem *parandae* incumbebant, et adhuc incumbunt, ita quidem, ut vel hodie Affricani illi Piratae, Algirenses, Tunetani, Tripolitani etc non solum sibi contra *exteros praesidia* circumponant; verum etiam inter se rigidam administrent iustitiam, ne, si qua in alios *saecuitiae statuunt exempla*, eadem inter illos impune vigerent, mutua sociorum cupiditas ipsam hanc latronum societatem euertat. III. *Essentialem ciuitatis notionem* ratione *subiecti* nihil aliud inuoluere quam *iustam hominum multitudinem*, quae ad *vim aliis inferendam*, vel *eandem depellendam sufficiat*, et quum id fieri possit per *viros solos*; *uxores ac familias* ad ciuitatem necessarias non esse; nisi quod sine illis (saltem si mortalium defectus non aliunde *suppleatur*) eiusmodi ciuitas per aetatem non nisi *vnam* esset duratura. Multo autem minus ad ciuitatem *constituendam* opus est *Territorio, maenibus, vrbe etc.* vti patet exemplo Iudaeorum in deserto *quadraginta annis morantium*, et Atheniensium, se in naues conferentium, *ex Cornelio Nepote in Themistocle c. 2.* IV. Colligitur, ciuitate semel *secundum praecipuum eius finem constituta*, et *securitate sufficienti munita* plura vtique eius societatis *commoda inueniri*, et *addi potuisse*; qualia v. g. sunt illa §. 450. recensita, quae in ipsam ciuitatum *originem* quidam *refuderunt*: haec vero *inuenta ac addita* tanto *efficacius deinceps inuitare ac allicere* potuerunt homines, vt et ipsi *libentius reliquorum exemplo* in *similes ciuitates commigrarent*. In hunc

P. Schwarzhueber Eth. P. II. T igitur

igitur sensum interpretandi sunt Poetae veteres ; qui a primis ciuitatum conditoribus homines per filias dispersos in vnum collectos fuisse tradiderunt. V. Denique conficitur, homines semel in ciuitatem congregatos, et deinceps ampliandis suis commodis intentos, modo si vera sectarentur bona, efficere successu temporis potuisse, vt quae principio ciuitas iniusta erat, et latronum coetus; emendata eadem tandem iustae Reipublicae faciem indueret; quemadmodum e conuerso, si in falsa bona atque commoda animum intendebant, non potuit non fieri, quin iusta olim Respublica denique in latronum coetum degeneraret.

§. 457.

Hactenus de *origine et causa impulsua* constituendae ciuitatis, nunc propius ad *internam eius structuram* accedendum est. Haec consistit I. in *mediis*, quae ad finem ciuitatis obtinendum sunt necessaria, atque ex eodem fine deriuari debent: II. in *iuribus* etiam, atque *officiis* sociorum in ciuitatem coalescentium, quae quidem ex ipsis mediis ad finem necessariis dimetienda sunt. Namque in *media* procul dubio consentire, adeoque etiam *iura*, quae hinc nascuntur, rata habere, et *officia* sub mediis comprehensa in se suscipere debent, qui finem aliquem serio volunt. Igitur ista etiam *ciuilis societas*, quemadmodum reliquae omnes, §. 368. pacto nititur, eoque vel *expresso*, quale inter illos intercedit, qui diserte in ciuitatis constitutionem consenserunt; vel *praesumpto*, quale in illis supponitur, qui vnitis iam ciuibus sponte se aggregant, aut ex ciuibus nati in spem ciuitatis educantur.

§. 458.

Ciuitas consistit in *hominum multitudine*: §. 456. Quum autem vix vnus homo secum ipse semper *consentiat*: multo vtique magis de vnanimi multitudinis consensu in aptissima quaeque ad finem, et bonum ciuitatis obtinendum *media* (quae varia variis temporibus requiri nemo ignorat) desperandum esset.

Itaque

Itaque *nouo opus est pacto*, vi cuius, qui in ciuitatem coalescere volunt, consentiant in *regimen* aliquod sub certa forma instituendum, penes quod sit Reipublicae cura, et rerum ad finem bonumque necessariorum, decernendi potestas, cuiusque se voluntati totus reliquus populus submittat. Patet igitur societatem ciuilem necessario esse *inaequalem*, ac *rectoriam*; adeoque eligi debere *unum* vel *plures*, cui aut quibus *consentientibus*, quae placuit regiminis forma (pro *Lege fundamentali* nouae ciuitatis deinceps seruitura) exercenda deferatur; ita sane, vt electi non minus se ad *praescriptam regendi normam componere*; quam reliqui horum imperiis obtemperare, *suasque submittere voluntates* teneantur. Quippe manifestum est, aliter ciuilis societatis finem obtineri nulla ratione posse.

§. 459.

Facile autem intelligitur, quomodo praedicta obtemperandi necessitas in ciuitate suboritur, quae *libera populi consensione* constituitur: non tamen perinde id liquet, si gens nemini adhuc obnoxia, vel in ciuitatem iam olim sociata *potentioris populi iniqua ambitione sub iugum mittitur*, et cum victoribus in vnam coalescens rempublicam illorum pati imperia, aut pristini regiminis formam nouare, vel certe Dominum mutare compellitur, quamuis enim et heic *pactum* manifesto intercedat; quoniam victi accipere condiciones quamuis duras, quam perire maluerunt: tamen quum pacta *metu iniusto* extorta Iure naturae non valeant, §. 324. nulla hinc sane exsurgere posse obligatio videtur; quin potius fas erit oppressis, vt oblata occasione iniquum excutere iugum festinent. Verum licet tum dicta obtineant in *pactis priuatis*: aliud longe dicendum est de *publicis*, quae *metu quamuis iniusto extorta* sancte seruari non minus refert totius humanae societatis, quam ipsius partis victae: etenim illa perpetuis iactaretur bellorum procellis; ista pacem nunquam impetraret, si sciret victor in arbitrio esse subiugatorum, si quando fauente malint fortuna a foederibus recedere. Quare

heic etiam vera *obligatio* locum habeat, necesse est; *Ius* vero *exigendi* haud est quidem penes *iniquum oppressorem*, cui illud ex iniuria accrescere nequit: §. 324. led apud *ipsam Rempublicam*, cuius bonum ac salus in religiosa eiusmodi pactorum obseruantia vertitur.

§. 460.

Ciuitas modo ex recensitis quocunq; subnascens vel ita constituitur, vt omnes focii voluntates suas, §. 458. *vnus* arbitrio submittant: et tunc *regiminis forma* dicitur esse *monarchica*; vel ut *plurimum* pareant decreto: et sic *aristocratica* vocatur; vel denique, vt nonnisi per communia *totius populi* suffragia, quod publice agendum est, statuatur: et haec *democratica* appellatur. Has solas regiminis formas *regulares* esse Veteres contendebant.

§. 461.

Potestas hisce Imperantibus a populo delata extendit se ad ea omnia agenda, et decernenda, quae ad finem ciuitatis obtinendum, et eius bonum procurandum sunt necessaria; §. 458. et peculiari vocabulo *Maiestas* nuncupatur: Itaque *Maiestatis iura* ea sunt omnia, quae cum illa potestate coniuncta sunt, et sine quibus finis, bonumque ciuitatis procurari ab Imperantibus non potest.

§. 462.

In *Monarchia*, qui rerum potitur, solus omnia publica suo agit arbitrio, id est solus *iura Maiestatis* §. praec. exercet: supponitur quippe, quod se illi omnes submitserint. §. 458, et 460. Igitur perinde est, *Imperator*, an *Rex*, aut *Princeps etc.* dicatur. Ceterum non vtique propriam libidinem sibi pro voluntatis norma statuere potest; sed eam, quae placuit, *Regiminis formam*, tanquam *Legem fundamentalem* seruare, et quidquid agit tanquam summus Imperans, id ad finem ciuitatis, siue ad felicitatem ac securitatem subditorum accomodare tenetur; quoniam hac solum causa reliqui illius imperio sese submitse-

miserunt. §. 458. 460. et 461. Ex hoc sponte sua subnascitur notio *Tyrannidis*, quae tanquam vitiosa Regiminis forma Monarchiae opponitur; et tunc inualefcit, quando vnus aut iniuste summam occupat potestatem; aut ea legitime delata ad proprium tantum commodum neglecto fine Reipublicae abutitur.

§. 463.

In *Aristocratia* penes plures summa viget potestatis, §. 460. quod ita accipiendum est, vt non apud singulos; sed in toto illorum, quos *Optimates* vocare solemus, collegio resideant iura *Maiestatis*. §. 461. Isti ergo communibus suffragiis de Reipublicae bono in medium consulere tenentur. Quia vero etiam inter hos vnanimis consensus raro expectari potest: §. 458. *maiora vota* vincant necesse est: vbi autem pares obtinent sententiae, aut nihil erit actum, quod *Calculus Minervae* vocant: (n) aut poterit ex more multis in locis recepto, is qui praesidet collegio, suomet suffragio pondus alterutri parti adiicere. Opposita Aristocratiae, eademque vitiosa regiminis forma est *Oligarchia*, quando pauci ad se trahunt dominatum. Cauendum est igitur, ne valituri decreti robur Sanctionibus accedere possit, nisi maxima optimatum pars deliberationi interfuerit.

§. 464.

In *Democratia* Maiestas tota est apud *populum*. §. 460. hunc igitur, dum deliberatu opus est, ad comitia conuocare oportet, vt ibidem opportune in tribus, curias, centurias, vel quacunque demum ratione diuisus, aut etiam viritim suffragia ferat. In

T 3

ipsis

(n) *Orestes* nimirum in *Arcopago* a parricidii crimine absolutus fingitur, dum *Minerua* absoluentium calculis vnum adiecit, et sic illos cum damnantium calculis exaequans praedixisse fertur, fore, vt ista *Lex* ubique obtineret, et in paribus calculis reus vinceret.

ipsis autem hisce coetibus, nisi maiora iterum vota Legis vigorem haberent, magna opera ageretur nihil. In *Olochratiae* vitium ista regiminis forma degenerabit, si totius loco populi turba quaedam, aut fex plebis tumultuosa omnia per vim et nefas decernat.

§. 465.

Deterior autem vniuersis vitiosis regendi formis *Anarchia* est, quando omni rupto vinculo nulla penitus habetur imperantium et obedientium subordinatio: vt adeo (quod quidam Veterum sapienter dixit) *melius sit habere Principem malum, quam nullum*; quia vbi nullus, aut etiam haud melior, quam nullus est Princeps, *ibi omnes mali plerumque principantur.*

§. 466.

Sed neque *regulares Regiminis formae*, §. 460. tam valida felicitati securitatique populorum circumponunt munimenta, nihil vt timendum relinquunt. Hospes sit in historia oportet, et humanae indolis plane ignarus, qui nescit, easdem omnes in opposita, et hactenus enarrata vitia facillime degenerare. Itaque quamlibet veteres reclamant Philosophi; §. 460. paucissimis tamen hactenus placuit ciuitatibus, ad vnam se tantum eiusmodi formam alligare; sed contra pleraeque Respublicae ex iisdem geminas, aut omnes tres ita *miscuerunt*, et in vnam conflarunt, vt altera alteram confirmaret, atque intra iustos limites coerceret; quemadmodum satis patet exemplo tot Parliamentorum, comitorum, Senatum Regni etc., qualia quidem libertatis patriae praesidia, et potestatis Regiae temperamenta passim reperire est. Haec autem quum ita sint fere instituta, vt in rebus maximi momenti Iura Maiestatis nec Princeps sine Senatus, aut populi consensu, nec Senatus, populusue absque Principis accedente auctoritate exercere possit, aut vtraque saltem pars vt certos habeat potestatis limites, adeoque summum imperium adhuc maneat re ipsa, et in effectu *indiuisum*,
neque

neque tollat *unitatem voluntatum* ad Reipublicae finem necessariam: §. 458. talis etiam Regiminis forma *mixta* melius, quam *irregularis* vocatur; et ita non potest sperni, vt potius summopere commendari mereatur: namque *manifestum est*, recte ait Polybius, (o) *eam rempublicam censeri debere optimam, quae ex omnibus istis formis est composita*: quoniam nimirum ad finem ciuitatis accommodatissima, a vitiis etiam Regiminum periculo longissime est remota. Eiusmodi autem ciuitatis iura, atque officia, tum Imperantibus, tum obedientibus propria, dimetienda sunt ex tenore *Legis fundamentalis*, §. 458. circa ipsam Regiminis formam olim adoptatae.

§. 467.

Ceterum quemadmodum *iusta hominum multitudo* in vnam coalescere ciuitatem potest: §. 456. ita etiam *integrae et plures ciuitates* felicitatis per securitatem tuendae gratia possunt certis mutuo conditionibus sociari. Hoc autem dicitur *Systema ciuitatum*, et tunc proprie loquendo oritur, quando *plures ciuitates, retenta quaelibet domestica regiminis forma mutuo foedere conspirant ad felicitatem ac securitatem publicam tum communem, tum propriam singularum coniunctis consiliis, ac viribus tuendam*. Achaicae olim tales fuerunt, hodieque exempla suppetunt in foederato Belgio, et Pagis Helueticorum. Potro autem huius etiam Systematis iura, ac officia sunt ex tenore pacti, quod inter se firmarunt, definienda.



ARTICULUS II.

DE SUMMAE IMPERANTIUM POTESTATIS ORIGINE, AC LIMITIBUS.

§. 468.

Delicatam aggredimur quaestionem, quae nostro praepriis aeuo vti vehementiore animorum contentione agitur; ita sane maiore partium, patriae, praeiudicatarumque opinionum, quam veritatis studio passim solet decidi. Et summam quidem Imperantium potestatem a Deo deriuari, vno velut ore omnes veteres Theologi, Catholici praecipue, fatentur: verum si illorum mentem, vti sapienter animaduertit p. m. Magnificus confrater meus, P. Gregor. Zalluein, (p) intimius libeat perscrutari; deprehendemus, eosdem supradictae potestatis originem eatenus ad Deum referre, quatenus hic rerum omnium, ipsarumque adeo rerumpublicarum, et connexae cum eisdem Maiestatis auctor, et fons originarius semper est suspiciendus. Vtrum autem summa illa potestas ad ipsos Imperantes *immediate* a Deo veniat, vel *a populo transferatur*; id enimvero aut non attingunt, aut non obscure ad posteriorem inclinant sententiam.

§. 469.

Excipiendi tamen videntur Gallicani Theologi, quos licet olim a ceteris discrepasse non satis appareat; tamen ex quo Bonifacius PP. VIII. contra Philippum Pulchrum R. in temporalia quoque Principum et Monarcharum sibi potestatem differtius asserere coepit; vt hisce postulatis obfisterent, praeter multa alia, denique hoc etiam praesidium conquisiuerunt, vt Potestatem regiam *immediate a Deo* deducere laborarent. Ceterum ipsi
Phi-

Philippo iam tum *se soli Deo acceptum referre imperium* contendenti, nec assentiri cum saecularibus Magnatibus, nec contradicere ausi sunt ecclesiastici Galliae proceres, propterea acriter Bonifacii Litteris increpiti. (q). Et quamvis deinde pro principio inconcusso, Ludouici Maxime XI. tempore, et agente eius ministro praecipuo Philippo Comminio in Galliis adoptatum fuerit, *Reges soli Deo ad rationem gestorum reddendam obnoxios esse;* (r) atque Clerus Gallicanus successu temporis per varias declarationes praeprimis vero in Comitiiis 1682. domesticum illud firmarit dogma, *Romano PP. nec directam, nec indirectam in Regum temporalia competere potestatem:* (quibus argumentis illius Gentis Politici praecipue vtuntur ad Regiam potestatem proxime a Deo deriuandam) nihilominus Alexander Natalis, Gallorum Theologorum hodie facile Princeps, circa hanc nostram controuersiam suam diserte aperire mentem satis non audet; quippe in historia sua Ecclesiastica (s) antea fassus, *quod regia potestas quodam sensu a Deo non sit immediate instituta, sed media hominum electione;* deinde in varias se torquet partes, et denique concludit, dicens: *ubi haec potestas in Regem transfusa est, nihilominus a Deo immediate est.* Porro vanissima et ridicula illa Gallorum fuit adulatio in comitiis Parisiensibus 1615. trium ordinum suffragio decernentium, aut saltem decernere parantium, *Debitam immediate vni Deo Regum in subditos potestatem veram esse Thesis, si de Galliae Regibus, Venetorumque republica intelligatur; dubiam vero, et plerumque falsam, si de Principibus promiscue accipiatur.* (t) Vnde, amabo, praerogatiua vique adeo peculiaris?

T 5

§. 470.

(q) *Fleurii hist. Eccl. L. 90. §. 8. et 17.*

(r) *Lengletii Introd. ad Hist. P. 3. c. 20. Edit. Germ. Gothensis. f. 19. confer. c. 29. f. 573. et 576.*

(s) *Saec. XV. et XVI. Dissert. 6. Art. 2. §. 18.*

(t) *Grammondus ad Pseffingerum T. 1. Praef. n. 8. Alii id tentatum; sed omissum dicunt.*

§. 470.

Verum enim limites omnes perripere Nicolaus Machiauellus, Hobbesius, Huberus, Houtuynus, Hornius, Boeklerus etc. quorum primus ex Regibus Tyrannos fecit, omnia Principi permittens, modo in proprium redundarent commodum: reliqui dum *Monarchomachorum* ad exterminandum Monarchicum regimen incumbendum seditiosis se opponunt dogmatibus, quidam principiorum iam ante perperam iactorum fallacia; alii quodam contentionis veluti aestu ultra fines, eoque delati sunt, ut subditis praeter ferream obtemperandi necessitatem nihil admodum relinquerent; atque aliqui omnia etiam *pacta* tollerent, praeter illud *unilaterale*, quo *populus Imperanti* adstringitur, qua quidem doctrina nihil ad inducendum, uti vocant, *despotismum*; nihil ad evertendam civium felicitatem potest esse efficacius. Porro his omnibus ipse etiam Grotius aliquo saltem modo praelusit, uti satis patet ex illis, quae *de Iure Belli et Pacis L. I. C. 3. §. 8.* docet, egregie a Gronouio in subiectis notis refutatus. (v) Praeterea autem hodierni praepriis Politici summa cura adnituntur, omniaque corradunt vndique argumenta, ut ab ipso Deo summae Imperantium Potestatis, Maiestatisque originem proxime deriuando Principibus suis *illimitatum in profana non minus, quam sacra omnia ius absolutissimamque potestatem* valeant vindicare.

§. 471.

Prouocant autem I. ad plurima diuinae Legis, et Patrum Ecclesiae loca; nobis vero sufficiet praecipua, quibus maius inesse pondus videtur, allegare: veluti dum *Sap. 6, 4.* dicitur: *Data est a Domino potestas vobis, et virtus ab altissimo.* Et *Rom. 13, 1.* *Non est potestas, nisi a Deo. Quae autem sunt a Deo, ordinata sunt.* Itaque qui resistit pote-

(v) *Edit. Amstelod. de anno 1735.*

potestati, Dei ordinationi resistit; qui autem resistunt, ipsi sibi damnationem aquirunt. Inter Patres antiquissimus ille Tertullianus: (w) *Inde est Imperator*, ait, unde et homo, antequam Imperator; inde potestas illi, unde et spiritus. Pari modo loquitur S. Irenaeus: (x) *cuius iussu homines nascuntur, huius iussu et Reges constituuntur apti iis, qui in illis temporibus ab ipsis regnantur*. Vnde et Augustinus (y) qui Augusto, inquit, imperium dedit, ipse et Neroni: qui Vespasianis, vel patri, vel filio, suavissimis Imperatoribus, ipse et Domitiano crudelissimo. Quibus quidem se principiis primi Christiani exacte conformarunt Tyrannos etiam, licet acerbissimos patienter absque vlla seditionis specie tolerando, ipsi quamvis tanto accreissent numero, vt Tertullianus illorum nomine Paganis dicat: (z) *Vestra omnia impleuimus, vrbes, insulas, castrilla, municipia, conciliabula, castra ipsa*.

II. Arguunt: Deus homines in vnam primum generis societatem, et rempublicam sub Adamo Principe coadunauit; deinde humano genere propagato illud in varias societates, ac respublicas voluit conuenire, quae quum iterum non possint esse sine summis Imperantibus; necesse est, vt his ipse supremam contulerit potestatem; tantoque id magis, quod quum neque singuli homines, vti apud Puffendorium (r) Hornius argutatur, neque multitudo dissoluta maiestatem habeat, eandem non possint in Regem conferre.

III. Licet, aiunt, priuato se in seruitutem addicere: §. 426. igitur etiam populo sub regiam conuolare licebit seruitutem, id est, sui regendi ius ita in Principem transcribere, vt nullam eius partem

(w) *Apol. c. 30.*

(x) *L. 5. c. 24.*

(y) *De ciuit. 5. c. 21.*

(z) *Apol. 42.*

(r) *de I. N. et G. L. 7. c. 3. §. 4.*

partem sibi retineat: hoc autem re ipsa fit, vbi populus olim bello subactus (quemadmodum ple-raque coepere regna) penitus a victore pendet. Eiusmodi vero potestas proxime a Deo deriuari debet propterea, quia si a consensu ciuium veniret, facultatem resiliendi durius habitis a victore victi procul dubio exercere, ac tueri niterentur.

Accedit IV. quod hac ipsa causa omnibus hodie hominibus persuasum videatur illud Plutarchi, (2) *Reges imperium habere non ex Legibus modo; sed et in Leges*, et M. Antonini Philosophi effectum, dicentis: (3) *Nemo, nisi solus Deus iudex Principis esse potest*. Et re quidem ipsa, in Imperiis, quia progressus in infinitum non datur, omnino in aliqua aut persona, aut coetu consistendum est. Hinc Principum peccata, quia superiorem se iudicem non habent, Deus sibi peculiari curae esse testatur, qui ea aut vindicat, si ita opus iudicet; aut tolerat in poenam, aut explorationem populi.

V. Denique absurda exaggerant, quae ex contraria sententia sequi contendunt: Quodsi enim non a Deo, sed a populo summa potestas Regibus confertur, subditi, aiunt, necessario Principibus erunt superiores; penesque Reges sola manebit *Maiestas personalis, reali* apud populum residente, quae opinio quot malis causam dederit, et dare etiamnum possit, nemo sapiens non videt; inde enim tot rebelliones, tot pudendae optimorum Principum exauctorationes, tot nefanda Regicidiorum monstra, etc. quas quidem funestas cruentasque Tragoedias toties infano populo cum summo ipsius Reipublicae discrimine, et vltimo etiam exitio instaurare licebit, quoties sceleratissimis quibusque inquietum natura vulgus Tyrannidis obtentu concitare visum fuerit.

S. 472.

(2) *apud Grotium I. B. et P. L. 1. c. 3. §. 8. n. 9.*(3) *Ibid. n. 10.*

§. 472.

Verum enim fas sit tantisper dubitare, adeone praesenti tam atrocium malorum discrimine, tantoque vrgeamur adductorum argumentorum pondere. Liceat haec omnia rationum momenta ad genuina ciuilis societatis principia reducere. Atque primum quidem summae potestatis *in genere* spectatae originem *immediate* ad Deum esse referendam vltro largimur; idque ipsum facile euincit sacrae Scripturae, et Ecclesiae Patrum auctoritas, sub principium *praec.* §. summam allegata, in qua eadem in rem nostram copiosissime exponenda prae ceteris vberior est Pfessingerus ad Vitriarium. (4) Praeterea, quum *sana ratio* dictauerit constitutionem ciuitatum, quatenus hoc solum supererat innocentibus praesidium, suam felicitatem securitatemque contra violentiam improborum tuendi; §. 451. etc. illa autem absque *summo Imperio* finem suum obtinere nequeat: §. 458. hoc ipso et ciuitates, et summum Imperium a Deo, tanquam *Legis naturalis auctore* profecta recte censentur. Nam non ea tantum, sapienter ait Puffendorfius, (5) a Deo sunt, quae ipse *immediate*, et citra ullum factum humanum interueniens instituit; sed et quae homines ductu sanae rationis pro conditione temporum atque locorum recepere, ad implendam obligationem sibi a Deo iniunctam, qualis certe est defensio, et conseruatio sui contra iniugas, nimiumque inualescentes improborum aggressiones in ipsius tandem humani generis exitium redundaturas. Igitur in hoc quidem sensu summa potestas *immediate* descendit a Deo, non quidem *differte iubente*, vt homines in ciuiles se Respublicas aggregarent (de hoc quippe nihil constat) sed *generaliter* id, quod humanae rationi ad generis sui felicitatem adipiscendam commodum atque opportunum videbatur, *probante*, et quod ad

(4) Corp. I. P. Tom. 1. Praef.

(5) de I. N. et G. L. 7. c. 3. §. 2.

ad securitatem stabiliendam necessarium erat, adhibere (iterum non nisi *generaliter*) *praecipiente* §. 259. et 456. Verum autem ex hoc ipso manifestum redditur I. eandem summam potestatem hoc sensu spectatam adhuc *penes populum* esse, neque hoc ipso ad singulares quasdam personas *translatam* intelligi. II. Eandem a Deo *probante*, aut defensionem necessariam *praecipiente* non posse deriuari, nisi in *iustis Rebuspublicis*; §. 455. blasphemum quippe foret dicere, diuina munitos auctoritate illos etiam *Latronum coetus*, quorum auctor verisimilius Nemrodus fuit, §. 454. prodiisse, vt adeo isti non nisi ad Deum *permittentem*, possint referri; qui nimirum, vt S. ait Augustinus, (6) *melius iudicauit de malis bene facere, quam mala nulla esse permittere.*

§. 473.

Iamque igitur dispiciendum est, quomodo haec ipsa a Deo *profecta*, et *populis concessa summa potestas* §. *praec.* ad singulares Imperantium personas fuerit deuoluta. Atque in primis, si ad illos *latronum coetus* aciem animi reflectere libeat, a quibus ipsae ciuitates primam originem duxisse multis videntur; §. 455. Sicut istae improborum societates Deo nequiquam *praecipiente*, aut *probante* coaluerunt; ita etiam illorum Duces summam siue in latrones socios, siue in gentes subiugatas non vtique iubente, sed *permittente* haec mala Deo occuparunt; §. *praec.* et siquidem in *proximam ac immediatam* huius potestatis causam, (quae ex sola illa permissione nunquam *profecto* exsculpi potest) inquirere voluerimus, facileprehendemus, illam totam *ab humanis pactis atque foederibus* pendere. Ita quippe ipsa illa in aliorum perniciem conspirans multitudo, vnum sibi aliquem ex suis praefecit Ducem, cuius auspiciis iniqua consilia ad optatum perducere exitum posset: §. 452. et 458. ita etiam deuictae gentes victoris

(6) *Enchirid. c. 27.*

ctoris subire iugum, et duris licet conditionibus viuere, quam perire, atque vltro in necem ruere maluerunt. §. 459. Igitur quod ad istud quidem spectat genus Imperantium, satis manifesto constat, illorum potestatem *immediate* a Deo nulla ratione deriuari posse. Idem porro de illis etiam sentiendum esse Principibus, qui *in isto bello* aliquas sibi Gentes subiugarunt, inde patet, quod etiam cum istis similia prorsus deuictorum *pacta* intercesserint: namque Dei diserte iubentis vocem vix quisquam illorum expectabit, ad arma corripienda.

§. 474.

At enim in ceteris etiam Rebuspublicis per *liberrima hominum pacta summam* Potestatem ad Imperantes deuolutam fuisse, res ipsa prodit: quippe quum Deus *Lege quidem naturali*, quae ad naturalem felicitatem conseruandam necessaria sunt, adhibere generaliter praeceperit; ciuitatum autem constitutionem diserte non iusserit: §. 456. et 473. quamuis id consilium opportunissimum, atque etiam necessarium fuerit visum ad expediendam, tuendamque aduersus violentas improborum machinationes salutem; §. 454. et 455. neque potuerit sine summo aliquo imperio vtiliter executioni demandari; §. 452. et 458. tamen liberrimum fuit hominibus, *in quos* potissimum, et *quibus legibus, ac restrictionibus* vellent illud ipsum imperium transferre. §. 458. Igitur licet summa Maiestas in quantum originarie populo ad constituendam ciuitatem necessaria est, *immediate sit* a Deo §. 472.: ideoque etiam supremum Numen id ipsum imperium, quatenus iam est ad singulares personas translatum, in sacris litteris expresse probet, pro suo agnoscat, eiusque sanctimoniam ac venerationem seuerissimis Legibus sanciat; vti patet ex textibus §. 471. adductis: ipsa tamen *Maiestatis translatio* procul dubio *mediante populo* facta est, adeoque manifeste sequitur, *summam Imperantium potestatem non esse immediate a Deo.*

§. 475.

§. 475.

Hoc autem ipsum hominibus omni aetate persuasum fuisse facile ostenditur. Namque iste transferendi imperii modus satis exacte cum illis convenit, quae de prima civitatum origine ex historia sacra §. 454. et antecedentibus retulimus. Apud Aegyptios quoque, quorum historia inter profanas antiquissima est, quam arctis et sapientibus Legibus ipsa etiam Regum potestas circumscripta fuerit, patet ex illis, quae hac de re ex vetustissimis auctoribus celeberrimus narrat Rollinius, (7) quaeque iterum traditae a populo, et pactis restrictae potestatis fortissimum sunt argumentum. Inde etiam tam variae subnatae sunt regiminis formae (§§. 460. et seqq. 466. et 467.) in eadem haud raro republica saepius mutatae, et diuersis modis coarctatae: Inde Graecorum civitates (vix nemo nisi admodum hospes in Historia ignorat) primum democraticae, successu temporis aristocraticae factae sunt, vel mixtae. Inde tot vicissitudines Romanae Reipublicae primum sub regia potestate sed Patrum auctoritate et curiarum sententiis moderata; tum sub consulibus, quorum tamen maiestas non magis tempore definiebatur, quam Senatus suffragiis, Plesbis scitis, et tribunicia temperabatur acerbitate; donec tandem summa rerum ad Triumuiros deuoluta, et deinceps ab vno Iulio Caesare per vim occupata fuit, cuius denique successores etiam auctoritatis reliquias, quae hactenus penes Senatum remanserant, non vna simulque, sed satis sero extinxerunt, ac abrogarunt.

Quid apud maiores nostros, veteres Germanos obtinuerit, Tacito teste (8) discimus: *Nec, ait, Regibus infinita et libera potestas, et Duces exemplo potius, quam imperio — — praesunt. — — De*
mino-

(7) *Hist. Vet. temp. ac popul. L. 1. P. 1. Hist. Aegypt. c. 1.*

(8) *De mor. Germ. c. 7.*

minoribus rebus Principes consultant: de maioribus omnes: ita tamen, ut ea quoque quorum penes plebem arbitrium est, apud Principes praetractentur. (9) Quae quidem Regiminis forma quod adhuc in corpore Imperii Romano-Germanici maximam partem obtineat, nemo ita rudis est, ut ignoret.

Ipsam vero illam Galliae Regum potestatem, quam ampliolem in illa Monarchia, atque in ceteris Europae Regnis florere haud quidem inficiamur, magnificentius tamen, quam verius domestici iactare videntur. Quippe in primo Regum ordine ipsimet denique dissimulare haud possunt, ita Maiorum domus potentiam succreuisse, ut praeter Regum nomen nihil fere auctoritatis penes ipsos Reges maneret. (10) Hi ipsi quum in secundo ordine solum occupassent; idem Lengletus iterum queritur, Procerum accrescente auctoritate eosdem subnatos esse fructus, quos priorum Regum ignavia tulerat, (11) tantamque illorum effloruisse potestatem, quae ipsis Regibus formidolosa vix quidem servandi ordinis amore regum nomen, velut quandam pristinae maiestatis umbram, Legibus apponere suslineret. (12) Tertia Regum familia, quae cum Hugone Capeto anno 987. coepit (13) quamvis Maiorum domus potentiam fregerit; (14) Parliamentorum tamen auctoritate, uti nemo in Galliae Historia vel mediocriter versatus negare potest, semper admodum temperatam habuit potestatem, non solum ante Ludovicum XI. nonnisi ab anno

(9) Ibid. c. 11.

(10) Lengletus introd. in Hist. P. 3. c. 29. Edit. Goth. de anno 1753. f. 547.

(11) Ibid. f. 458.

(12) Ibid. f. 550.

(13) Idem in Tab. Chronol. Edit. Hallensis de 1752. f. 431.

(14) Idem in Intr. L. 6. f. 553.

anno 1461. regnantem, cuius artibus illimitata Maieſtatis iura reſtituta fuiſſe Galli gloriantur: (15) verum etiam poſt illius Regis tempora; vt ſatis patet ex turbulentiffimis illis ciuiliū bellorum procellis, quibus Gallia ſub Henrico III. et IV. iactata fuit, (16) quodque adhuc ma- niſteſtius redditur ex notiſſimis in vulgus Ludouici XIV. et moderni Regis chriſtianiffimi conati- bus, quibus ipſam hanc Parlamenti auctoritatem eneruare et extenuare hactenus laborarunt; vt adeo in Gallia quoque ſatis multa ſuperſint veſti- gia traditae Regibus, et reſtrictae etiam a populo per Leges fundamentales ſummae poteſtatis.

Huius denique eiſdem rei in plerisque *aliis Regnis* indubitatum habemus argumentum ex Parlamentiſ, ex ſupremis Senatibus, ex Procerum, Patrumque Patriae Collegiis, atque comitiis paſ- ſim, et non alio ſine erectis, quam vt Regiae po- teſtatis temperamenta eſſent, et patriae praefidia libertatis. *Vide dicta §. 466.* Iam vero ſicut in- credible eſt proſus, tam varias variis in imperiis ſummae Maieſtatis ac Regiminis formas, tam mul- tas in vno eodemque Regno illius viciffitudines, omnes *nullo alio mediante ab ipſo Deo* introductas fuiſſe: ita nihil eſt pronius ad exiſtimandum, quam harum omnium differentiarum et mutatio- num originem *a varia gentium voluntate* eſſe re- petendam, cui igitur ipſa etiam *ſumma Regum po- teſtas*, ſi de *proxima* loqui cauſa volumus, in ac- ceptis debeat referri.

§. 476.

Firmata in hunc modum noſtra ſententia tan- tum abeſt, vt in ſeditioſa coincidat *Monarchoma- cho*

(15) *Idem ibid. f. 573. vide etiam dicta ſuperius §. 469.*

(16) *Vide Alex. Natal. Hiſt. Eccl. Saec. XV. et XVI. C. XI. Art. 10. et 11. item notas ibidem a Manſio in nouiſſima Editione Veneta de anno 176a. ſubiectas.*

chorum principia, eadem vt potius quam validissime conuellant: quum enim isti toti in eo sint, vt ad exterminandam Regiam potestatem ius Principibus resistendi populo, imo etiam priuatis concedant, et totum fere regimen ad subditarum manus deuoluant: nos contra non solum execranda haec dogmata abominamur; verum etiam ex positis hactenus doctrinae fundamentis deducimus I. Eo ipso, quod qui in ciuitatem coaluerant populi, voluntates suas in rebus ad finem ciuitatis spectantibus vel sponte, §. 458. vel metu quidem armorum coacti, pacto tamen sancte seruando constricti §. 459. Imperantium voluntati submiserint; istaque summae potestatis a Deo concessae §. 472. translatio fit, ac vocetur *Maiestas*: §. 461. populum re ipsa esse Imperantibus *inferiorem*, et ad *obedientiam in rebus finem ciuitatis concernentibus* Principibus praestandam omnino teneri; adeoque vanissimum esse Monarchomachorum commentum, quo nonnisi *personalem* maiestatem ad Principes transferri fingunt, reali penes populum *manente*. Ceterum tamen ex communi sententia hoc vltimum ita est limitandum, vt si *mixta* sit regiminis forma, et vi Legis fundamentalis iura Maiestatis non ab vno v. g. Rege, sed a pluribus simul v. g. Principe et Statibus in comitiis congregatis possint exerceri: tunc Maiestas in eiusmodi casibus exceptis *indiuisim* penes Regem v. g. et eiusmodi delectos resideat. §. 466. confer §. 475.

§. 477.

Sequitur II. Imperantes, quibus summa potestas absque *Lege commissoria*, id est sine pacto, quo se ad male gestorum rationem reddendam Reipublicae obligarunt, tradita est (quales nostri fere sunt Reges, ac Principes) *non nisi a Deo iudicari*; adeoque multo minus *poenis, atque suppliciis affici a populo posse*. Quum enim qui primo in ciuitatem aggregantur, ii antea fuerint in statu *naturalis libertatis, et aequalitatis*; atque hoc ipso ad red-

dendam gestorum rationem a nemine hominum adigi potuerint; §. 349. *confer* §. 449. et 450. consequens est. vt et tota illorum ciuitas eadem gaudeat libertate: porro autem ciuitas hac se libertate proprii causa boni abdicauit, eamque vna cum summa potestate transtulit in Imperantes: §. 458. etc. ergo si id sine pacto, sine Lege commissoria etc. et absolute factum est, manifeste sequitur, eiusmodi Principes a reddenda gestorum ratione haud minus esse liberos, quam ante constitutam ciuitatem, aut translata ad certos Imperantes potestatem populus fuit; adeoque illos a solo Deo iudicari, et hoc ipso a populo poenis, atque suppliciis affici haud posse. Sunt igitur illorum *sacrosanctae ac inuiolabiles* personae; id quod etiam aperte insinuant varia *Scripturae* loca; vt illud Dauidis ad Aduenam Amaleciten: *Quare non timuisti mittere manum tuam, vt occideres Christum Domini?* (17) et Eiusdem lamentum: *Tibi soli peccaui* (18) in quae verba S. Gregorius M. Dauidis nomine: *peccatum meum, ait, tibi soli relinquitur puniendum, eoquod alium non habeam superiorem, qui me possit punire, quum ipse sim Rex.* — tum autem subiicit: *Rex utique soli Deo, ceteri vero, et Deo peccant, et Regi.* Neque minus huc pertinet illud *Scripturae* estatum: *Nolite tangere Christos* (id est vnctos) *meos.* (19) Praeterea haud sane apparet, quomodo Respublica, quem semel *subditorum numero exemptum* solio imposuit, et se ipsa *maiolem* fecit; eundem, etiam inuitum, non solum facta secessione abs se segregare; verum etiam sibimet de nouo *subicere*, et ceu *subditum*, quin tanquam *fontem* ad suum trahere tribunal possit. Alia sunt omnia quoad Imperantes cum supradicta *Lege commissoria* euectos: hi enim in talem se euentum pridem, et sua sponte Reipublicae subie-

(17) 2. *Reg.* 1. 14.(18) *Pf.* 50. 6.(19) 1. *Paralip.* 16, 22. et *Pf.* 104, 15.

iecerunt, neque conqueri possunt, si quod initio placuit, culpa sua successu temporis experiri cogantur, cuius rei illustre est exemplum apud Iustinum (20) in historia Carthagenensium, ubi quum familia Imperatorum grauis liberae ciuitati esset, omniaque ipsi agerent simul, et iudicarent, centum ex numero senatorum iudices delecti sunt, qui reuersis a bello Ducibus rationem rerum gestarum exigissent, ut hoc metu ita in bello imperia cogitarent, ut domi iudicia, Legesque respicerent. Simile quid facile est deprehendere in Rebuspublicis, ubi Aristocratia floret, aut nonnisi certo definita tempore Imperantibus traditur potestas: sic in Hollandia, Gronouio teste, (21) sunt Collegia quaedam, quae rationem nemini reddunt; et tamen si deprehendantur in maleficio, iudicum seueritatem minime effugiunt.

§. 478.

Verum enim ita mediam recti semitam nostra tenet sententia, ut, quemadmodum a seditiosis *Monarchomachorum* consiliis longissime recedit, ita etiam non minus pestilentia *Pseudopoliticorum* principia, §. 470. explicata, vehementissime abominetur. Et contra horum quidem improbitatem ex dogmatibus hactenus comprobatis iterum sequitur I. falsissimum esse, omnia, quae libent, summis licere Imperantibus. Sine enim populum armis subegerint; potuerunt quidem pacis dedicationisque foedera seu iure, siue iniuria durioribus etiam conditionibus adstringere: sed sicuti deditis haud licet a pactis eiusmodi, etiam dum metu iniquo extorta sunt, recedere: §. 459. ita sane victor illis stare tenetur; neque *hostilem* porro animum erga illos ostendere sine piaculo potest, quos tanquam *ciues* recepit; et qui vicissim suas

U 3

eidem

(20) L. 19. c. 2.

(21) In not. ad Hug. Gros. de I. B. et P. L. 1. C. 3. §. 8. not. 94.

eidem voluntates seruandae per *securitatem*, licet admodum restrictae *felicitationis* causa submittere, quam perire maluerunt. §. 473. Patet igitur etiam in huiusmodi ciuitatibus *Rempublicam non esse propter Principem; sed contra Principem propter Rempublicam*; adeoque si limites deditiois eiusmodi Princeps suo arbitrio transfilit, procul dubio deditis veram facit *iniuriam*. Quodsi autem *sponste sua* ad *felicitationis* adeptioem *securitate publica* muniendam in ciuitatem se populus aggregarit: hoc ipso quia *liberrimo* eiusmodi hominum pacto summa potestas, ipsi ciuitati a Deo concessa, §. 472. ad Imperantem translata est, §. 474. et quidem non aliter, quam quatenus id exigit finis ciuitatis siue *felicitas ciuium securitate munita*, et quatenus eadem potestas cum adoptata *Regiminis forma*, tanquam *Lege fundamentali*, ipsum etiam *Imperantem obligante*, correspondet; §. 456. et 458. iterum manifestissime patet, eiusmodi *Rempublicam* multo minus, quam quae armis perdomita est, *esse propter Principem; sed contra*; interque *Rempublicam* et *Imperantem verum*, et saltem *tacitum pactum* intercessisse, vi cuius ad *Regiminis finem et formam adstringitur*; adeoque consequens est, plane mendaces, et nefarias esse illorum (vtinam hoc aeuo paucorum) assentationes, qui Principibus persuadent, non aliam ipsos legem habere, quam propriae voluntatis arbitrium; subditis autem in sola seruitute relictam esse gloriam, iisdemque iniuriam a Principe nunquam fieri. Dixi *pactum saltem tacitum* intercessisse, quod nimirum ipso *consensu* in ciuitatis administrationem §. 458. secundum eiusdem societatis finem temperandam, *ibid.* et multo magis per hodiernam *Regiminis formam*, quae in omnibus fere Regnis *mixta*, et aliquo saltem modo *restricta* obtinet, §. 475. declaratur. Ceterum id ipsum patet plerumque manifestissime *exprimitur* in illo *Jurisiurandi sacramento*, quo se in prima *Regiminis susceptione* ad Regni et subditorum *felicitationem securitatemque procurandam*, ad statuum praerogati-

gatiuas tuendas, ciuium libertates seruandas, et iura facta tecta fouenda obligare imperantes a Republica iubentur.

§. 479.

Igitur pacti supradicti *Legibus* mutuo sibi Imperans, et populus adstringuntur. Est autem naturale pacto, vt non mutuo tantum *consensu*; verum etiam *dissensu* soluatur, eiusque tollatur obligatio, quando alterutra paciscentium pars, quod promittit, per uicaciter praestare negat. §. 330. Quapropter sequitur II. quod quemadmodum Imperanti omnino permittendum est, vt populo a *rebus stipulatis* temere resiliente, non modo summam, si malit, potestatem dimittere; sed etiam, et quidem iustissime, ac consultissime eadem contra rebelles vti, hos ad praestanda, quae sua sunt, etiam poenis ac suppliciis compellere, quin a priore pacto ipsorum perfidia solutus asperioribus de nouo conditionibus cum ipsis transigere possit: ita e contrario, si Princeps a *primi pacti Legibus* et a Sacramenti, quo se Reipublicae obligauit, religione temere discedat; et pro eo, vt *finem* ciuitatis promoueat, potius ciuium *felicitatem securitatemque* insolenter affligat, opprimat, et evertat; non possit populo negari facultas, quin vicissim a priore pacto recedat, eiusmodi Principis obedientiae renuntiet, et in pristinam sese afferat libertatem.

§. 480.

Verum tamen quum eiusmodi secessio suamet natura non possit non magnis Reipublicam turbis, atque *tumultibus* inuoluere, in quibus admodum procliue est, ut multa per *vim* potius, quam per *rationem* gerantur; interest enim aero ipsius ciuitatis, vt pacta cum Imperantibus inita, quantum fieri potest, rata maneant, neque temere rescindantur. Itaque sequitur III. diligenter distinguendum esse *Principum malum* ab *Euersore Reipublicae*. Potest enim pro se Princeps vitiis indulgere; et tamen pacto bonum Reipublicae promouendi satisfacere; neque, si im-

petu quodam aliquid iniquum decreuerit, feceritque, statim inde cinitati exitium imminebit, recte inferri poterit, eundem officii sui partes prorsus negligere, ac proculcare. *Quare ob quaelibet peccata, vti merito concludit Pseffingerus (22) Rempublicam non destruentia, veluti homicidium quoddam, aut si adulterae libidini famularetur etc. nequaquam subditos debitam Principi obedientiam subtrahere deest, soli Deo desuper responsuro. §. 477.* Et si maiora quoque sint, ac grauiora Imperantis aduersus Rempublicam maleficia; sequitur IV. *monendum* antea saepius Principem Reipublicae nocium; et si monitoribus quoque sit asper; adhuc non vtique ad *privatos*; sed ad *totum populum*, aut saltem ad *maiores* eius ac *saniores partem*, eiusdem voluntate per illos, qui totam Rempublicam repraesentant, seu merito repraesentare possunt, opportunis rationibus mature ac bene explorata, atque expensa spectare, vt vel per se, vel per eosdem Repraesentantes decernat, vtrum iusta adsit secessionis causa. Imo hac etiam comprobata, illud praeterea sollicitè ponderandum est, vtrum non aequale, aut grauius omnino malum ex ipsa secessione oriturum sit, atque sic denique *Principis eversoris* obedientiae poterit renuntiari. Namque sicuti summa potestas *toti populo* a Deo concessa, §. 472. atque etiam *totius consensu populi*, aut saltem per *maiores eiusdem suffragia* in Imperantem translata est: §. 458. ita ab illo nonnisi eadem ratione potest auocari: vt igitur seditiones, multoque magis atrociores machinationes *privatorum*, quamuis multorum, ac ceteris potentiorum, semper sint detestandae.

§. 481.

Quare haec demum erit populo iusta causa iugum Imperantis excutiendi, si is idem primus a patrum Legibus refulerit, et saepius frustra admonitus *stipulata solenniter capita siue iam Religionem, siue*

(22) *In Corp. I. P. Praef. n. 7.*

ue iniuriam maiestaticorum exercitium, siue utrumque concernant, penitus pessumdando, hostili animo in totius populi exitum grassetur: tunc enim ex Rege fit Tyrannus, ex conseruatore destructor, ex Imperante desertor, ex patre patriae hostis, ex pastore lupus rapax, ex Magistratu priuatus (non tamen subditus § 477.) cuius nefaria perdendi voluntas cum voluntate imperandi, et conseruandi stare nequit, sicque restituitur in integrum Respublica, (23) vt illi adeo liberum sit ab huiusmodi euerfore secedere. Quamuis autem eundem ad suum trahere tribunal, poenaeque: aut supplicio afficere non possit: §. 477. haud quidquam tamen obstat, quin illi imperium abroget; et si iuste abrogatum nihilo minus male tueri pergat, omnia contra ipsum experiatur, quae in hostem, qualis vere est, licent; id est (vti ex infra de bello dicendis patebit) in eum redigat statum, in quo non possit, aut certe non velit ultra hostilem animam ostendere. Atque haec quidem est celeberrimorum quorumque, non tantum inter Catholicos, verum etiam inter Protestantes, I. N. Doctorum sententia, vti Illustr. Wolfii, et Puffendorffii (24) Gronouii, (25) Pfeffingeri, et aliorum plurimorum, e quibus vltimus (26) merito subiungit, nunquam fas esse Reipublicae, destituendi Principis potestatem abs se abdicare, quoties destructionem molitur, obrationes commissae sibi Maiestaticis tuendae reddendas Deo. Et quia vt Gronouius L. c. n. 85. aduertit, populus ius non habet se ipsum extinguendi, aut in corpus suum iniuste saeuendi: ergo neque Regibus dare

U 5

hoc

(23) Pfeffingerus L. c.

(24) Prior in I. N. parte 8. passim, praecipue autem C. 6. §. 1060. eandem fere nobiscum tustur sententiam: posterior multo nobis austeriorem tradit, I. N. et G. L. 7. C. 3. et C. 8.

(25) In notis ad Hug. Grot. de I. B. et P. L. 1. C. 3. iterum nobis seuerior.

(26) Loco cit.

hoc potuit. Vnde Clar. Heineccio cetera nobiscum consentienti assentiri haud possumus, siue dum ciuibus in summa calamitate constitutis patriam quidem, dulciaque relinquere arua permittit: ab armis tamen semper abstinendum existimat; (27) siue dum nostram hanc Regulam in thesi quidem veram; at in hypothese inutilem esse certissimum credit, quia Imperantes a nemine praeter Deum iudicari, adeoque et ab illo solo decidi potest, verene hostilem animum aduersus populum gerant, nec ne; et quia, vt ante in subiecto scholio concludit, periculosum est non modo plebi infimae; sed et proceribus iudicium permittere de Principum actionibus. (28) Quippe constare satis de hostili animo etiam subditis potest ex indiciis supra relatis: et si periculosum est, etiam Proceribus iudicium permittere de Principum actionibus: multo est periculosius pro omnibus Societatibus ciuilibus, talia cum vltimi exitii praesentissimo discrimine tolerare. Potior autem est semper totius societatis ciuilis, quam Principis habenda ratio, quem solum propter populum esse ex hactenus dictis manifestissime patet; et illud denique discrimen, quod Heineccius exaggerat, summam quidem cautionem necessariam esse euincit, quam ipsimet nos inculcauimus: non tamen sufficit ad inferendam necessitatem, propter quam huius periculi vitandi causa indignissima quaeque per iniquissimam seruitutem sint populo a Principibus toleranda. Neque enim hactenus quisquam Romanos culpauit, quod Tarquinii superbi iugum excusserint, aut Neronem Imperio priuauerint: atque, vt alia variarum gentium plurima exempla transmittamus S. R. I. Principes Westeslaum malum, tanquam negligentem et destructorem Imperii, exauctorare minime dubitarunt; patriamque oderit oportet, ait Kochlerus in hist. Imper. ad hunc locum, qui contendit, Germaniae status inutile hoc terrae pondus cervicibus impositum tanto cum suo damno

(27) *I. N. et G. L. 2. C. 7. §. 133.*(28) *Ibid. §. 132.*

damno diutius tolerare debuisse. Eadem ratione nemo Suecis, Danisque succensere ausus est, quod *Christierno crudeli imperium abrogarint*; ut adeo communi etiam populorum sensu nostra sententia confirmetur.

§. 482.

Iamque igitur facilis est ad adversantium argumenta superius §. 471. exposita, responsio; quippe, quod ad I spectat, patet ex dictis §. 472., Potestatem Principum re quidem vera esse a Deo, utpote populo diuinitus communicatam: interim hoc ipso illam non posse nisi *mediante populo* ad singulares Principum personas transferri. Imperatores etiam procul dubio sunt a Deo, tanquam providentissimo rerum omnium auctore et gubernatore; §. 468. sed enim hic, quatenus est *causa prima*, minime excludit *causas secundas*, et *proximas*. Et quid multa? quo sensu Regum Principumque potestas a Scriptura ad Deum referatur, ceteris Patribus multo clarius docet S. Chrysostomus, (29) qui in eadem Apostoli verba: *Non est potestas, nisi a Deo*, ita commentatur: *Quid dicis? Omnis ergo Princeps a Deo constitutus est? Istud, inquit, non dico, neque enim de quouis Principum mihi sermo nunc est, sed NB. de ipsa re. Quod enim Principatus sunt, quod hi quidem imperant; isti vero subiecti sunt, quodque non simpliciter ac temere cuncta feruntur, nec fluctuum instar populi huc, atque illuc aguntur, diuinæ sapientiæ opus esse dico. Propterea non dicit: Non enim Princeps est, nisi a Deo: sed de re ipsa differit, dicens: Non enim potestas est, nisi a Deo; quæ vero sunt potestates, a Deo ordinatæ sunt.* En tibi eandem prorsus doctrinam, quam nos §. 472. etc. tradidimus. Ceterum liceat ex hodiernis nostris Politicis quaerere, quare tam temere a suis recedant principis, ita ut S. Scripturæ textus, quos alioquin a Iure Naturæ longissime submoueri volunt, et ab aliis adductos explodere solent, in hac tantum quaestione tam solli-

(29) *Hom. 23. in Epist. ad Rom.*

sollicite conquirant? An quia idoneis destituti argumentis speciosiores suis assentationibus fucum facere nesciunt? Id quod de primorum Saeculorum Christianis additur, nullius est roboris: namque in primis, quamlibet fuerint per se multi, pauci tamen erant respectu reliquorum; et praeterea a Magistratibus sollicite arcebantur. Igitur ipsa etiam quamvis iustae ceteroquin secessionis occasione caruerunt; vide §. 480. Deinde ipse illis hanc occasionem Deus summa subtraxit providentia, quippe qui Religionis christianae veritatem heroica fidelium suorum patientia, et prodigiosis Ecclesiae inter, et per ipsas cruentissimas persecutiones dilatatae incrementis voluit irrefragabiliter demonstrare. Denique aliud est *posse* iustam facere secessionem; aliud *debere* eam facere; haec autem duo non semper sunt coniuncta. Potest populus quisquam iustas habere secessionis causas; et tamen ab illa abstinere propterea, quod inde aequalis, aut maioris mali immineat periculum: §. 480. ita etiam Christiani, si quando merito potuissent destituere Principem, noluerunt certe, non quidem maioris mali vitandi, sed boni aquirendi gratia, quia bona aeterna perituris omnibus longe antulerunt. *Vide dicta §. 362.*

§. 483.

In II. Alexandri Natalis (30) argumento, si praemissa etiam singula transmittamus, falsa tamen sit illatio; esto enim, voluerit Deus Republicas; esto, quod istae sine Imperantibus esse nequeant: non tamen inde sequitur, quod idem Deus hisce Imperantibus summam potestatem *immediate* et per se conferre debuerit; sed plane sufficit, si eam populo contulerit, quo *mediante* deinceps ad Imperantium singulares personas transferretur. Porro autem ab Adamo haud satis feliciter duci videtur consecutio ad nostras ciuitates, et eorum Principes: Adamus quippe

(30) *In Hist. Eccl. Saec. XV. et XVI. Dissert. 6. A. 2.*

quippe in sensu Auctoris Princeps humanae societatis, ac Reipublicae non minus futurus fuisset, si in statu primae *innocentiae* se, suosque simul seruassiet posteros: atqui tum certe *status libertatis* viguisset, adeoque ciuitatibus saltem talibus, quales sunt hodiernae, locus nunquam fuisset; uti patet ex illis, quae toto *Articulo praecedente de origine Ciuitatum* dicta sunt. Ceterum etiam in statu *corruptionis* eundem (sola forte Caini familia excepta §. 454.) naturalis libertatis statum principio viguisse, exploratum est apud omnes; vt igitur ne sic quidem Adamo data sit a Deo talis potestas, qualis est illa Principum nostrorum; verum ea tantum, quae ipsi tanquam *capiti primae hominum familiae* competebat, et quae multum utique discrepat a *summa Imperantium maiestate*. Multo autem ineptius est Hornii argumentum. Quid enim, si in hunc ego arguari vellem modum: *Singuli in choro Musici non habent vocum harmoniam, quam totus illorum chorus efficit: neque eam habet multitudo Musicorum dissoluta: ergo harmonia illa immediate producitur a Deo*: non riderent homines? non dicerent sufficere, quod Musici coniuncti temperatis rite vocibus eandem harmoniam possint efficere? Itaque etiam sufficit, quod Maiestas sit penes coetum totius populi, vt illam in Imperantes transferre valeat; neque sane opus est, vt *immediate* a Deo producat, maxime, quum non sit nisi *qualitas aliqua moralis*. Etenim quam ineptum est, eandem tanquam *ens physicum* (uti facere Hornius videtur) considerare, quod Deus, velut *oleum* aliquod, quamprimum Princeps quis constitutus sit, in illum effundat. Quibus, oro, fundamentis commentum istud innititur; an forte ens hoc physicum mortuo Principe per *traducem* successori communicatur? an interim in concauo lunae circumerrat?

§. 484.

Haud minus inualidum est III. ex Hugone Grotio petatum argumentum. Concedamus posse se populum in Regiam conferre seruitutem: ergo hoc ipso

so Rex suam a populo habebit potestatem; et adhuc non licebit omni libidine in populum desaeuire: nam et *seruitus est seruandorum, non perdendorum* causa hominum introducta; pactoque nititur, cui contraveniens Dominus seruis *iniuriam* facit. *Vide dicta §. 428.* Ideo apud Athenienses seruus sine sua culpa crudeliter habitus poterat Dominum in iudicio cogere, vt se venderet; ideo Antoninus Imp. (31) veteres Romanorum Leges Iuri naturae nimium repugnantes emendauit, Dominorumque saeuitiam compescuit; et propter eandem causam hodie adhuc seruus quisque priuatus, multoque magis *seruus populus* omnibus aliis deficientibus praesidiis contra atrociores Domini iniurias remedio naturali vti posset, quod est *fuga, aut vis contra vim.* Ceterum quorsum Aduersarii cum hoc argumento? Seruiant sane mancipiorum ritu, qui hanc sua sponte eligunt conditionem; seruiant, quos belli, aut nascendi calamitas sub Tartarorum, Turcarumque tyrannide posuit; quamquam apud istos etiam Imperii senatus ignauis effeminatisque, aut vltra omnem modum saeuis Principibus maiestatem abrogare saepius nihil dubitauerit: apud nostros certe Europae populos talis disputatio inutilis est. Demus enimvero, istius quoque partis Regna migrantium hinc inde gentium armis occupata fuisse: successu tamen temporis ita coaluisse cum victis victores cernimus, vt, si qua durior olim fuerit subiugatorum conditio; nunc quidem iisdem omnes vtantur iuribus, quae ab Orientalis speciei seruitutis longissime abhorrent, et licet Imperantium maiestati salubriter obnoxiam ingenuam tamen, et finibus ciuilibus societatis optime accommodatam testantur libertatem; cuius rei exempla quum vndique ob oculos versentur, tum certe id ipsum manifestissime patet in nostro Romano Germanorum Imperio. Ex quo Carolingica Francorum stirps extincta est, nostraque se patria in pristinam vindicauit libertatem, Germani liberis sibi suffragiis

(31) §. 2. *Instit. de his, qui sui vel alieni iuris sunt.*

giis eligunt Germanum Imperatorem; et ab hoc etiam Principes Germaniae, vrbesque liberae suam habent in subditos, et ditiones subiectas potestatem, quas quum tanquam feuda acceperint a Caesare, non tanquam *mancipiorum domino*, sed *vt capite corporis Germanici*: neque ipsi possunt pristinam Regiminis formam pro libitu immutare, aut Leges fundamentales penitus euertere. (32) Vnde etiam videmus, tum quoque, si vi armorum Provincia aliqua ab vno Principe ad alium transit, conseruationem pristinae Regiminis formae, et praecipuarum saltem Legum fundamentalium fere inter prima esse stipulationis ac cessionis capita. Quin ne eo quidem casu, quando forte cum ipso populo tanquam hoste debellatum est, omnia imperanti, quae libent, licere, iam supra §. 478. ostendimus. *Confer §. 479.*

§. 485.

Quod in IV. argumento ex Plutarcho assertur, eatenus verum est, quatenus Reges *utiles ferre Leges*, et *latas*, si *inutiles* appareant, iterum *abrogare possunt*; non autem ita, vt potestatem habeant omnes *conculcandi Leges*; fundamentales enim ipsos etiam imperantes obligant. §. 458. et 478. Antoninus vero Imperator verba illa ad milites loquutus est *iniusta* petentes, vt ostenderet, illis, etsi postulata negasset, nequiquam ius esse alium proclamandi Imperatorem. Hoc autem; quin ampliore etiam sensu eadem dicta vera esse, iam supra ostensum fuit. §. 477. Porro ipse hic Imperator aequissimus tam erat iuratus tyrannici nominis hostis, vt palam diceret de decessoribus suis, omnes Principes, qui occisi essent, habuisse causas, quibus mererentur occidi. (33) Ceterum non datur *progressus in infinitum*, vbi propter *Legem commissoriam* Imperantes possunt ad iudicium trahi, et plecti: §. 477. igitur multo

(32) *Vide Gronouium L. c. n. 70.*

(33) *Gronouius L. c. n. 95. ex Xiphilino in vita Antonini.*

multo minus metuendus in nostra est sententia, in qua propter hoc ipsum, ne progressus in infinitum detur tyrannidi, populo facultatem a Rege euerfore secedendi vindicamus. Deo autem utique peculiari curae sunt Principum peccata, tum quia, nisi *euerfor* sit, alium *iudicem* non habet; tum quia euerfor etiam saepe *propter aequalis aut maioris mali metum* debet tolerari: §. 477. 480. et 481. interim inde non sequitur, quod Deus populo tollat ius secessionis faciendae: sed sicut poena sua populi secessionem praeuertere; ita etiam eadem populi secessionem uti potest ad castiganda Principum peccata.

§. 486.

Ultimi denique argumenti vis iam pridem a nobis eneruata est. Quippe *realem* etiam *maiestatem* ad imperantes transire, illosque adeo omnino esse populo *superiores*, monstrauimus §. 476.; *Rebellionibus* etiam, friuolisque *exaurationibus* viam omnem praeclusimus §. 480. et 481.: *Regicidia* autem multo magis, et tum etiam sumus execrati, quando velut in iudicio, et ex sententia populi contra Reges, et Principes licet euerfores, sine tamen pacto commissorio electos patrantur. Et certe a talibus iudiciis sanguinariis humaniores populi fere omnes, praeter Anglos abstinnerunt. Neque fauet aduersae opinioni seueritas Romani senatus, qui Neronem exaurationum *more Maiorum*, id est, dirissimo supplicio addixit: (34) namque eam id temporis viguisse adhuc Senatus auctoritatem, ut Imperatores legibus haud penitus solutos ad reddendam rationem cogere potuerit, constat ex Historia; (35) ut adeo nostra quidem opinione nunquam liceat summos Principes occidere, nisi *qua hostes*, id est, si iustae destitutioni se vi armata opposcentes non aliter in statum redigi possint, in quo aut vires, aut voluntatem non

(34) *Suston. Nero. c. 49.*(35) *Vide Crenier. Hist. Rom. Imp. edit. Dresd. de anno 1756. L. 1. §. 1. f. 37. etc.*

non habeant hostilem porro animum ostendendi. §. 481. Tum vero personalem Regum sanctitatem cessare apud omnes in comperto est, quippe quos tanquam hostes *in bello* occidi posse nemo dubitat. Igitur statutis hactenus limitibus et Imperantium maiestati, et ciuitatis fini ex aequo consultum existimamus. Namque quae adhuc sequi possunt propter iustam Principis destitutionem mala, ea sane haud sunt hominum opinioni imputanda, recte existimantium non debere se indigna ab eo pati, qui felicitatis ipsorum promouendae causa constitutus est, sed ex ipsorum Imperantium licentia, et iniquitate exoriuntur.

§. 487

Potestas summa hoc modo ad Imperantes a populo translata, et hisce finibus limitata, si quocunque modo exspiret, transit ad alios vel per *electionem*, vel per *successionem*. Ad primam etiam ille casus refertur, si Imperans, nullo pro suis iure successionis munitus, cum bona populi venia viuens adhuc sibi successorem designet, vel imperii confortem assumat, vel maiestatem totam alteri cuidam resignet: Posterior obtinet, si Parentibus liberi, aut proximi agnati in solium succedant. Vtrumlibet fieri debeat, hoc ipso, quod summa potestas, ex hactenus dictis, sit *immediate a populo*, ab eiusdem etiam populi voluntate pendet, declarata in *Legibus fundamentalibus*, siue spontaneo ciuium consensu firmatis, §. 458 siue etiam victoris, a quo subiugati fuerunt, arbitrio sancitis, aut denique per pacis foedera acceptatis. §. 459. Neque minus ad easdem Leges fundamentales tum circa electionis, tum circa successionis *modum* recurrendum est; vnde fit, vt hic in variis Regnis, tam varius sit receptus. Quod si tamen circa *successionis ordinem* nihil disserte statutum inueniatur: populus quidem *ius commune de successione ab intestata* in illa Regione moribus receptum comprobasse recte praesumitur, nisi peculiaris aliqua obstare ratio videatur, v. g. vt propter maioris prudentiae auctoritatisque praesumptionem soli filii, et inter hos ad vi-

P. Schwarzhueber Eth. P. II. X res

res Regni vnitas seruandas non nisi primo genitus succedat. Ceterum si in regno *successiuo* populus maiestatem Imperanti iustis de causis abrogando ad primam redierit libertatem, §. 479 interesse putamus, vtrum *successionis Ius* recenter Imperanti pro sua familia *acquisitum*, ipsisque posteris, aut agnatis *non nisi ipsius intuitu* concessum; an vero ad hos ipsos *iam olim*, aut certe *alio titulo* deuolutum sit: Priore casu euerfor Princeps a pactis et fide ciuibus obligata recedens plane etiam, atque merito iure illo *successionis*, quod sibi pro suis impetrauit, excidere videtur; vt adeo liberum sit populo, alium prorsus eligere Principem; nisi sponte sua in aliquem ex destituti familia conferre vota malit: Posteriore autem casu Imperantis malitia saltem *innocentibus* posteris aut agnatis, nocere nulla ratione debet; igitur a *successione* excludi non possunt, nisi et ipsi in perniciem et exitium reipublicae cum illo conspirasse conuincantur.

§. 488.

Corollarium I. Hoc ipso, quod summa Potestas siue ad primos Imperantes, §. 473. et 474. siue eorum successores §. *praec.* semper a populo transferatur; merito illis *resistitur*, qui contra *omnem populi voluntatem*, et absque *iusto titulo* imperii habenas arripiunt, quos etiam ea ipsa ratione *veros Tyrannos* esse iam supra §. 462. insinuauimus.

§. 489.

Corollarium II. Gratis, uti recte animaduertit Clarissimus Heineccius, (36) ab Hugone Grotio excogitata sunt *Regna patrimonialia*, siue illa, quae ad Imperantis arbitrium seu inter viuos, seu mortis causa, etiam sine populi consensu sunt *alienabilia*; quamuis viri celebres in eandem post Grotium sententiam haud pauci descenderint. Namque ex omnibus hactenus dictis manifeste patet, societatem ciuilem, seu populum non esse propter Imperantem sed

(36) *I. N. et G. L. 2. C. 7. §§. 147. et 148.*

sed contra Imperantem esse propter populum ac ciues, §. 478. quorum etiam voluntate constituitur, aut saltem acceptatur: sed in Regno eiusmodi patrimoniali pro libitu alienabili omnia plane essent contraria: igitur si eiusmodi Regnum inuenire est; hoc ipso non est *verum Regnum*, siue *Respublica* et *ciuitas*, sed spectat ad bona familiae priuatae; quippe qualia quidem possunt esse in *patrimonio* et *dominio*; non autem populus in ciuitatem coalescens, qui debet esse in *statu naturalis libertatis*; §. 477. haec autem licet in Principem tanquam caput Reipublicae vna cum summa potestate transferatur; *ibid* hoc ipso tamen penes totum Reipublicae corpus manet, cuius ipse caput est; quin redit etiam ad populum Principe ob iustam causam exauctorato, aut in Regnis electiuis mortuo. *Vide dicta* §. 487.

§. 490.

Extincta in regno electiuo persona; in successiuo autem familia regnante incipit interregnum; quum autem, donec nouum Reipublicae caput sufficiatur, nolit fere populus cessare societatem ciuilem: interim extra ordinem Magistratus aliquos, (nisi iam antea Lege fundamentali, aut alia designati sint) creare debet. Hi vero quoniam per id tempus Imperantium vice funguntur: consequens est, vt et illorum interim gaudeant potestate, quatenus nimirum Legibus, et voluntate populi haud restringitur. Igitur immerito dubitat Puffendorfius (37) cum quibusdam ab Heinuccio relatis, (38) vtrum eo casu vera adhuc superfit Respublica.



(37) L. 7. C. 7. §. 7.

(38) L. 2. C. 7. §. 142.

ARTICULUS III.

DE EFFECTIBUS SUMMAE IMPERANTIUM
POTESTATIS IN GENERE, ET IN SPECIE
QUANTUM AD CIUES; SEU DE IU-
RIBUS MAIESTATIS IM-
MANENTIBUS.

§. 491.

Summa Imperantium potestas nihil est aliud, quam *facultas ea omnia agendi ac decernendi, quae ad finem civitatis obtinendum sunt necessaria.* §. 461. Igitur quaecunque agere atque decernere hac ratione Imperantes possunt, ea sunt etiam inter *effectus* huius potestatis computanda. Sicut autem supradicta potestas peculiari *Maiestatis* nuncupatione denotatur; ita etiam *Maiestatis iura* illam ipsam effectuum, quos summa potestas post se trahit, complexionem vocare solemus; adeoque haec iura sub se omnia illa comprehendunt, sine quibus *finis civitatis* §. 456. impetrari ab Imperantibus nequit. *S. cit.*

§. 492.

Finis civitatis est felicitas civium securitate munita: §. 456. quum autem heic non iam de iniquissimis *latronum coetibus* §. 455. sed de *iustis Rebus publicis* loquamur, quae tales aut a primo suo ortu fuerunt, *ibid.* aut saltem successu temporis factae sunt: §. 456. sequitur, quod etiam finis eiusmodi civitatis non sit *falsa, sed vera felicitas.* Iam autem sicut illud vltro concedimus, quod *felicitas civilis* sit finis *intrinsecus et proximus* civitatis; vtpote cuius praecipue gratia populos in civitatem coaluisse manifestum est ex dictis *Art. I. de origine civitatis:* ita sane merito contendimus hunc finem intrinsecum et proximum, debere fini hominum *remoto et ultimo*, scilicet ipsi *Deo* §. 21. rite esse *subordinatum*; et quidem non solum, in quantum *Deus O. M. est beatitas hominum naturalis*; sed etiam *supernaturalis.* Namque in primis populi,

puli, qui se in ciuitatem aggregarunt, nunquam potuerunt se ab *obligationibus iuris naturalis* subtrahere: verum enim inter praecipua Iuris naturalis erga Deum officia est illud, vt omnia ad ipsum, tanquam *finem vltimum* referantur; tantoque id magis, quod reliqua omnia tantum sint bona medii, adeoque nullam etiam bonitatis rationem, aut ad veram felicitatem proportionem habeant, nisi in quantum ad finem vltimum tanquam media referuntur: §. 31. Deinde iidem populi vna cum Imperantibus *ipsius Legis naturalis* vigore substant etiam *Legibus diuinis positivis reuelatis*, si quando Deo tales sancire placeat, quemadmodum re ipsa placuit. *Vide dicta §. 256.* Igitur constituendo ciuitatem, *ciuilem*, quam intendebant *felicitatem*, huic fini vltimo *subordinare* debuerunt, neque potuerunt, vnquam summam potestatem aliter in Imperantes transferre, nisi quatenus et haec ipsa substant tum naturalibus, tum positivis supremi Numinis Legibus. Ex quo patet periculosum et venenatum esse illud quorundam ex hodiernis politicis dogma, qui aut solam *securitatem*, quae certe non est nisi *felicitatis* omnibus hominibus pro votorum meta praestitutae *medium*, aut *meram externam ciuium felicitatem* pro ciuitatis fine venditantes, illud tanquam primum et fundamentale axioma in Politicis iactant: *Salus populi suprema Imperantium Lex esto*; Inde enim plerique sequelas deducunt, per quas Principibus incircumscriptam vindicant potestatem omnia sine discrimine agendi, quae ad hanc securitatem aut salutem quomodolibet necessaria, vel vtilia videntur; licet cum evidenti diuini cultus, et Religionis orthodoxae detrimento coniuncta sint, et nec cum naturalibus nec cum diuinis Legibus componi possint. Enimvero vti talem potestatem Imperantes ex supradictis nec accipere, nec habere; ita illam exercere nulla ratione valent. Itaque intra iustos semper limites coarctanda, et *Iuribus diuinis* submittenda sunt *Iura Maiestatis*; et si quid iubere non verentur Principes, quod Dei supremi Legislatoris voluntati repugnet, libera cum Apostolis re-

spondendum modestia : *Si iustum est in conspectu Dei, vos potius audire, quam Deum, iudicate.* (39)

§. 493.

Iura Maiestatis deriuanda sunt ex fine ciuitatis ; §. 491. *finis autem proximus est vera ciuilis felicitas : §. praec. securitate munita.* §. 456. Iam vero hunc finem cuius adipiscendi gratia populus totus voluntates suas Imperantibus submitit, §. 458. et 478. obtinere iidem nunquam possent, nisi ad illum *iporum ciuium* obsequia et actiones dirigendi, et *exterorum* aduersas machinationes auertendi facultatem haberent : igitur illis necessario iura varia et *ratione ciuium*, et *respectu exterorum* competere debent. Priora, quia terminos societatis ciuilis non excedunt, *Iura Maiestatis immanentia* vocantur : posteriora, quia vltra ciuitatis fines extenduntur ; *transeuntia* appellantur : nos praesente Articulo priorum fundamenta, quantum nostri est instituti, breuiter discutiemus.

§. 494.

Iura Maiestatis immanentia eatenus competunt imperantibus, quatenus pro suo officio finem ciuitatis promouere non possent, nisi ciuium actiones ad eundem dirigendi facultatem haberent §. praec. Ista autem directio nihil est sane aliud, quam *Regula* ciuibus proposita ad quam *actiones* suas *liberas* (nam alias directionis haud esse capaces pridem ostensum est *de actuum humanorum natura et moralitate*) determinare obligantur : *Regula* igitur talis, quum fit *Lex* ; §. 92. patet, ad *Iura Maiestatis* in primis pertinere *potestatem ferendi Leges ad finem ciuitatis accomodatas*, ad quas etiam condendas Imperantes obligari, et contra ad easdem obseruandas subditos ex pacto pridem cum Republica, et Imperantibus in toto teneri, manifestum est ex illis, quae §. 458. diximus, et deinceps toties inculcauimus.

§. 495.

§. 495.

Finis ciuitatis est *vera civilis felicitas securitate munita*: §. 492. Igitur quidquid ad hanc promouendam necessarium est, id est procul dubio *materia Legum*. Dixi, quidquid *necessarium* est; ea namque omnia districtis includere Legibus, quae ad finem ciuitatis quomodocunque *proficua* sunt, atque *conducunt*; humanae infirmitatis modum excederet: neque igitur credibile est, populum in his etiam rebus suam libertatem Imperantibus alligare voluisse.

§. 496.

Ceterum plurima vtique, quae ad veram felicitatem, securitatemque societatis civilis *necessaria* sunt, ipsis Legibus *naturalibus*, ac *diuinis positivis* pridem occupata fuisse, nemo sanus dubitauerit; atque istae quidem ab ipso immortalis Deo profectae, licet minime opus habeant, vt *obligationis vigorem* ab humanis impetrent Legislantibus: eo tamen ipso, quod sine eiusmodi Legum exacta obseruatione finis Reipublicae obtineri nulla ratione valeat; et ad hunc promouendum Imperantes teneantur: non possunt non obligari, vt illarum Legum a populo vniuerso fideliter impleandarum ipsi *vigilantissimos* se exhibeant *custodes*, easdem saepius inculcent, omnique incumbant *coactu*, vt sacrosancta semper earundem maneat in ciuitate auctoritas. Quare illas etiam in dubiis euentibus *interpretari*, et ad casus particulares rite *applicare* Principibus incumbit; eo tamen saluo, vt quibus in rebus Legum suarum curam, ac interpretationem *Ecclesiae*, et *sacris Hierarchis* Deus reseruatam voluit; illis ne se profani immisceant Imperantes; quippe ipsi quantum ad haec *suprema Numinis ordinatione* sacris subiecti Magistratus.

§. 497.

Supereff igitur, vt quae actiones per Legem naturalem et diuinam adhuc intactae, et *indifferen-*

rentes manserunt, eae sint *propria Legum humanarum ciuilium materia*; quatenus illarum directio ad finem ciuitatis obtinendum est necessaria §. 494. et 495. Ceterum ipsa quidem *naturalis* eiusmodi actionum *indifferentia*, per se satis ostendit, has Leges *intrinsece*, et sua natura *necessarias*, ac *immutabiles* non esse; praeterea vero rerum humanarum vicissitudo illas saepe numero non solum *inutiles*, sed *noxias* quoque efficere potest: igitur debet Imperantibus etiam potestas competere *suas*, vel *antecessorum Legibus derogandi*, *easdemque mutandi*, vel *antiquandi*.

§. 498.

Porro autem verum est quidem, *actus mere inter nos* ad ciuitatis finem haud spectare, vtpote qui *soli* illum euertere nequeunt; adeoque sequitur illos non esse *materiam Legum ciuilium*: sed enim neque *soli actus externi* ad finem ciuilis societatis sufficere videntur; quid enim si Princeps saluberrima certe, et necessaria etiam caueret lege, vt iuuentus ciuitatis, quo citius in vtilia Reipublicae membra adolescat, mature vel litteris, vel honestae alicui arti pro ingenii capacitate, et indolis inclinatione det operam: satisfacturosne existimabimus iuuenes, qui sine omni animi contentione, soloque corpore aut scholarum pulpita aut officinarum scamna premerent? Inde praeterea hoc ipsum satis confirmari putamus, quod externa tantum Legibus praestita obedientia, nihil sit, nisi mera *simulatio*, quae ab inuitis et renitentibus extorta vti durare non potest, ita etiam ad finem ciuitatis seu *veram felicitatem ciuilem* §. 492. sufficere non videtur: atqui huius sane adipiscendae, et tuendae gratia ciues non corpora tantum, et facultates; sed et voluntates Imperantibus subiecerunt, §. 456. a quarum consensione tota cuiuslibet societatis ratio, §. 368. et multo magis salus ciuitatis pendet. §. 458. Igitur *actiones* suamet natura ex internis atque externis *mixtas* omnino intra materiam Legum ciuilium recipiendas arbitramur, saltem quando sine actu interno fini ciuitatis haud satis consultum

tum videbitur. Neque obest, quod Imperantes eiusmodi actiones, quatenus sunt internae, nec cognoscere saepius, nec iudicare possint; ex hoc quippe non sequitur, quod non possint ad illas *obligare* (secus idem dicendum foret de actibus externis occultis, qui haud minus Magistratum ciuilium oculos et censuram effugiunt) sed illud tantum recte infertur, quod non possint *vim coactiuam contra transgressores exserere*: at haec duo plane diuersa sunt, vt iterum patet exemplo praeuaricationum occultarum: quod vero humanis hac ex parte decedit Legislatoribus; id supplet ipse summus Legislator Deus, qui Lege sua naturali ciuilium quoque Legum obseruantiam vrget, (*vide dicta P. I. C. 2. Sect. I. Art. III. ad finem*) atque adeo etiam praeuaricationem certissime est vindicaturus.

§. 499.

Colliges: Scientiarum, scholarum publicarum, atque artium honestarum culturam, dignissimum omnino iustissimumque esse Legum ciuilium argumentum. Dicit enim non potest, quam magni sint haec omnia ad veram ciuitatis felicitatem momenti; vtpote quibus excoluntur ingenia, et mansuescunt, vt non tantum naturalibus ac diuinis praeceptis, quorum obseruationem promouere Magistratibus incumbit, §. 496. promptius se submittant; sed et politicas Leges libentius recipiant. Hinc praeclare Isocrates (40) decere, dixit, prudentes Magistratus, non porticus implere Legibus, sed efficere, vt ciues animis insitum habeant iustitiae studium. Non enim Senatusconsulta, et plebiscita, sed praeclare instituta felicem efficere ciuitatem. Nam homines male institutos leges etiam exquisitissimas negligere audere; recte autem educatos demum bonis legibus obtemperare velle.

§. 500.

Materia Legum in genere sub se complectitur omne illud, quod necessarium est ad felicitatem
X 5
ciui-

(40) In *Areopagit.* pag. 27:

ciuilem promouendam, et competente securitate muniendam; §. 495. Sed et istud est apud omnes exploratum, felicitate securitateque totius Reipublicae illam quoque singulorum contineri, neque enim felicitas securitasque publica stare poterit, si ista priuatorum passim labefactetur. Iam vero vtraque periclitari non ab exteris solum, sed etiam a ciuibus improbis potest, quorum ergo conatus omnino cohibendi, ac refringendi sunt. At vero improborum tale est plerumque ingenium, vt sola Legum obligatione nec retineri se, nec reuocari a facinoribus patiantur, nisi maioris mali metu ad ipsius Legis obseruantiam compellantur. Igitur necessario debet Imperantibus inter alia *Maiestatis iura* et illud competere, vt siue ipsimet pro publica, vel priuatorum felicitate promouenda tuendaque Leges condunt, §. 497. siue etiam naturalium diuinarumque obseruantiam vrgent, §. 496. simul possint transgressoribus earum *malum aliquod* repraesentare, cuius metu homines ab illarum violatione absterreantur; id quod dicimus *Ius Legibus sanctiones poenales apponendi*, quodque fieri potest, vel actum contra Leges susceptum irritum reddendo, et *effectus nullitate* multando; vel aliquid praeuicatoribus interminando *ipsorum vitam, sensum, honorem, aut fortunas detrimento quodam affecturum*; vel etiam *utrumque coniungendo*. Item apponi potest sanctio poenalis vel ita, vt pro definito crimine definita etiam poena statuatur; vel vt eius determinationem ipse sibi Imperans faciendam reseruet.

§. 501.

Nihil autem ad metum improbis incutiendum, ad promouendam Legum obseruantiam, adeoque ad ipsam ciuilem felicitatem securitatemque tuendam valerent sanctiones poenales, nisi vna cum *Lege factis, ac personis applicarentur*; id est, nisi inquireretur, factumne contra Legem patratum; patratumque auctori imputandum sit; imputatum vero re ipsa secundum Legis sanctionem in homi-

ne

ne nocente plecteretur. Eiusmodi *inquisitio*, et *cognitio* in alterius actiones coniuncta cum *facultate plectendi* dicitur *potestas iudiciaria*: igitur manifestum est, hanc quoque ad *iura maiestatis* pertinere. Et quoniam Leges vel *publicam* totius societatis civilis, vel *privatam* singulorum *felicitatem* respiciunt: §. 500. *Iudicia* etiam, quae circa posteriorem versantur materiam, erunt *privata*, vel, vt communiter vocantur, *civilia*; quae autem in priore occupantur, sunt *publica*, et vulgo *criminalia* appellantur.

§. 502.

Potestas iudiciaria siue Ius inquirendi, in aliorum actiones, et easdem cognoscendi, malasque poena vindicandi est inter *iura maiestatis*: §. *praec.* ergo *vindicta*, id est *punitio privata*, ciuibus inter se nunquam potest competere; Populus quippe iura Maiestatis transtulit ad Imperantes. §. 461. Quin ne in statu quidem naturalis libertatis locum habuit, hoc ipso quia erat *status aequalitatis* §. 349. aequali autem in aequalem vtique non competit *ius puniendi*, quod nunquam non superiorem supponit: igitur *vindicta* ista *privata*, vt iam pridem §§. 351. 364. etc. insinuauimus, *Iure naturae*, et *semper* est prohibita. Interim *vindicta* seu *punitio privata* immensum distat a iure *castigationis*, quod Parentibus, Maritis, Heris competere suo loco diximus; sed nempe non nisi per modum *disciplinae*. Vide §§. 393. 399. 400. 401. et 428. Neque minus poena *civilis* distinguenda est a *conventionali* in contractibus vsitata, ad hanc enim quisque se sponte obligat, si v. g. a pacto sine iusta causa reuilerit.

§. 503.

Ex hoc etiam, quod *potestas iudiciaria* fit *ius Maiestatis* §. 501. facile infertur, datis, forte iudicibus delegatis quibuscunque, contra iniustam illorum vim prouocationem ad summos Imperantes, quam *appellationem* dicunt, semper, et in
qua-

quacunq̄ue Regiminis forma apertam esse debere; quippe in hos tantum populus contulit, et quidem propter suum ciuitatis bonum Maiestatem, §. 462. et seq. cuius ergo abusum in delegatis iudicibus semper emendare tenentur. Ceterum tamen quum non raro temere, et nonnisi ad protelandam iudiciorum iustitiam improbi soleant appellare; huic etiam improbitati merito iusta remedia opponuntur, vt *iuramentum calumniae*, certa *summa* quam *appellabilem* vocant, *depositio pecuniae*, cuius iacturam faciat, qui prouocans iterum in causa fucubuerit. etc.

§. 504.

Finis poenae est felicitas ciuiliſ per ſecuritatem a malefactoribus, mali imminentis metu deterritis, procuranda. §. 500. Hinc reliqua consequuntur, quae ratione poenae tanquam generalia quaedam dogmata scire iuuat. I. *Non esse puniendos nisi reos*; atque hinc illa venit humaniorum Legislatorum sollicitudo, vt fontium bona, non nisi in enormissimis laesae maiestatis criminibus Fisco adiiiciant, ne nimirum, vbi iusta etiam causa suberat, poenam ad innocentes v. g. liberos extendisse videantur. Quare illam etiam Orientalium saeuitiam, totas saepe familias ob vnus crimen plequentium, merito omnes detestantur.

§. 505.

II. *Solo numero nunquam excusari nocentes*; adeoque integram etiam societatem propter voluntatum vnionem ream haberi, atque puniri posse, cuius exemplum supra §. 479. dedimus. Interim cauendum vtique, ne infontium eadem sit, quae noxiorum conditio, ne cum venia lapsorum poena illorum exaequet supplicium, qui criminis capita et faces fuerunt; illudque ante omnia pensandum, vtrum remedium non ipso fit malo nocentius futurum. Igitur *metus ad omnes; poena ad paucos perueniat.*

§. 506.

§. 506.

III. *Lapsus non adeo graues, aut noxios esse dissimulandos.* Namque et *humanitas* hanc indulgentiam exposcit: quippe quotusquisque mortaliū tam est vitæ integer, vt nunquam aliquid delinquat? et *felicitas ciuitatis*, quæ per lapsus eiusmodi vix aliquod, vti supponimus, seu publicæ, seu priuatæ patitur securitatis periculum, tantam seueritatem ita non postulat, vt sibi suisque tristissimam potius, et exitialem futuram penitus auerfetur.

§. 507.

IV. *Tantam debere esse poenam, quanta sufficit ad metum criminis male feriatu hominibus incutendum*; hac enim in re posita est; hinc pendet securitas societatis ciuiliſ, ipſorumque ciuium, quæ Reipublicæ felicitatem munire debet. §. 500. et 501. Quare ſi ad hunc finem ſola ſuffectura eſt delinquentis *emendatio*: ſatis erit illum ad ſtatum retrahere, in quo *nolit amplius peccare*; neque hoc caſu facile ad poenas *famoſas* progrediendum eſt, vtpote per quas hominibus fere occaſio amputatur victum honeſtis artibus quaerendi. Quodſi autem hoc non ſufficiat, aut ſpes emendationis nulla appareat: eo redigendus eſt reus, *vt non poſſit ultra peccare*. Imo ſi ne ſic quidem ſecuritati Reipublicæ cautum videatur, propterea, quod prauum exemplum eadem ab aliis metuenda facinora relinquat: *publica poena* in ſontem animaduertendum, illaque pro criminis magnitudine, et periculi publicæ ſecuritati imminentis grauitate *exaſperanda* eſt. Ex quo vides, quare *vita* etiam multari poſſint malefactores; et plerique *publice* ſint puniendi, id quod Deus ipſe in SS. Litteris non permittit ſolum; ſed et iubet, ac inculcat. Nempe adeo peruerſi ſunt quidam homines, vt, quod ipſi quotidie videmus, ne mortis quidem metu a flagitiis patrandis reuocentur, aut contra illorum malitiam ſatis poſſit muniri publica ſecuritas:

tas: sine hac autem quum ciuitas consistere nulla ratione possit, §. 456. Deus probando societatem euilem, hanc etiam fontes vita, atrocibusque suppliciis multandi potestatem populo ciuitatis concessisse necessario intelligitur: atqui saepe iam monuimus hanc potestatem a populo ad Imperantes translata fuisse: igitur etc.

§. 508.

V. *Talionem non esse saltem vniuersalem Iuris naturae Regulam circa proportionem inter poenam et delictum seruandam.* Quippe quae futura esset proportio, si vir in dignitate constitutus plebeio scurrae inflictam sibi alapam reddere posset? Sed neque a criminibus patrandis talis poena deterret, vti patet ex hoc ipso exemplo; adeoque poenae finis haud obtineretur. §. 504. Praeterea saepe talio impossibilis est, vti si luscus alteri vtrumque oculum excusserit. Igitur *circumstantiarum*, vti vocant, semper habenda est ratio, quae crimen multum exaggerare, aut minuere, atque etiam securitati publicae magis minusue nocuum facere possunt. Ceterum S. quidem Scriptura Talionis poenam saepius praescribit: verum, Iosepho teste, poterat eadem non raro pecunia redimi. (41)

§. 509.

VI. *Reum esse obligatum ad poenam tolerandam, non autem sibi ipsi inferendam.* Quoad primum enim, qui in Republica viuit, certe tenetur ad ea, sine quibus finis ciuitatis obtineri nequit: sed inter haec est toleratio poenae, si ad hanc trahitur; et certe, si penes Imperantes est ius eidem poenam inferendi; §. 501. et 507. penes ipsum debet esse obligatio poenam inferentibus haud resistendi. Ceterum *sibi ipsi manus inferre*, neque est necessarium ad finem ciuitatis, et contra

(41) L. 4. *Antiq. Iudaic. Edit. Basil. 1524. C. 6. f. 112.*

tra omnem etiam pugnat naturae instinctum: vnde barbarus est mos quorundam populorum, qui reos ad venenum sumendum, abdomen incidendum etc. cogunt; illisue optionem dant, quam ipsimet mortem sibi arcessere malint.

§. 510.

VII. *Denique Imperantes non minus ad iustas fontibus poenas infligendas obligari.* Quippe tenentur, vt saepe ostendimus, ad finem ciuitatis promouendum, qui obtineri sine poenis non potest. §. 501. et 507. Quum tamen iidem ex iusta causa Legibus derogare valeant; §. 497. istud etiam dubio vacat; posse illos, licet non sine grauissima ratione, poenae gratiam fontibus facere.

§. 511.

Iura maiestatis ea omnia sub se complectuntur, sine quibus Imperantes finem ciuitatis, quem promouere tenentur, obtinere non possunt: §. 491. sed enim ad hunc finem solae Leges handquaquam sufficiunt, etsi poenalibus sint etiam sanctionibus circumuallatae. Quippe nemo ita omnium rerum ignarus est, vt non oculis animoque perspiciat, multis adhuc opus esse, vt vel sola interna floreat, vigeatque ciuitatis felicitas, atque securitas: haec autem ipsa quam est sollicitate; quam mature aduersus *externas hostium machinationes* praemunienda? Sero certe securitatis praesidia circumspiciuntur, quando Hannibal ante portas est. Indequè natum fuit notum illud, ac longe verissimum: *Beata esse ciuitatem, quae tempore pacis de bello cogitat.* Iam vero rerum omnium gerendarum (vti quotidiana docemur experientia) neruus est *pecunia*, sine qua pace, belloque nil magnum agi potest. Igitur *aerario* opus est, et quidem copioso; quin multo locupletissimo, vbi maius imminet ab externorum hostium improba cupiditate periculum. Neque de illò dubitari iam vltà potest, Imperantibus illius congregandi, tuendi, atque rite administrandi curam incumbere. Vnde autem
aera-

aerarium, nisi vel adfit ager publicus, vel alius fundus, cuius fructus eidem fatis locupletando sufficient; aut pecunia a ciuibus contribuatur? Itaque agro eiusmodi, aut fundo non exstante, aut saltem, vti plerumque fit, tantis sumptibus haud sufficiente non potest non Imperantibus inter cetera maiestatis iura illud etiam competere, *ut eiusmodi exactiones pecuniae facere, ordinare, atque administrare pro Reipublicae bono possint.*

§. 512.

Exactiones pro publico tali aerario fiunt imperatis tributis, et vectigalibus. *Tributa* (vulgo *Steuern*) imponuntur *personis*, ac *fundis*: contra *vectigalia ex mercibus importandis, vel exportandis, rebus fungibilibus*; §. 318. *commercii, opificiis* exiguntur. Vnde patet, priora non nisi *subditis*; posteriora, etiam *exteris* merito cum iusta moderatione iniungi posse, si in aliena Republica propria sua lucra quaerere, aut illius vtilitatibus, ex communi aerario paratis, v. g. viis publicis commode substructis, reffectisque, frui velint.

§. 513.

Vt vero huiusmodi exactiones a ciuibus subditisque rite pendi valeant, vtique illud etiam ius Imperantibus necessario est vindicandum, *ut de bonis ipsis recte utendis, transferendis, et alienandis salubres sancire leges*, adeoque illis, qui per aetatem, infirmitatem, vitium aliquod, vel ob aliam causam bona sua recte administrare haud valent, Tutores, Curatores, Administratores etc. dare; opificia, et commercia prouehere, foederibus firmare, et extendere, atque iterum sapientibus restringere Legibus, et vno verbo, omnia ea agere possint, quae ad felicitatem securitatemque ciuium hac in re necessaria et opportuna videbuntur. Ceterum, quod commercia spectat; illud sane perquam sollicite est cauendum, vtne pro rebus friuolis, aut vanae lucri spe per varios fortunae ac fortium lusus saepe re ipsa iniustos, et, si rationes
expen-

expensi ac recepti bene subducantur, plerumque totius Reipublicae diuitiis admodum noxios tanta auri et pecuniae vis *in terras exteras* profundatur.

§. 514.

Quoniam autem *felicitas ciuium securitate munita* vnicus est *contributionum finis*; §. 511. non vtique in illorum iniuriam ac calamitatem conuerti debent: itaque I. ea sunt temperandae prudentia, vt habita cuiuslibet facultatum ratione nemo oneribus opprimatur. *Iustum enim existimo*, praeclare aiebat ille Romanorum Rex, Seruius Tullius, (42) *et Reipublicae utile, vt, qui multum possident, multum conferant; parum vero, qui sunt in re tenui.* II. Nec immodicae sint exactiones, nec ea extorqueantur acerbitate, quasi ciues seruorum ritu nihil sibi; omnia Imperanti aquirent. III. In aerarium publicum collata integerrima fide administrantur; neque aliter, nisi ad veram Reipublicae vtilitatem, et genuinum ciuitatis finem obtinendum expendantur.

§. 515.

His rite obseruatis dubitari non potest, quin eiusmodi *contributiones* pro viribus a singulis ciuibus rite ac fideliter praestandae sint; quippe qui omnes in media ad finem ciuitatis necessaria consentire debent; atque hinc iisdem exactionibus sese *ex pacto* submittere tenentur. Vide §§. 457. 458. 473. 474. et 479. Illud etiam ex hactenus dictis plane est consequens, *neminem temere a contributionibus publicis excimendum esse*, nisi illius opera merito tanti aestimari possit, vt per eam eiusmodi onus publicum omnibus ciuibus ex aequo incumbens facile compensetur.

§. 516.

(42) *Apud Dionys. Halicarn. Antiq. Rom. L. 4.*
P. Schwarzhueber Eth. P. II. Y

§. 516.

Ceterum nihil heic magis foret opportunum, quam illam quoque ventilare quaestionem, quae iam toties agitata his ipsis annis noua contentione dicam, an inuidia resuscitata est; vtrum nimirum *personae et res ecclesiasticae a tributis et vectigalibus sint immunes censendae*. Sed enim vastius haec patet controuersia, quam vt ex solis Ethicae principiis cum fructu Auditorum tractari, aut definiri possit: Igitur illam ad altiores remittimus disciplinas, ad quas sua velut sponte excurrit. Quodsi vero aliquem iam nunc ista sciendi impotens prurigo titillat: legat mea pace, quae nuper non sine partium studio pro Clero ex Iuris ecclesiastici Interpretibus collegit notissimus ille *Lochenstenius*; legat, quae idem summa diligentia contra Clerum vndique coaceruauit, accumulauitque argumenta: sed huic postquam vnam accommodauerit aurem; alteram seruet illis, qui aduersus Lochenstenium decertant; Legat, inquam, illorum etiam Lucubrationes, illam praecipue viri eruditissimi, qui sub *curionis ruralis* (43) nomine voluit latere, et alteram clarissimi Patris *Anselmi Molitoris*, Benedictini Deggingani, (44) id temporis in inclyto episcopali Lycaeo Frisingensi SS. Theol. Professoris: et tum denique iustam sepositis praeoccupatis animi persuasionibus, et amaris praeiudiciis proferat sententiam.

§. 517.

Statutis hactenus limitibus definita, et Imperantibus vindicata potestas sufficere potest ad ciuitatis felicitatem securitatemque in *statu ordinario* pro-

(43) Anmerkungen des Landpfarrers zu S. A. im Deutschlande über des Herrn von Lochenstein Gründe de r. München, 1768.

(44) *Dissertatio Theol. de potestate Ecclesiae*. Ingolstadii 1767. cui alia hoc ipso anno 1768. accessit.

promouendam, atque tuendam: At vero *necessitas extra ordinem* premens non potest non *extraordinaria*, et magis efficacia expetere *remedia*; utpote sine quibus salus Reipublicae perstare nulla ratione posset: igitur in *tali casu necessitatis* inter cetera *maiestatis iura maius aliquod impertum in ciues eorumque actiones et bona* Principibus competat oportet, opusque est, ut maioribus officiis saluis, omnia ipsis permessa sint, sine quibus finis ciuitatis obtineri nequit: v. g. potestas belli tempore castra in priuatorum agris metandi, vias nouas per illorum praedia designandi, in iisdem munimenta aedificandi, hortos et villas suburbanas hosti pro receptaculo seruituras demoliendi, etc. Et sane quum *felicитatis, securitatisque publicae* gratia populus in ciuitatem confluerit, debent etiam singuli *publicum bonum priuatis suis commodis, et damnis anteferre*. Potestas haec ab Hugone Grotio (45) *eminentis dominii* vocabulo primum appellata, hoc nomen vsu, deinceps communiter recepto, retinuit, quamuis melius *Imperium eminens* diceretur; quoniam *dominii* notio §. 303. et 320. huic potestati plane non conuenit, uti etiam Cl. Heineccius (46) animaduertit, et pridem Seneca monuit: *Ad Reges, inquit, (47) potestas omnium; ad singulos proprietas pertinet.*

§. 518.

Imperium hoc ut locum habeat, *casus necessitatis* requiritur; §. *praec.* haec autem non utique *praesens* semper, et toto suo pondere ceruicibus incumbens exspectanda est; sera enim tum fere parari remedia solent: ceterum si sufficit, ipsa suffragante ratione, merito ac iuste timenda *necessitas*; illud etiam cauendum est, ne ius eiusmodi in summam ciuium degeneret iniuriam. Igitur nihil absque *necessitate* tentandum; et multo minus

Y 2

(45) *de I. B. et P. L. I. C. I, 6.*

(46) *I. N. et G. L. 2, §. 68, in Schol.*

(47) *de benef. 7, 4.*

minus propter solam Imperantium *utilitatem* ac *voluptatem* in civium bona rapaces manus iniiciendae sunt, vti Achabus Rex cum Nabatho fecisse legitur. (48) Quin, si publica salute ita exigente quisquam rerum suarum iacturam facere debuit: damnum eidem (saltem si dispendia citra suam culpam passus est) ex publico aerario pro rata opportune sarciendum est; namque *communia* onera *communibus* etiam, et non singulorum sumptibus sunt ferenda.

§. 519.

Et quum *eminens* istud *imperium* non minus, quam cetera maiestatis iura ex *pactis* inter *populum* et *Imperantes* firmatis oriatur: §. 492. et 517. etiam se extendere nisi ad *solos* *ciues* non potest, quippe qui soli *vigore* *pacti* finem civitatis promoveri tenentur. *eodem* §. 517. Igitur non est attendendum, quid fiat; sed quid fieri debeat, et cordate asseuerandum, nunquam licere *exterorum* *bonis* manus iniicere, nisi aut pro eo tempore *hostes* sint, contra quos, quid liceat, *Art. sequ.* docebitur; aut Respublica in praesentibus rerum adiunctis *ultima* *necessitate* laborare merito censeatur, qua omnia (quatenus eiusmodi necessitas vrget) *communis* fieri iam supra §. 321. insinuauimus.

§. 520.

Quae hactenus de *iuribus* *maiestatis* diximus, quaeque porro dicturi sumus, manifestum omnibus reddunt, eadem totidem esse *officia* et quidem longe *grauissima*, *vastissimaque*, quae summis Imperantibus incumbunt, vt illis rite impletis felicitatem securitatemque Reipublicae promoueant, ac tueantur. Atque haec sane per se exigunt, vt maiorem supra omnes ceteros in ciuitate habeant *auctoritatem*, suamque *dignitatem* externis etiam subsidiis ita tueantur, vt splendidius in subditorum

rum oculos incurrens reuerentiam illis a populo, qui magna ex parte sensibus magis, quam ratione ducitur, possit conciliare. Praeterea merentur sane, qui tot curas pro Reipublicae bono in se suscipiunt, *ut publicis etiam sumptibus magnificentius, et commodius sustententur.* Haec ergo duorum merito exigant Imperantes, eaque sine opulentis prouentibus praestari haud possint: ciuitas huic duplici fini bona quaedam destinauit, quorum complexio *Fiscus* vocari solet. Porro autem ex hoc ipso patet, quantum ille differat a *publico aerario*, quod supra §. 511. et seq. descripsimus. Igitur iterum non quod fieri amat; sed quid fieri oporteat, considerandum, et *Fiscus* cum aerario nunquam permiscendus est.

§. 521.

Ad *Fiscum* itaque ea sola pertinent, quae a populo pro dignitate Imperantis tuenda, et sustentatione eiusdem sunt designata. §. praec. Aequum autem est visum gentibus, non modo praedia, et certos territorii tractus Principi concedere, quae *Domania* vocantur: verum etiam *vectigalium* §. 512. subinde partem, et ea praecipue relinquere, quae intra territorium adhuc nullius sunt, §. 319. ut hac ratione cum *minimo singulorum dispendio* *Fiscus* locupletaretur. Hinc non est mirum, quod sibi Principes piscandi, venandi, mineralia fodiendi, gemmas colligendi, bona vacantia, et thesauros occupandi etc. ius saltem ex parte arrogent; quod monetas cudendi facultatem sibi solis vindicent; quod ab aliis scelere quaesita et multae nomine exacta in suas inferant arcas etc. Ista porro omnia *Regalium* nomine veniunt. Ceterum quum non apud omnes eadem obtineant; quid vere ad *Fiscum* heic et nunc spectet, cuiusque Reipublicae mores consulendi sunt.

§. 522.

Domania et *Iura regalium* tanquam perpetuus aliquis fundus Imperantibus pro tuenda dignitate,

et splendidiore sustentatione a populo fuerunt attributa: §. 520 *et praec.* igitur sine praenio populi *consensu* vel succedente saltem *ratihabitione* nunquam alienari; adeoque male alienata semper iure *reuocari* possunt. Aliud est porro *de fructibus* earum rerum statuendum, quos procul dubio Imperantes, ceu veri domini, percipere, et pro voluntatis arbitrio consumere, ac expendere tanquam res proprias possunt. Illud etiam nemo sanus in dubium reuocauerit, *consensu aut saltem ratihabitione populi* illas conualuisse donationes, quibus pii olim Principes Ecclesias cumularunt, quantumuis liuido oculo easdem nostri Politici intueantur. Et sane animaduersum est hactenus, ipso fatente Clar. Heineccio, (49) pessime cessisse illorum consilium, qui rapaces talibus Maiorum suorum donis unguis infingere haud dubitarunt: quando contra omnis testatur historia, eiusmodi profusionibus ita non fuisse exhaustas Veterum diuitias, ut vix unquam opulentiores vixisse Principes legamus.

§. 523.

Ea vero rerum moles quum Imperantibus incumbat, §. 520. cui ferendae vix sapientissimi cuiusque ac promptissimi robor sufficiat: non potest non iisdem ius competere *Administros eligendi, et creandi Magistratus*, quorum illi Principis *vices* in demandatis sibi rebus impleant; isti *proprio* quidem nomine, sed *Principis* tamen *auctoritate* partem Reipublicae sibi creditam gubernent. Inde autem patet I. eiusmodi siue Administros, siue Magistratus muneribus suis non nisi *dependenter* a summo Imperante fungi posse. II. Nefas esse Imperanti praecipuam, et quidem solertissimam Reipublicae curam abs se amoliri, et in alios reicere, ut tanto ipse liberius genio indulgere, commodiusque suis voluptatibus frui possit. Non his sane pactorum Legibus summa eisdem Maiestas, tantis cum praefidiis tuendae dignitatis

(49) *L. c. §. 176. in Schol.*

tis et splendidae sustentationis adminiculis est concessa. §§. 478, 520, etc. Ergo pro virium suarum facultate ipse, quantum fieri potest, per se populum regere, et eius felicitatem securitatemque promoveri tenetur. III. denique hinc facile est ad existimandum, quid de illis censendum sit, qui ut summam potestatem ad se rapere, et illa pro libidinis ambitionisque suae licentia abuti possint, pestiferis lenociniis, et pseudopoliticis artibus Principum animos iam inde a teneris ita occupant, corrumpuntque, ut in alta rerum ad munus suum spectantium ignorantia educati solis se deliciis fruendis, et perpetuo novandis natos existiment, nec aliam quam cupiditatum Legem habere credant.

§. 524.

Porro autem quanto minus *per se solos* vastissimis suis officiis satisfacere Imperantes possunt: *S. praec.* tanto impensius curare debent, ut in re tanti momenti *diligentissimum aptissimorum faciant delectum*, quibus nimirum administrandae Reipublicae partem tuto permittere possint. Praeterea iisdem incumbit Principibus, ut quamvis provide, ac diligenter delectis *maxima intendant vigilantia*, quo creditam provinciam ea fidelitate, diligentia integritateque administrent, ne quid ab ipsis publica populi salus detrimenti patiatur. Ex primo consequitur, posse Principes, ut semper praesto sint viri idonei, *bene de Republica meritos praemiis et praerogativis cohonestare*, atque adeo etiam nobilitate donare, quatenus alii illorum exemplo, et hac spe excitati alliciantur ad ingenii animique dotes pari industria in publicam salutem conferendas. Ex altero recte infertur, opus esse, ut *poena non modo certa, sed et acerba illos maneat*, qui suamet malitia abrepti creditis muneribus ad Reipublicae perniciem abutuntur; aut certe per ignaviae culpam bonum publicum negligunt procurare.

ARTICULUS IV.

DE EFFECTIBUS SUMMAE IMPERANTIUM
POTESTATIS QUANTUM AD EXTEROS,
SEU DE IURIBUS MAIESTATIS
TRANSEUNTIBUS.

§. 525.

*Iura Maiestatis transeuntia sunt effectus summae potestatis propter ciuitatis bonum ad Imperantes translatae, qui ad exteros extenduntur. §. 491. et 493. Ciuitas autem est societas, in quam homines in statu naturalis libertatis positi se aggregarunt: §. 449. igitur facile patet, Ciuitates inter se comparatas viuere in statu naturalis libertatis; hic vero quum fit status aequalitatis carens Superiore, §. 349. consequens est, ciuitates inuicem comparatas non habere nisi in propriis viribus medium iniustos aggressores repellendi, et si qua sibi iure debita ab alio populo iniuste negentur, ea extorquendi. Quia ergo vim vi repellere, suaque tueri cuilibet Iure naturae licet, vti pridem *Eth. part. II. Cap. I. Sectione I. Art. II. de off. erga se ipsum, et ibidem Sect. schol.* ostensum est: recte inferitur, id ipsum etiam ciuitati esse permittum, adeoque illi competere *Ius belli*. Neque enim per bellum aliud intelligitur, quam *status eorum, qui in naturali libertate viuentes iuris sui persecuendi causa vi, dolore concertant, aut saltem concertandi propositum retinent*; quae Cl. Heineccii (50) definitio omnium optima videtur. Iam vero quum populi in ciuitatem coalescentes propter ipsius ciuitatis finem, id est suum ipsorum bonum eiusdem libertatis iura vna cum summa potestate in Imperantes transtulerint; vti iam toties a nobis monstratum inculcatumque fuit: inter *iura Maiestatis transeuntia* non potest non Principibus illud praecipue competere, *ut ipsis propter Reipublicae felicitatem securitatemque bellum cum exteris iniquis**

(50) *I. N. et G. L. 2. t. 9. §. 191.*

iniquis aggressoribus, aut populi iurium violatoribus gerere liceat.

§. 526.

Ex his sequitur I. contra Manichaeos, contra Anabaptistas, et ex parte contra Lutheri insaniam, aduersus Turcas et Saracenos tanquam Dei flagella, quibus resistere non liceret, pugnare prohibentis, *bellum iure naturae esse licitum*, imo etiam diuino permissum; etenim *neque Ioannes*, ait S. Augustinus, (51) *ab armis iubet discedere milites; et Christus tributa Caesari monet reddi, quia propter bella necessario militi stipendium praebetur*. II. Ius belli, licet in *statu naturalis libertatis* omnibus promiscue competat, in *statu tamen ciuitatis* non congruere, nisi *toti populo*, pro forma *democratica* regiminis; *collegio optimatum*, pro forma *aristocratica*, et *Principibus*, pro forma *monarchica*; quamuis horum vltimorum potestas, possit in isto maxime negotio esse restricta *Vide dicta § § 460. etc. item 466.* denique *Systemati ciuitatum* ius idem debetur, vbi haec ipsa societas viget §. 467. Igitur *Magistratibus inferioribus iniussu supremorum* bellum gerere nunquam licet, tantoque magis *bella*, siue *duella priuata* sunt iure naturae in *statu ciuitatis* prohibita, vti iam suo loco ostendimus. §. 363. et seq. III. Hinc recte deducitur, *seditiones ac tumultus*, in quibus ciues priuatis auspiciis arma vel aduersus ipsam Rempublicam corripiant; vel in se mutuo stringunt (quamuis *bella ciuilia* communiter dicantur) belli tamen nomen neuntquam mereri; atque adeo etiam priuatorum piratarum, praedonumque, licet conglobatorum, vagam violentiam nihil esse aliud, nisi funestissimum *latrocinium*, quod iure belli gaudere nequaquam potest. IV. Sequitur *finem belli* vnicum esse *Reparationem iuris laesi*, seu, quod idem est, *Reparationem felicitatis, securitatisque ciuilis exterorum iniuria turbatae*. V. denique infertur *Pacem esse statum hominis naturalem*: bellum contra *praeternaturalem*, et

(51) Contra Faustum L. 22. relatus Caus. 23. Q. 1. c. 4.

extraordinarium, quippe non ex Dei intentione, sed hominum malitia inuectum. Namque Hobbesii *bellum omnium contra omnes* pro iuris naturae principio adoptantis insaniam iam pridem in *Prolegomenis* sumus detestati. §. 22.

§. 527.

Ius belli eatenus competit Imperantibus, quatenus credita ipsorum curae ciuitas, quae cum illis pariter in statu naturalis libertatis posita est, nullum nisi in propriis viribus medium habet iniustos aggressores repellendi, et quae sibi iure ab alio populo debita iniuste negantur, extorquendi. §. 225. Igitur etiam *causae iustificae* belli non possunt esse nisi duae: I. iniusta *aggressio* ciuicæ societatis, et rerum ad illam pertinentium, II. *iniqua denegatio iuris* ad eandem spectantis. Ad hanc vltimam commode referatur causa, quam Illustr. Puffendorfius (52) tertiam videtur addere, *ut illatorum nobis per iniuriam damnorum reparationem obtineamus, cautionemque de non offendendo in posterum ab eo, qui nos laesit prior, extorqueamus*. His namque recusatis vtique *ius ciuitati debitum* negatur, et quidem tale, quod praecipue urgendum esse vnusquisque facile animaduertit. Ex probatis porro iustificis belli causis prior bellum *defensuum*; posterior *offensuum* ab iniustitiae noxa absoluit: quam diuisionem claritatis causa adoptamus, et ut communi loquendi modo doctrinam accomodemus; quin propterea litem illis mouere velimus, qui, quod omne bellum iustum *iniuriam* et *offensionem* praesupponat, *S. praec.* illud etiam semper *defensuum* esse contendunt.

§. 528.

Iamque igitur ad huius staterae bilancem omnium bellorum iustitia appendenda, et examinanda est. Verum quum vastissime pateant, quae hinc deduci possunt, corollaria; eademque saepe altiorum discipli-

sciplinarum, ac Theologicis etiam implicentur principiis: nos amputatis hisce omnibus pauca tantum et celebriora intra propriae scientiae oleas mansuri deducamus. Sequitur autem I. *Punitionem scelerum* ab Hugone Grotio inter iustificas belli causas cooptatam (53) inde omnino expungendam esse: Ciuitates enim inter se sunt in statu *naturalis libertatis*, et *aequalitatis*, adeoque non habent *Superiorem*: §. 525. sed *punitio* supponit *Superiorem*: §. 502. igitur etc.

§. 529.

Sequitur II. multo minus *denegationem officii*, seu *iuris imperfecti* iustum bello titulum suppeditare. Quamuis enim eiusmodi officia humanitatis nec ab omnibus, nec semper negligi possunt, uti pridem monuimus in *Prolog. §. 8.*: eo tamen ipso nemini tribuunt certum *ius exigendi*; adeoque etiam tollunt querelam *iniuriae*, qualem ad iustificam belli causam requiri manifestum est *ex dictis §. 527.* Igitur haud immerito maiores nostri apud Tacitum vapulant, quod *solo mutandae sedis amore* incitati Gallis eos admittere in suas terras nolentibus (ad quod minime tenebantur) bellum intulerint. (54) Neque *negatus exercitui per tertii cuiusdam ditiones transitus iustam* potest armis causam praebere; quia neque est debitus, et fere periculosus ab vtraque belligerantium parte, vti facile patebit consideranti. Idemque dicendum de *negatis hospitibus, mutuis pecuniis, com-
meatu etc.* Pariter *commerciorum libertas* a Principe exteris apud proprios ciues restricta belli causam haud sane iustificat: quippe ad concedendam illam facultatem Imperantes tanto minus obligantur; quanto iustius suaemet Reipublicae felicitatem per propria subditorum mercimonia prouehere, suorum ciuium lucra exterorum emolumentis anteferre, et pericula, aut damna ex immodico luxu, aut nimia aduentantium peregrinorum frequentia suboritura prae-

(53) *De I. B. et P. L. 2. c. 1. II. 1.*(54) *L. 4. hist. n. 73.*

praeuertere possunt. §. 512. et 513. Quapropter, nisi talia ex pacto aliquo antecedente debeantur; aut sine omni detrimento ac periculo (id quod raro fit) eo ipso petantur tempore, quo extrema vrget postulantibus necessitas, quin eadem negantes premat: pro iusta belli causa minime assumi possunt; quia nimirum extra hos casus non sunt *vera alieni et stricti iuris laesio, aut denegatio.*

§. 530.

Sequitur III. haud recte arma sumi *praecise ad imminuendam potentiam crescentem, quae nimium aucta nocere possit.* Quippe in primis ius cuique competit, suas vt opes iustis modis, quam potest, validissimas reddat; et si malis etiam id agatur artibus, sine tamen nostra offensione, nihilo secius puniendi potestas in aequalem se nunquam sane extendit §. 528. Deinde *vim pati posse, vti sapienter animadvertit Grotius, (55) vt ad vim inferendam ius tribuat, ab omni aequitatis ratione abhorret. Ita namque vita humana est, vt plena securitas nunquam nobis]constet. Adversus incertos metus a diuina providentia, et ab innoxia cautione, non a vi praesidium petendum est.* Igitur si iusta fodicet vicinos orituri nocumenti suspicio; non poterit quidem aemulus merito conqueri, si proximarum ciuitatum Principes hoc metu excitati bellum simili ratione parent, et pro finibus tuendis foedera inter se iungant: sed neque vicissim solus illorum metus ius aemuli tollere poterit, vt nulla praecedente offensione iniquis armis haud laceffatur. Quod si vero non iam sola metum incutiat potentia; sed praeterea de ipso nocendi animo plane constare videatur: illud etiam erit iustum, vt cautio de non offendendo idonea a Vicino eiusmodi exigatur, quae quum iure perfecto in casu tam anticipi absque dubio debeat, pertinaciter negata iustificam etiam belli causam omnino suppeditabit; quoniam fatendum plane est cum eodem Grotio (56) accrescen-

(56) *Loc. cit.*(55) *De I. B. et P. L. 2. c. 1. §. 17.*

crescentem cum periculo vicinorum alicuius civitatis potentiam in consultationem de bello venire non quidem sub ratione iusti, sed sub ratione utilis; ut si ex alia causa iustum fit bellum, ex hac causa praedenter quoque susceptum iudicetur. Quare ipsi nos principio huius §. monuimus haud recte arma sumi praecise ad imminuendam etc.

§. 531.

Sequitur IV. Neque iustificam causam belli ex notissimo illo *Europaico aequilibrio* extundi posse, quod Ioannes Iacobus Lehmannus in sua *Europae trutina* persuadere aggressus pro Gentium instituto venditavit, et quo potentiorum imperantium dominia ita limitare conatus est, ut per virium proportionem ipsa patriae tranquillitas, ac gentium conservatio roboretur; unde concludit, Potentiores, si de dilatata nimis imperii amplitudine quidquam cedere pertinaciter recusent; aut istud aequilibrum institutum aliis modis evertere moliantur, bello communibus reliquorum (quatenus illorum interest) sumptibus adornando in ordinem redigi posse. Verum enim, ut sapienter advertit Magnificus P. Franc. Schmier, (57) ista bellandi causa nihil omnino differt ab illa, quam §. praec. improbauimus; quemadmodum vel obiter expendenti ad oculum patebit. Deinde iniquissimum est, Imperantes potentiores auctis iusto Marte, aut legitima successione Regni finibus cogere velle, ut quoties minorum gentium Diis illorum opibus specioso formidinis obtentu invidere libebit, iisdem aut ditionum partemvltro concedere, aut invasionem hostilem expectare debeant. Denique licet istud aequilibrium hodie adhuc in omnium ore versetur, et ipsis forte intercedat summorum Imperantium consiliis, magnificentius tamen, quam verius iactari videtur; nam ut pro *gentium instituto* haberi posset, necesse eninvero foret, ut quo-

(57) *Iurisprud. publ. univ. L. 4. c. 1. Sect. 3. §. 2. n. 149. et seqq.*

(quoniam ex hactenus dictis *Iuris naturalis* non est id ipsum Gentes mutuo consensu indaxissent : at enim hoc est ipsum , quod quaelibet ciuitas , et quisque Imperantium tam primum rotunde negauerit , atque eius res visa fuerit periclitari. Age vero , quis etiam acceptato huius *aequilibrium* instituto finium regundorum , ac diuidundorum curam in se recipere sustinebit ? quis tanta pollebit auctoritate , vt illius placitis nemo repugnare velit , aut moliatur ? quando circa haec vna erit , non dicam omnium , sed plurimum sententia ? Patet enim uero ex his omnibus , *aequilibrium inuentum* remedium peius malo futurum , statumque *pacis* , quem naturalem Reipublicae esse , *supra §. 526.* ostendimus , tristissima metamorphosi in *bellum perpetuum* esse transmigraturum.

§. 532.

Sequitur V. multo magis illas esse belli causas submouendas , quas Pseudopolitici *sola utilitate* metiuntur , et rationem belli (*Raison de Guerre*) vocant. Quamlibet speciosi videantur eiusmodi *colores* : nunquam tamen iniustum poterunt bellum cohonestare , quo scilicet nullum est in orbe detestabilius malum ; imo quod omnium est malorum compendium. Execrabiles sunt igitur non hominibus magis , quam ipsi Deo Reges , qui vt Plutarchus ait , (58) *duobus nominibus pacis , et belli tanquam nummis utuntur , non ad id , quod iustum est , sed ad id quod expedit.*

§. 533.

Quemadmodum omnia Maiestatis iura a populo ad Principem non alia causa translata sunt , quam vt illorum vsu *ciuitatis finem* possit promouere : §. 461. et 478. ita etiam *Ius belli* non nisi eatenus competere potest , quam quatenus est *medium* ad felicitatem securitatemque ciuium contra exterorum iniurias tuendam , aut reparandam. §. 525. Igitur quum Reparatio aut defensio securitatis felicitatisque ciuilibus fit

(58) *Apud Grot. de I. B. et P. L. 2. c. 22. §. 4.*

fit verus acvnicus bellorum finis; §. 526. ipsum vero bellum fit medium non modo *luctuosum*, verum etiam *anceps*; vtpote quod semper nocentes cum innocentibus victores cum victis, totasque regiones immanibus ac infinitis fere calamitatibus, caedibus, rapinis, emunctionibus, damnis malisque inuoluit; quod deterrima scelera ac flagitia nunquam satis coercere, multo autem minus abs se secludere potest; quod saepe numero fallente fortunae alea ipsos suos auctores longe reddit infelicissimos: ea simul, quae omnibus incumbit cultus diuini promouendi cura, simulque debita hominibus charitas, ipsaque adeo humanitatis ratio, imo propriae Reipublicae salus, felicitas atque securitas omnino exigunt, obligantque, vt ne ad bella *temere prouant* Imperantes; sed non nisi exhaustis omnibus mitioribus mediis ea tandem tanquam *ultima summae necessitatis praesidia* exserant, et velut reseruata depromant.

§. 534.

Igitur *iniuria* ciuitati ab externa aliqua gente illata, vt *injustam* efficiat belli *causam*, §. 527. non quaelibet sufficit; sed debet esse *longe grauissima*; secus quippe non poterit inter illam, tamque immane, et anceps malum, quale bellum est, §. *praec.* iusta intelligi proportio. Praeterea pessime esset et torius socialitatis humanae, et singularum ciuitatum felicitati securitatisque prospectum, si propter quamlibet offensionem, quam Philantia et ambitio semper maiorem, quam qualis re ipsa est, effingit, mutuis se laceffere, atque conficere armis liceret. Nihilominus inter atrociores iniurias insignis etiam *honoris laesio* merito connumeratur, cuius igitur reparatio (*iure perfecto* certe debita) si petulanter negetur, iustam bello causam praebet inter gentes liberas, quae Superiorem non agnoscunt, neque aliud habent satisfactionis extorquendae remedium. Hinc David, Hanonem Regem Ammonitarum iusto petiisse bello legitur, (59) ideo, quod iste Legatis il-
lius

lius barbam ad medium mentam ignominiose raserit, et vestes turpissimo cum dedecore vsque ad nates praecidi iuperarit.

§. 535.

Neque tantum *grauem*, verum etiam *certam* oportet esse iniuriam; quaecunque enim, iam superius §. 533 memorata, praecipiunt, vtne ad bella quis temere proruat: ea simul exigunt, ipsa ut belli iustitia, antequam arma tantum paritura discrimen corripiantur, ita examinetur, vt satis liquido de eadem constet bellum inchoaturis. Quamuis autem, vbi de iuribus ciuitatum controuertitur, ad *euidenciam veritatis* saepe non possit penetrare humanae cognitionis imbecillitas; atque hinc respectu belli idem omnino tenendum sit, quod de moralitate ceterorum actuum humanorum docuimus, nimirum satis certam esse tum iniuriam, tum belli iustitiam ac honestatem, si eadem in tali casu sit oppido *verisimilior*, ac *probabilior*; imo si quis praeter ius dubium habeat *ius certum possessionis* bona fide munitae (*vide dicta de conscientia P. I. c. 2. Sect. I. A. III. et Sect. schol. ibid.*) quamuis etiam hinc sequatur, fieri posse, vt vtraque belligerantium pars iusto titulo belli in conscientia perfruatur: ipsa tamen summa belli calamitas, tamque ambiguum huius mali discrimen plane euincit, non qualemcunque sufficere deliberationem, sed longe diligentissimam, et ab omni partium studio alienissimam, hominumque doctissimorum ac prudentissimorum adhibendam esse, vt recte de gerendi belli iustitia discernatur, eaque vere probabilior aut idoneo possessionis titulo munita, adeoque *moraliter certa* haberi mereatur. Itaque satis laudari non possunt cum Grotio (60) *Romani veteres*, qui non nisi consulto collegio *Fecialium ad id instituto*; et *Imperatores christiani*, qui vix, nisi auditis *Episcopis bella suscipiebant*, vt si quid esset, quod religionem posset iniicere, eius monerentur.

§. 536.

(60) De I. B. et P. L. 2. c. 23. §. 4.

§. 536.

Iniuriae gravitate, ac certitudine in tuto posita ne tum quidem fas erit non calamitosam magis, quam lubricam belli aleam tentare, si spes adhuc probabilis affulgeat, adduci mitioribus viis laedentes posse, ut pro iniuria *satisfactionem*, et pro futura securitate *cautionem* praestent. Tum quippe bellum neutiquam foret, quod esse debet, *ultimum summam necessitatis praesidium*. §. 533. Igitur antequam vi ferroque res agatur, id quod debetur, petendum, et ipsa petitionis aequitas demonstranda est; sique controversia *amica disceptatione, colloquio, aut electis*, in quos nulla iusta suspicio cadit, mutuo consensu *arbitris*, aliisue *aëquis*, neque adæo cruentis *modis* componi potest; haec quidem eludere media, aut subterfugere nulla ratione licet. Vere enim Cicero: (61) *quum duo sint genera decertandi, unum per disceptationem, alterum per vim; quumque illud proprium sit hominis, alterum belluarum: confugiendum est ad posterius, si uti non licet priore*. Ceterum animadvertas velim, *Sortem* non satis apte inter media praescindendi belli a Grotio (62) recenseri; quum vix aliquis sit Princeps iura sua fortunæ permissurus. *Manifesta quoque hodierna*, quibus belli causae declarari solent, raro huc referri possunt; utpote quae fere tum demum vulgari solent, quando intra telli iactum iam infesti stant exercitus. Denique colliges, *solemnnes bellorum indictiones*, olim tanti habitas, non esse iuris naturae; sed illas, vti omnes eiusmodi ritus, ab hominum arbitrio pendere; igitur potuerunt novis moribus antiquari, adeoque per se concidunt illae divisiones in bellum *indictum*, et non *indictum*, *solemne*, quod *iustum* habebatur, et minus *solemne*, quod *iniustum* putabant.

§. 537.

Sit explorata Iniuriae gravitas ac certitudo, sit etiam perspecta satisfactionem negantis protervia: hoc

(61) 1. de Offic.

(62) Loco sup. cit. §. 9.

hoc tamen ipso, quia vnicus belli finis est *felicitas securitasque civilis*, eiusque gerendi potestas non nisi *boni publici* gratia imperantibus credita fuit, §. 533. Isti super omnes hactenus recensitas cautiones hanc etiam adhibere debent, vt non suae tantum gloriae stimulis, aut emolumentum cupiditate excaecati inconsulto ac temerario impetu ad arma conclament; sed prius maturae rationes subducant, *tantisne polleant viribus, vt belli onus, et hostium potentiam sine iure ciuitatis detrimento iustinerent, eiusque periculum a propriae Reipublicae cervicibus, auertere possint.* Absque hac enim prouidentia non vtique necessitatis praefidium; §. 533. sed vltimi exitii stulta prouocatio bellum erit coeco impetu arreptum. Vnde heic omnino locum habet illud diuinae Sapientiae monitum: (63) *Quis Rex iturus committere bellum aduersus alium Regem non sedens prius cogitat, si possit cum decem millibus occurrere ei, qui cum viginti millibus venit ad se? Alioquin adhuc illo longe agente legationem mittens rogat ea, quae pacis sunt.* Igitur quidquid inopinum accidere potest in bello (sapienter ait Thucydides) (64) *priusquam sumas, considera, ne nostris temporibus renouetur, quod de Thebanis, qui Alexandri Macedonis tempore vixerunt, scribit Diodorus Siculus: animi spiritu forti magis, quam prudente interuentionem patriae accersuerunt.*

§. 538.

Patet autem ex hactenus dictis, quot bella, quae a Monarchiis pleraque oriri recte computantibus facile apparebit, (65) ex iustorum numero expungi debeant. Quod si tamen omni cautione adhibita iusta videantur; geri possunt non tantum ab iis, qui laesi sunt, sed etiam pro illis. Et hoc quidem satis expe-

(63) *Luc. 14. 31, et 32.*(64) *Apud Magnif. Schmier Iurispr. publ. uniuers. L. 4. c. 1. Sect. 3. §. 1. n. 2.*(65) *Schulhaestes Puffendorfi ad L. de Offic. hom. et ciuis L. 2. c. 16. §. 1. Obseruat. 686.*

expeditum est, si quis ad suppetias laeso ferendas pacto, foedere, vel alio iusto nomine sit obstrictus: at vero non minus obrinet, si ceteris paribus ea sola fiat causa, ut iniuria affectus haud opprimatur. Namque defensio innocui etiam violenta contra violentos bonorum vitae, aut aequalium aggressores est iuris naturalis vel inter ipsos priuatos et in societate ciuili quoque §. 281. ergo etiam in statu libertatis, in quo sunt ciuitates inter se comparatae: atqui hoc ipsum merito extenditur ad iniquam iuris perfecti denegationem inter easdem ciuitates. Praeterea si bellum iure naturae est licitum, §. 5-6 talia quoque auxilia debent esse permissa; quoniam ne geri quidem bellum posset, nisi in re trepida nouos vocare socios, et his pro implorante pugnare liceret. Tum autem maxime eiusmodi auxilia cohonestantur, si non leuibus constet indiciiis, nos per alterius peti. latus, et proxime ardentis Vcalegontis ruina proprii laris tecta oppressum iri. Vide dicta §. 530 ad fin. Paucis: fortitudo, quae per bella tuetur a Barbaris patriam, vel defendit infirmos, vel a latronibus socios, plena iustitia est. (66)

§. 539.

Cui bellare est licitum; huic procul dubio ea omnia permissa esse debent media, sine quibus bellum nec geri, nec illius finis obtineri potest; siue quae ad bellum tum parandum, tum conficiendum sunt necessaria. Igitur possunt summi Imperantes ad bellum parandum, prout mos Patriae tulerit, milites siue ex ciuibus legere, id quod olim apud Graeciae ciuitates, et Romanos ad Augusti vsque tempora obtinuit, et adhuc Heluetis placet; siue etiam mercenarios conducere, quod militiae genus ab Augusto Maecenatis consilio in Rempublicam Romanorum introductum hodie a plerisque Principibus antefertur; vel denique socia foederatorum auxilia euocare. Possunt item Leges de disciplina militari ferre, vrbes et castra munire, aerarium pecunia, horrea comeatu,

Z 2

arma-

armamentaria omni telorum genere, naualia et portus nauibus classibusque implere etc. *Vide dista Art. praec. §. 517. seqq.* Neque enim sine talibus praesidiis bellum incipi, vt ne dicam geri, posset.

§. 540.

Quum vero bella non alio gerantur fine, quam vt felicitas securitasque ciuilis exterorum iniuriis turbata reparetur; §. 526. in ordine ad bellum conficiendum ea omnia aduersus hostem licita esse debent, quae necessaria sunt, vt in talem redigatur status, in quo aut non possit porro, aut certe nolit hostilem animum ostendere, id est iniuriis felicitatem securitatemque ciuilem turbare. Quare quum id aduersus fortes et cautos aliter obtineri non possit, nisi illos vi et dolo aggressos nostro etiam milite, licet cum summo vitae discrimine, infestis exercitibus opposito sternamus, et omnibus fere humanitatis officiis sublati, personis ac rebus spoliemus, omniaque intercidamus subsidia, quibus aduersus nos illorum vires validiores fieri possunt: haec etiam omnia in bello iusto necessario sunt permittenda. Imo ne venenata quidem arma, neque occulti percussores immissi secundum se bellorum fini, adeoque Iuri naturae repugnare videntur. Quippe quae generosiora sunt, non ea statim obligant, nisi singulari quodam pacto expresso, vel tacito pro Lege belligerantium adoptata fuisse probari possint; quale inter Christianos extare plerique contendunt. Ceterum hos ipsos inter puluis pyrius maior certe est pestis, quam qualis olim a sagittis toxico illitis erat metuenda. Quoad occultos autem percussores, nemo vtique Aodi aduersus Eglonem, (67) Iahelis in Sisaram, (68) Iudithae contra Holofernem facinus, (69) SS. Codicum auctoritate probatum, duxerit esse damnandum.

§. 541.

(67) *Iudic.* 3.

(68) *Ibid.* c. 4.

(69) *Iudith.* 3.

§. 541.

Interim tamen quum *dolum* in bello adhibere liceat; §. *praec.* ita ille temperandus est, ut ne in *mendacium*; aut *falsiloquium* coincidat; quippe quae *intrinsece mala* esse pridem ostendimus, §. 289. et seq. quaeque adeo semper, atque etiam in bello vetita manent. §. 230. Neque ad belli finem obtinendum necessarium est, ut illi quoque sterantur, qui *non pugnant*, simulque aliunde sunt *innocentes*; unde tales *directe* occidi nunquam possunt. Dixi *directe*; quippe *indirecte* id fieri nonnunquam posse, plane certum est, quoniam si hostis aliter in acie vinci, aut v. g. vrbs expugnari nequeat, *publicum bonum priuatorum vitae* semper debet praeualere. §. 517. Ex eodem autem principio, quo innocentium et non pugnantium vitam a caede vindicauimus, illud etiam recte deducitur, nefas, et iure naturae prohibitum esse, *puteos, fontes, aut alia communia alimenta veneno inficere*: quoniam ista nec ab innoxiiis, qui quamuis sint partes hostilis Reipublicae, non tamen ipsi proprie sunt hostes; quin ne quidem a peregrinis, et amicis hostilem Regionem forte transituris caueri possunt. Denique ex positis hactenus dogmatibus sequitur, neququam licere *amicorum finis* turbare, ut aut hostes, non data opera receptos, ibidem persequi, capere, caedere possimus; aut ut castella portusue eo obtentu occupemus, ne ipsum id ab hoste tentetur. Namque Ius belli utique non potest se ad amicos extendere; quin eiusmodi vis cum *vera* est amici populi *iniuria* coniuncta. Quamquam recte quoscunque, interposita etiam vi, prohibemus, quo minus hostem nostrum armis, comaeatu, aut annona etc. iuuantes eundem aduersus nostras vires validiorem efficiant.

§. 542.

Affinia bello sunt *Repressalia*, vti communiter vocantur, quando nimirum propter denegatam

ciui nostrae Reipublicae. apud exterum aliquem populum iustitiam, personis, et rebus eiusdem Reipublicae, ceterum amicae, in nostro territorio exstantibus manus iniiciuntur, donec laeso satisfiat. Hoc, si cum debita agatur moderatione, licitum est, sed non alteri, quam *summo Imperanti*; tum quia huic soli competit ius *propriis viribus* ea extorquendi, quae ab exteris sunt debita; §. 525. etc. tum quia *Repressalia* facile post se *bellum* trahere possunt. Ceterum cui maius aliquid, scilicet bellum permissum est, illi utique quod minus est, agere licebit, nimirum per *Repressalia* suorum felicitatem securitatemque ciuium tueri.

§. 543.

Nec finiri bella, nec geri saepe, imo ne pacis quidem tempore Respublica salubriter administrari posset absque *foederibus* siue *conventionibus* quibusdam cum *extraneis gentibus* siue *amicis* siue *hosticis* ad *utriusque, vel alterius Reipublicae utilitatem* initis. Igitur quum ad *iura maiestatis* illa omnia spectent, sine quibus Imperantes ciuitatis finem obtinere haud possunt. §. 461. et 491. inter haec ipsa *ius pangendi foedera* omnino est referendum.

§. 544.

Iamque vero foedera sunt *conventiones gentium liberarum de rebus ad utriusque vel alterius Reipublicae utilitatem pertinentibus*. §. praec. Quare sicut *utilitas* vniuscuiusque Reipublicae vastissime patet; ita etiam *foederum materia* non potest non latissime extendi; atque sub se omnia complectitur, quaecumque cum Reipublicae bono sunt coniuncta. Ea autem est nobilissima, et prae ceteris necessaria diuisio, qua foedera, quae ad *pacem* spectant, ab illis, quae *bellum* pro obiecto habent, distinguuntur. Ex prioribus praecipua sunt, quae *commerciorum causa* ineuntur: circa posteriora refert, vtrum *pace florente* sanciantur, v. g. de ipsius pacis Legibus rite seruandis, et
contra

contra violatores tuendis, vel non extruendis nouis munimentis, non recipiendis fugitiuis militibus, aut hostibus etc. an vero *belli tempore* iungantur? quod iterum fieri potest vel inter *gentes amicas*, v. g. de iungendis contra communem hostem viribus, de suppeditando comœatu, concedendo transitu, neutrarum partium iure seruando etc.; vel cum *ipso hoste* v. g. de pace redintegrandâ, concedendis ad tempus induciis, dedendis urbibus, redimendis aut permutandis captiuis etc.

§. 545.

Neque vero minus in eo vertitur *Reipublicas utilitas* §. *praec.*, vt cum quibuscunque demum Gentibus, etiam falsae cuidam, aut nefandae Religioni addictis, libera sit pangendorum foederum facultas. Igitur eiusmodi foedera *secundum se*, et *iure naturae* permessa omnino videntur; tantoque magis, quod Ius istud, omnibus hominibus commune, Religionis discrimen haud admittat. Praeterea tot in sacra Scriptura (70) leguntur exempla foederum inter Patriarchas, Abrahamum, Isaacum, Iacobum, Reges item laudatissimos, Dauidem, Salomonem et Asam cum Infidelibus ictorum, vt nec *iure diuino* simpliciter prohibita dici possint. At vero si inde peruersionis periculum suboriatur; aut ea non possint non in damnatum cultus diuini, adeoque etiam orthodoxae Religionis cedere: eiusmodi foedera ipso etiam *Iure naturae* prohibita esse tanto est manifestius; quanto certius constat, finem ciuitatis *fini ultimo* subordinatum esse, et populum nunquam habuisse, aut potuisse potestatem in Principes transferre, vi cuius officia Deo ab omnibus hominibus debita infringantur. §. 492. Vnde quum foedera belli cum infidelibus, maxime potentioribus (quales v. g. sunt *Turcae*) aduersus *Principes christianos* inita non possint non summa cultus diuini ac Religionis christianae detrimenta post se trahere; et haec

Z 4

ipfa

(70) *Vid. Grot. L. 2. c. 15. §. 9. etc.*

ipsa apud gentem tumidam, et nomini christiano infensissimam nulla cautione satis possint auerti aut praecaueri: eiusmodi conuentiones semper sunt illicitae ac nefariae censendae; vti ex iure naturae et diuino fuse probat Magnif. P. Schmier. (71) Quin ipse etiam Grotius: (72) *etsi*, ait, *ex societate tali profanae opes magnum sint habiturae incrementum; abstinendum erit extra summam necessitatem.* — — non enim ius quoduis sufficit ad id committendum, quod Religioni, si non directe, indirecte tamen nociturum putetur. Quaecrendum enim primo loco est regnum caeleste, id est, Evangelii propagatio. Ceterum casus ille summae necessitatis nunquam hactenus inuoluit Principem, qui in Deo confidere maluit, quam in Barbarorum opibus; neque porro sane Religionis sollicita cura fiduciam in Domino sperantium confundet.

§. 546.

Foedera sunt conuentiones gentium liberarum de rebus ad *Reipublicae utilitatem* pertinentibus, §. 544. et quia hanc promouere summis Imperantibus incumbit; ipsa etiam foedera spectant ad *Iura Maiestatis*, §. 543. Ista vero Imperantes per alios quidem; sed nonnisi *dependentem* abs se exercere possunt. §. 523. Igitur licet quidem Imperantibus foederum pangendorum curam siue aliis Principibus, tanquam *Mediatoribus*, permittere, siue *Administris* suis iniungere: at vero minime licet his ipsis fines mandati transgredi; neque adeo tenetur Respublica foederibus aut pactis, quae a talibus Mediatoribus, vel Administris iniussu illius, cuius nomine panguntur, inita, aut vltra demandatae potestatis limites extensa fuerunt. Ceterum sicut *Administri* intra Domini sui iussa se continere, et propriae Respublicae bonum haud minus in pangendis foederibus praec oculis

(71) *Iurispr. publ. vniuers. L. 4. c. 3. Sect. II. §. II. n. 74. et seqq.*

(72) *L. c. §. 11. n. 2.*

oculis habere debent, quam ipse summus Imperans, cuius vices agunt, ac obligationem in se recipiunt; sicuti etiam ab illis, qui foedera inter se pangere volunt, mutuo consensu electi *Mediatores* suo officio, quod susceperunt, caste perfungi, adeoque seposito partium studio, amputatisque priuatis affectibus aequa et vtilia vtrique suadere tenentur: ita etiam illud sollicitè cauendum est, quod multi et saepe, et merito queruntur, ne mandatum satis amplum et liberum in rebus angustiis datum, deinde fortuna aequius fauente per iniquas cauillationes velut post festa restringatur, et vltra mandantis voluntatem ac arbitrium extensum iactetur. Ad quales cauillos illa etiam tergiuersatio merito reuocari potest, qua nonnunquam a foederibus eo obtentu receditur, quasi non *cum Republica*, sed *cum sola Principis persona* icta fuissent, adeoque illo sublato exspirassent; vti Tarquinio pulso Sabini Romanos bello petere non dubitarunt, causati, se foederis Legibus Regi tantum, non Reipublicae obstrictos esse; quum tamen licet ductu Tarquinii, at certe romani populi armis victi fuissent. (73) Enimvero id vnum expendatur necesse est, vtrum inita foedera tantum *ad Principis, aut familiae statum conseruandum* sint comparata; an vero *ad ipsius Reipublicae vtilitatem* facta sint? Priore casu citra dubium *personalia* sunt, et cum persona exspirant; nisi fuerint etiam ad familiam extensa: posteriore sunt *realia*, et Rectoribus populi extinctis nihilo secius perdurant.

§. 547.

Foedera sunt *conuentiones gentium liberarum* etc. quidquid ergo de *pactis* §. 322. et seq. dictum est, etiam de *foederibus* valet. Et quum sint *pacta gentium liberarum*, adeoque *publica fide* nixa atque munita; sequitur, nihil hisce foederibus de-

Z 5

bere

(73) *Dionys. Hal. apud Heinsecium I. N. et G. L. 2. c. 9. §. 211. in schol.*

bere esse *sanctius*, nihilque esse foedifragorum perfidia *detestabilius*. Igitur *dolus* atque *deceptio* quam longissime absint, oportet, etiam quando cum *hoste* intercedit foederum tractatio: tum quippe non pro *hoste* habetur, sed pro *pacifcente*. Ceterum quamvis nemo ita suum pactis consensum praestare praesumatur, ut ad impossibile teneatur; adeoque etiam Respublica foederata alteri iure v. g. stipulata neget armorum auxilia, quando ipsa alteri bello, aut evidenti illius periculo implicita vix sibi quidem sufficit; aut quando alterius bellum iniustum est: (quoniam et prius illud vires excedit, et alterum *moraliter impossibile* censeri debet §. 326.) si tamen talia vano obtentu praetentur, utique non sunt, nisi irrita perfidiae pallia. Talis autem perfidiae quum frequens oriatur quærela, rerum publicarum rectores, eorum maxime foederum, quorum periculosior, ac perniciosior esse potest violatio, religionem nunc petitis *sponsoribus*, nunc deditis *obsidibus* solent praemunire.

§. 548.

Sponsores sunt, qui *veluti pro pacifcentibus sponponderunt*: illorum est igitur dare operam, ut pacti, v. g. pacis conditionibus stetur; et ab utraque parte satisfiat; atque etiam parti laesae, ope, consilio, imo et copiis, prout ante stipulatum fuerit, subuenire tenentur; id quod ultimum tamen neutiquam ad eum casum extendendum est, quo ex *noua causa* bellum exarserit: neque enim sponsor fideiussit, nisi pro *conuenta pace*, in qua noua causa, uti supponimus, nequaquam comprehenditur.

§. 549.

Obsides sunt *personae pro fide pacifcentis Reipublicae veluti oppignoratae*, ut, si fidem violari contingat, in illas tantum deceptorum arbitrio liceat, quantum ius naturae permittit. Obsides igitur si ultro accesserint, suomet consensu; si dati sunt a summo Imperante, *iustae Legis vinculo obligan-*

gantur. §. 495. Quamquam grauiſſimum onus, quod in ſe pro Patria ſuſcipiunt, quodque fere cum damno aliquo coniunctum eſt, illis ex aerario communi omnino debeat compensari. §. 518. Ceterum ex hoc ipſo ſequitur. Obſides nec *fugere*, (niſi iniquiſſimum *ex infra dicendis* periculum vigeat) nec *fugitivos in patria recipi* licite poſſe: At contra etiam a populo, cui traduntur, haudquam pro *ſeruis*, aut *bello captis* habendos eſſe; adeoque etiam *defunctorum bona*, quod veteres Romani ſolebant (74) *fiſco non niſi per neſas inferuntur*. Multo autem minus fide violata *occidi* poſſunt; quamvis veteres formulae, a Puſſendorſio (75) relatae, id omnino permittere videantur, et hoc ipſum a quibusdã ita factum eſſe legamus: Etenim nocentes certe non ſunt, vti ſupponimus; neque etiam hoſtes, qui repugnent: (vide §. 541.) Ius autem in vitam innocentium nec dedens Republica habet, nec illa, quae obſides acceptat; ſed *ſolus Deus*. Igitur Republica, quae obſides detinet, nihil poteſt aliud, quam vt durius illos habeat, et ad ſummum libertate, aut bonis ſpoliet. Imo, ſi cruenta paret ſupplicia, fugere obſidibus fas eſt, ſi quam habeant euadendi occaſionem. Naturale hoc enim eſt aduerſus iniuſtam laeſae Reipublicae vim, ipſamque turpiſſimae proditiõnis auctorem patriam praefidium, quod miſeris eiſmodi omnino relinquendum videtur.

§. 550.

Inter foedera procul dubio ſaluberrimum ac nobiliſſimum eſt *foedus pacis*, ſeu *conuentio inter gentes bello implicitas*, qua *controuerſiae per modum transactionis finiuntur*, ex qua *definitione* ſimul patet, pacem natura ſua debere eſſe *perpetuam*, et per hoc ab *induciis* diſtingui, quae non niſi *ad tempus definitum* inſitae, licet ab armis ceſſetur, cer-

(74) L. 31. ff. de iure fiſci.

(75) I. N. et G. L. 3. c. 2. §. 6.

certandi tamen animum neutiquam tollunt; id quod ad *belli statum* pertinere iam supra §. 525. insinuauimus. Porro autem quum pax sit status *Reipublicae ordinarius ac naturalis*; bellum vero *extraordinarius et praeternaturalis*: §. 526. manifestum est, Imperantes ad pacem tuendam ita obligari, vt etiam non alio fine bella gerere possint quam vt eadem cito restituatur.

§. 551.

Pax est conuentio, qua belligerantium *controuersiae per modum transactionis* finiuntur: *Transactio* autem fit dato aliquo, vel retento, vel promisso. Igitur quum victor fere det Legem victis, et hi duriores accipere condiciones, quam perire malint; praeterea *pacta publica metu licet iniusto extorta sancte sint seruanda*: §. 459. consequens est, vt pacis foederi exceptio *laesionis*, aut *metus* obstare nunquam possit, nisi per calumniosam interpretationem, aut plane per vim apertam condiciones victo obtrudantur, in quas nunquam *consensit*; cuius rei vtriusque illustra exempla ex Valerio Maximo, et Liuiio affert Heineccius: (76) prioris, dum Q. Fabius Labeo Antiochi naues omnes, quarum dimidiam partem Romanis tradendam stipulatus fuerat, medias dissecuit: posterioris dum Galli Senones aurum a Romanis superatis pacti, illud ita appenderunt, vt iniquis ponderibus etiam gladium adderent, querentibus comminati: *Vae victis esse.*

§. 552.

Quin imo, quamquam *rebellibus subditis* Ius belli neutiquam competat; §. 526. adeoque in ordinem potius redigi ac puniri possit, debeatque illorum perfidia: §. 479. si tamen per pacta res et pacis foedera componatur, *ipsa quidem negotii natura*, vt bene ait Illustr. Puffendorfius, (77) *ostendit, Regem*

(76) *I. N. et G. L. 2. c. 9. §. 218. in schol.*(77) *I. N. et G. L. 8. c. 8. §. 2.*

Regem rebellibus gratiam delicti facere, sic, ut obtentu rebellionis pacta nequeant irrita reddi. Praeterea plerumque expedit, (id recte observante Grotio (78)) *pacta talia servari, eademque pugnant rationes, propter quas pacta publica etiam iniusto metu excussa servanda esse diximus.* §. 459. Ceterum ille casus merito excipiendus videtur, quo *dolus dedit causam contractui, et hunc iam inde a principio vitiosum reddidit.* §. 323. Quorsum illorum perfidiam referendam putamus, qui non alia fere causa rebellant, quam ut Principi inique cupita extorqueant. Neque minus rescindi posse indignam eiusmodi pacem fatemur, si illam Princeps concesserit, qui in suo quidem territorio *immediatus*; qua talis tamen nihilominus est *membrum maioris alicuius civitatis*, atque adeo ipse cum suis subditis supremo cuidam respectu quorundam iurium maiestatis subest Imperanti; quales sunt Principes Imperii in ordine ad totum corpus romani Imperii, et eiusdem summi capitis, siue Imperatoris. Ex qua duplici causa arbitramur, pacem illam, quam Maximilianus I. Rom. Rex ultimo perfidiae flagitio et indignissimo dolo a Brugenibus captus satis turpem cum subditis inire anno 1488. coactus est, iam ab initio irritam; aut saltem ab eius patre Friderico III. Imperatore consultis Imperii proceribus merito rescissam, siue verius nullam declaratam fuisse. (79)

§. 553.

Foedera pangi saltem commode non possunt sine *Internuntiis*. Hinc nascitur *Ius mittendi Legatos* haud quidem *absolutum*, sed *dependens* a voluntate illius, ad quem mittitur, et qui, uti bene observat Magnif. P. Schmier, (80) iure naturae ad illos *admittendos* simpliciter non cogitur, quia denique res eadem per colloquium ipsorum summorum

(78) L. 3. c. 19. §. 7.

(79) Struivius Corp. Hist. Germ. Period. 10. §. 59.

(80) L. 4. c. 4. Sect. 1. §. 3.

rum paciscentium, vel per litteras, aut alio modo perfici posset. Ceterum Internuntios admittens, quum simul liberum accedendi, recedendi, atque omnia ad foedus necessaria agendi facultatem promittere censeatur; sequitur, *Legatos etiam apud hostem sacrosanctos, et ab illius iurisdictione exemptos esse, in quantum id natura negotii iisdem iniuncti exigit.* Namque *immunitas* aduersus delicta in loco Legationis patrata iterum ex *Iure naturae* non potest satis efficaciter probari, vti laudatus Auctor praeclare ostendit; illud quippe ius magis punitiorem scelerum, vndecunque oriantur, vrgere videtur. Igitur *Legatorum iura, ac priuilegia* potius ex *Gentium moribus*, et iure *Gentium* latius accepto, quam ex illo stricte sumto, siue ex *iure naturae* descendere videntur. Vide §. 367. Quamuis de cetero eiusmodi iura etc. saluberrime et cum maximo socialitatis, ipsarumque ciuitatum emolumento introducta, adeoque etiam exacte seruanda sint, quamdiu Legatus nihil hostile molitur: hoc enim casu ipsis etiam moribus Legatorum libertates merito restrictae fuerunt. Idem porro, quod de Legatis diximus, etiam suo modo intelligendum est de *tubicinibus, ac tympanotribis*, quippe, qui ob eundem finem mittuntur.

§. 554.

Denique quum et communis humanae socialitatis, et singularum etiam Rerumpublicarum ad finem ciuitatis obtinendum maxime interfit, vt *commoda cum exteris agendi facultas pateat*, istique adeo finibus prohiberi nunquam simpliciter possint, aut debeant: tamen haud minus refert, vt *non omnes, et ubique* admittantur; admissi autem *ita in peregrina versentur prouincia, vt ne huius felicitas securitasque aliquid detrimenti patiatur*: Quare summis Imperantibus ius competit *de hisce rebus iustas Leges ferendi, et externos non aliter admittendi, quam ea conditione, vt se iis ipsis legibus subiciant.* Quare si easdem violauerint, iuste pro modo

modo transgressionis aut criminis puniri possunt: id quod etiam quotidie fieri oculis omnes videmus.

ARTICULUS V. DE OFFICIIS CIUIUM.

§. 555.

Ex natura et fine ciuitatis, ex potestate iuribusque Imperantium correlata sequuntur *ciuium officia*, quae nunc explicatu tanto erunt faciliora; quanto vberius illa priora omnia a nobis hactenus explanata fuerunt. Possunt autem ciues considerari vel tanquam *mere tales*; vel tanquam *peculiariorum ciuitatis membra*, quibus *singularis quaedam pars reipublicae administranda creditur*: vnde illorum officia alia sunt *generalia*; alia *specialia*. Et quum ciuitas nihil sit aliud, quam insignis aliqua hominum multitudo, qui in naturalis statu libertatis positi felicitatis per securitatem procurandae tuendaeque causa sub communi aliquo Imperante certis legibus consociantur §. 449. istae autem Leges siue *officia ciuiliis societatis* possint respicere vel totum ciuitatis corpus, vel Imperantes, vel denique conciuies: sequitur, *generalia ciuium officia* eodem modo diuidi in illa, quae aut *Reipublicae*, aut eius *Rectoribus*, aut reliquis *ciuibus sociis* debentur.

§. 556.

Respublica est ipsa illa societas, in quam se ciues felicitatis securitatisque publicae causa aggregarunt: §. *praec.* igitur ab huius incolumitate non potest non singulorum salus, vita, libertas, dignitasque cum fortunis omnibus pendere. Quare nihil illa *sanctius, charius, cut prius* ciuibus esse debet; ita quidem, vt huic tanquam *publico omnium* bono quisque *priuata sua commoda* postponere, et, necessitate sic exigente, *opes* quoque, et ipsam adeo *vitam* pro eius conseruatione ac defensione profundere obligetur; quemadmodum iam supra

supra §. 517. et 539. ostensum fuit. Ex his autem patet I. quid intelligatur proprie loquendo per *amorem patriae*, tantopere apud omnes Gentes decantatum, de quo paulo vberius *sectione proxima* agemus. II. Vnde oriatur tum *ciuium* ad militiam *delectorum*; tum *militum mercenariorum* §. 539. obligatio, ipsam quoque vitam pro Republica tot periculis exponendi: Illos nimirum officium generale Reipublicae debitum §. *praec.* ex continuo dictis adstringit: hi vero vigore pacti cum Republica initi *ciuium* obligationem pro stipendio militari in se receperunt.

§. 557.

Qualem ciues Imperantibus obedientiam debeant, ac fidelitatem, satis superque hactenus ostensum est; praecipue §§. 458. 459. 476. 477. 479. 494. et seqq., ex positis autem ibidem principiis plane sequitur, eandem obedientiam ac fidelitatem non mere externam sufficere; sed omnino *in conscientia* deberi. Vnde neutiquam assentiendum est Clar. Heineccio, et aliis Protestantibus Iuris naturae Doctoribus, statueribus, *Leges civiles ne posse quidem internam obligationem producere*; (81) vt iam nil dicam de Lutheri stoliditate, post Waldenses, et Wicleffum negantis, posse ab vilo homine Christianis Legem imponi. Sed enim quum huius erroris refutatio ad forum spectet theologicum; nos priori tantum refellendo Protestantium asserto immorabimur.

§. 558.

Atque inprimis nihil potuit clarius in rem nostram dici, quam est illud Apostoli testimonium, *Rom. 13.* iam supra §. 471. recitatum; quod quidem, et si potestatem summam diuinitus concessam, nonnisi mediante eodem populo ad singulares Principum personas translata fuisse contendamus, nihil propterea roboris, quantum ad praesens spectat argu-

(81) *Heinecc. I. N. et G. L. 2. c. 8. §. 154.*

argumentum, amittit; quemadmodum manifeste patet ex doctrina toto illo Articulo tradita: Igitur quum ex diuino hoc oraculo certo constet, eum, qui resistit potestati ciuili, *Dei ordinationi resistere*, et propterea *sibi damnationem acquirere*: quis porro dubitauerit, obedientiam, et fidelitatem Imperantibus, eorumque iustis Legibus debitam etiam *in foro conscientiae* stringere; adeoque Leges ciuiles *internam quoque obligationem* producere posse? maxime, quum ipse Apostolus concludat: (82) *Ideoque necessitate subditi estote; non solum propter IRAM; sed etiam propter CONSCIENTIAM.* Praeterea certum apud omnes et exploratum est, ciuitatem quamcunque *pactis* esse constitutam; namque primum quidem in media ad finem huius societatis necessaria, et consequenter etiam in iura ac officia sub mediis comprehensa inter se consentire debuerunt, qui in talem societatem coalescere uoluerunt; §. 457. deinde hoc ipso regiminis alicuius formam eligere, et uoluntates Imperantium uoluntati submittere, necesse fuit, hisque ius debuit tribui, ut iubere et agere ea omnia possent, sine quibus finis ciuitatis obtineri nequit: §. 458. et seq. sed enim *pacta* uigore *iuris naturalis*, adeoque etiam in *conscientia* stringere, et *internam obligationem* producere haud minus indubitatum est ex illis, quae pridem de *officiis monastico-hypotheticis erga Proximum* diximus. Neque patet effugio locus, si iactetur externa fidelitate, obedientia, ac Legum obseruantia finem ciuitatis impetrari posse; quippe innumerae transgressiones occultae, quibus quidem latissima ianna panditur, quamprimum interna obligatio negatur, non possent non *necessariam efficaciam Legum* labefactare, adeoque ipsum finem ciuitatis penitus subruere, quem non in quacunque, sed *uera felicitate* situm cum mera *simulatione* obedientiae,

(82) Rom. 13, 5.

tiae, stare haud posse pridem obseruauimus: at vero quod solam simulationem obedientiae *mera externa obligatio* in tanta hominum corruptione apud plurimos post se tractura sit, haud minus exploratum videtur. *Vid. dicta §. 498.* Igitur illud etiam vanum est, quod obiiciunt: homines non *posse*, aut certe non *velle* in foro Dei obligare. Quod enim id Imperantes *possint*, inde est manifestissimum, quia illorum potestas saltem mediata *a Deo* descendit: quod autem *nolint* potestate uti sibi a Deo per populum tradita, quando hoc finis Reipublicae, et ipsorum exigit officium, id penitus est incredibile.

§. 559.

Porro autem quum *tributa*, et *vectigalia* non minus sint ad finem ciuitatis necessaria, (*vide dicta §. 511. et seq. itemque §. 520. et cet.*) illaque ex *pacto*, quo se omnes ad necessaria societatis media obstrinxerunt, §. 515. ista autem tum ex *eodem*, §. 457. tum ex *speciali* et saltem *tacito pacto* cum Imperantibus inito debeantur: §. 520. sequitur ad easdem omnes exactiones, quamdiu iustae sunt, praestandas ciues *in conscientia* obligari, illicitasque prorsus esse artes, quibus tum publicum Reipublicae aerarium, tum Principis fiscus defraudari solent. Atque hanc quidem consecutionem ipse Apostolus facit; postquam enim loco superius allegato inculcasset, subditos nos potestati ciuili esse debere *non solum propter iram*, seu poenam; *sed etiam propter conscientiam*, seu internam obligationem: vterius infert dicens: *Ideo enim et tributa praestatis; Ministri enim* (Principes exigentes) *Dei sunt, in hoc ipsum seruientes. Reddite ergo omnibus DEBITA: cui tributum, TRIBUTUM; cui vectigal, VECTIGAL.* (83)

§. 560.

Dixi tamen eiusmodi exactiones in conscientia obligare, *quamdiu iustae sunt*. Iniustas enim

exi-

exigendi facultas Imperantibus minime competit, vti satis patet ex illis, quae hac de re passim diximus *praecedente Art. III. et aliis locis*; ex quibus etiam facile poterit definiri, quid hac in re *iustum*; quid autem *iniquum* sit; ceterum in *dubio* stat *praesumptio pro Legislatore*, qui saepe potest causas graues, non omnibus cognitatas, nec euulgandas habere. Porro autem, vbi nullum est *ius exigendi*, ibi neque ex parte subditorum potest intelligi *obligatio exactiones praestandi*; hi nimirum satis sunt miseri, quod hinc inde tantum non vitalem hanc auram auro emere poenarum metu, et inhumanissima exactorum crudelitate cogantur. At vero, *si aliquid Principes* (verba sunt S. Thomae) *indebite extorqueant, rapina est, sicut et latrocinium. Vnde dicit Augustinus, remota iustitia quid sunt Regna, nisi magna latrocinia? — vnde et ad restitutionem tenentur, sicut et latrones.* (84)

§. 561.

Imperantium potestas saltem *mediate* est a Deo §. 473. etc. et siquidem rite munere suo fungi volunt, *paternum* plane animum erga ciues suos induere debent; id quod manifestissime patet ex illorum officiis, quae superioribus Articulis satis operose explicauimus. Igitur illud etiam clarum est, iisdem a ciuibus *amorem deuotionis* deberi, id est (quemadmodum iam saepius hunc amorem explicauimus) obligari ciues ad Rectores suos *omni reuerentia et veneratione* non tantum *interna*, verum etiam *externis signis*, secundum cuiusuis populi ritus ac mores declarata, prosequendos, adeoque Principes (vtpote quorum *sacro sancta* est persona §. 477.) nunquam *factis*, imo ne *verbis* quidem laedendos esse, neque vlli magis, quam Imperantibus suis populum adhaerere debere.

§. 562.

Quod ad *generalia illa spectat officia*, quae *ciues sibi mutuo debent*, §. 555. nemo sane diffitebitur,

A a 2

(84) 2. 2. Q. 66. A. 8. ad 2.

bitur, sociorum esse, ita viuere cum sociis, quemadmodum id *communis societatis finis* exigit: at vero obtineri hic nunquam posset, nisi ciuis ciuem *amaret, pacemque* cum illo, ac *iustitiam*, et *maior*em, quam cum *exteris humanitatem* coleret, *invidia* praecipue, ac *obtreptione* remota, quae disensionum faces si contra honoratiores, aut opulentiores gliscunt, non poterunt non omnia plena esse turbarum cum praesentissimo boni publici exitio. Enimuero quoties ista aemulatio vel solam Athenarum rempublicam in summum discrimen adduxerit, testis locupletissimus est Cornelius Nepos. (85) Igitur, quaecumque superius aut agenda, aut vitanda praescripsimus, ea procul dubio *inter mutua ciuium officia* sunt computanda.

§. 563.

Specialia ciuium officia §. 555. a ratione *muneris* pendent, quod cuique illorum in quadam Republicae parte administranda creditum est, quodque cum summa *diligentia, fidelitate, iustitia ac integritate* administrandum esse apud omnes exploratum habetur; quum eiusmodi ciues ipsius *Principis vices* agant, et *Imperantium obligationes* in se recipiant. *Vide dicta* §. 523. Nunquam autem sperari poterit, fore vt sancte casteque suo perfungantur munere, nisi *ambitus crimen* tollatur: Igitur necesse est, nunquam vt publica praesent munerera, quibus aut facultas, aut certe voluntas deest, cupiti muneris vices omnes implendi; semperque culpandi, ac remouendi sunt, qui impares humeros grandibus supponere oneribus affectant.

§. 564.

Specialia officia ciuibus incumbunt, *quamdiu impositum munus gerunt*: generalia, *quamdiu sunt ciues*. Ciues autem esse *desinunt*, vel *populo penitus disperso*; vel per *emigrationem*, nisi huic obstant Leges, quae plerumque non nisi certa, et fere

(85) *In Themistocle, Aristide, Cimone etc.*

fere decima bonorum parte detracta eandem permittere solent; vel denique per *poenam exsilii* talem, qua tota eiiciuntur patria. Namque *deportatione* in locum quemdam remotum Reipublicae adhuc subditum non id sane agitur, vt eiusmodi fontes ciuium obligationibus soluantur; sed vt patriae commodis careant, atque emolumentis.

§. 565.

Vnum adhuc superest, frigidam vt *Monachomastigum* aestibus tantisper affundamus, quos inter Puffendorfius (86) perniciosis persuasionibus adnumerat opinionem, quod *Numen capiatur eiusmodi inuentis hominum, adsumtisque vitae institutis, quae ad societatem humanam et ciuilem, ad sanae rationis et Legis naturalis dictamen attemperatam non quadrant. Quo pertinent pleraque instituta Monachorum.* At vero eademne opera Puffendorfius cum adoratoribus suis *Nazaraeorum*, (87) quos inter Samson, Samuel, S. Ioannes Baptista, et S. Iacobus minor censentur; *Rechabitarum*, (88) e quorum numero Elias, Elifaeus, et omnes Prophetarum filii fuisse videntur; ac denique *Ef-senorum* institutum damnabit, de quibus constat, quod vitam anachoreticam, et quidem longe rigidissimam egerint? Enimvero hos omnes vitae monasticae praelusisse negari non potest: illorum autem viuendi rationem in S. Scriptura non sine praecipua laude commendari apertum planumque est citatos locos legentibus. Quis igitur hesternorum ferat Nouatorum impudentiam, qua in omnem retro antiquitatem insurgunt, et quos seu anachoreticae, seu monasticae vitae Institutores ac sectatores, tanquam eremi angelos, euangelicae simplicitatis puritatisque exempla, primaeuae Christianorum sanctimoniae specula, hominesque ab ipso Deo quam saepissime prodigiorum gratia

A a 3

illu-

(86) *I. N. et G. L. 2. c. 4. §. 4.*(87) *Num. 6.*(88) *Ierem. 35.*

illustratos non vulgus imperitum suspexit, sed sapientissimi Imperatores, Reges, ac Principes cum omni sua aula, simulque sanctissimi, doctissimique, ac integerrimi Praesules cum tota orthodoxorum ecclesia admirati sunt: quis ferat, inquam, quod eosdem viros religiosissimos nudius tertius progeniti, et praecocis nimium sapientiae auctores velut homines phanaticos proscindant, qui vitae institutum inuexerint non minus sanae rationi, quam Legi naturali; et humanae societati aequae, ac civili aduersum? Enimuero quum ista tam praecleara totius retro vetustatis de eiusmodi religiosis institutis existimatio adeo sit certa et explorata, vt qui illam negare velit, simul debeat totam omnium historicarum notitiam fidem abrogare: doceant denique Puffendorffiani se solos, reliquis omnibus errore deceptis, sapere. Namque quod odio atque inuidia accensi talia iactent, animaduertimus quidem: at ea quidem re nemini sano fidem assertorum facient; sunt enim eiusmodi affectus ex omnium confessione ineptissimi ad veritatem duces. Quod autem ex socialitatis principio tales dimanant consecutiones, id enimuero admittimus; verum autem illud etiam pridem ostendimus, quam ruinosum sit fundamentum, cui haec omnia dogmata superinaedificant; Et tamen tanta id agunt fiducia, vt omnia sus deque vertentes diuina etiam iura, Numinis cultum ac Religionem, et quidquid est sacrum, ementito cuidam socialitatis, ciuitatisque bono substernant.

§. 566.

Ceterum, quum *ultimus hominis finis*, eiusdemque *felicitas* sit ipse *Deus*, quatenus cum illo per *cognitionem* et *amorem coniungimur*, *Prolog. §. 21. etc.* euidentissime sequitur, illud vitae institutum ex asse iuri naturali conforme dicendum esse, quo Numinis cognitio amorque promouetur, ac miris incrementis amplificatur: sed enim hoc fieri per vitam solitariam ac monasticam nemo prudens dubitauerit; quandoquidem per illam homo a tur-
bis

bis hominum, ac negotiorum remotus, subtracta etiam maximam partem passionum materia, quam opportunissime Deo, sibi que vacare potest. Quae in re non alio opus est testimonio, quam Senecae, hominis pagani, ad Lucilium suum (89) scribentis: *Quid tibi vitandum praecipue existimem, quaeris? Turbam. Inimica multorum est conuersatio; nemo non aliquod nobis vitium aut commendat, aut imprimit, aut nescientibus allinit. Sic est, non multo sententiam: fuge in solitudinem, fuge paucitatem, fuge etiam unum; non inuenio, cum quo te malim esse, quam tecum; recede in te ipsum, quantum potes.*

§. 567.

Accedit, quod, vti pridem §. 456. et 472. obseruauimus, ciuilis societas nequiquam fit *iure naturali aut Lege aliqua Numinis stricte, saltem singulis praecepta*; quantumlibet enim necessaria visa est hominibus ad felicitatis adeptionem securitate contra improborum iniurias muniendam: subsistere tamen potest ipsa teste experientia, quamuis aliqui in monasteriorum solitudinem secedant: pauci enim sunt semper respectu reliquorum futuri, quibus ista vitae ratio placebit. Quamquam quid a corpore Reipublicae Monasteria segregamus? *Ciues* sunt illorum incolae; et quid iam inde a prima sua institutione *pro bono publico* non tantum in *rebus sacris*; (a quibus in moderno hominum statu non potest abstrahi *Procl. Sect. II. §. 12. et seq.*) sed etiam in *profanis* praestiterint, et adhuc praestent; quantum de suo tum ad *aerarium publicum*, tum ad *fiscum Principis* passim conferant, quot hominum seu opificum, seu pauperum millia *coenobiorum sumptibus*, et ipsorum etiam *mendicantium elemosinis* alantur; quisque oculis facile cernere potest, modo si illos inuidia et cupiditate non habeat excaecatos.

§. 568.

Quod si igitur etiam otium, quod si alia quaedam vitia (quid enim tam sanctum in hac mortali vita, quod non humana imbecillitate subinde corrumpatur, et in deterius vergat?) gliscere alicubi in religiosis coetibus videntur; non inde statim inferri potest, *statum monasticum Reipublicae esse perniciosum*; in illorum maxime principiis, qui tantum *externam civitatis tranquillitatem, securitatem ac felicitatem* pro meta habent. Haec quippe si per quaelibet evertitur personarum in aliquo statu peccantium vitia: quam vereor, ut vllum iam inuenire statum sit, quem non citius, quam monasticum damnare oportebit. Sed enim nos vitam solitariam non *vitiorum altricem, sed expugnatricem* tuendam suscipimus. Tollantur igitur abusus seruato statu; tollantur autem ab iis, qui *legitima potestate* haud minus pollent, quam *necessaria* ad salutarem correctionem *auctoritate*. Sane enim ridiculum est, quod illi fere reformationem validissime inclament, qui eadem omnium maxime indigent; et a quibus primis incipiendum esset, si aliquam Rempublicam reformari contingeret. Ceterum nostri aevi hominibus illae saepe religiosae personae prae aliis otiosae, et, uti S. ait Augustinus, (90) *res humanas plus, quam oportet, deseruisse videntur*; quae tantum Deo, sibi que vivunt: sed nempe videntur *non intelligentibus, quantum nobis eorum animus in orationibus prosit, et vita ad exemplum, quorum corpora videre non finimur.*

§. 569.

Atque haec quidem S. Antistitis sententia, pro aevi sui solitariis prolata, satis Anachoretarum causam contra cauillos Heterodoxorum, atque Pseudopoliticorum tuetur. Quippe quod homo suamet natura sit *animal sociale*; verum est quidem, et semper verum, si de *habilitate* intelligatur,

(90) *L. 19. de Civ. c. 31.*

tur, aut pro illo dicatur *tempore*, quo quis *naturali* v. g. per aetatem, aut *morali* v. g. propter virtutis nondum adultae imbecillitatem *necessitate* constrictus, aliorum non potest carere auxilio; atque ideo S. P. N. Benedictus sapientissime illud tantum Eremitarum probavit genus, qui non *conversionis fervore novitio*, sed *monasterii probatione diuturna* (quam subinde, et in primis praecipue Anachoretis diuini Spiritus instinctus utique potuit supplere) didicerunt, contra *diabolum multorum solatio iam docti pugnare*, et bene instructi *fraterna ex acie ad singularem pugnam eremi*, securi iam *sine consolatione alterius*, sola manu, vel *brachio contra vitia carnis vel cogitationum*, Deo auxiliante, *sufficiunt pugnare.* (91) Verum ut haec ita se habeant, falsum est, satis iam instructos eiusmodi pugiles ad *socialitatis exercitium* iure naturae obligari. Quippe licet illi in solitudinem recedant, nunquam sane ceteros homines premet necessitas, ut non a reliquis intra societatem manentibus affatim auxilii, pro statu civili supersit. Sufficit igitur, quod Solitarii tales ad implenda officia socialitatis, quorum exercendorum occasio maiore bono compensata deest, ita sint *secundum animi praeparationem* dispositi, ut vix ab aliis, Historia teste, praeclarius fuerint impleta, quam ab illis, qui olim moerentes, et totis reluctantes viribus e cauernis protracti, et Ecclesiarum candelabris impositi fuerunt. Ita nimirum vanum est, quod Puffendorffiani ex Evangelio obiciunt, illa Christi verba detorquentes: *Nemo accendit lucernam, et in abscondito ponit, neque sub modio.* (92) Namque a studio cognoscendae veritatis, iterum S. ait August. (93) *nemo prohibetur, quod ad laudabile pertinet otium: quod autem aliquis super candelabrum ponatur; non pertinet ad ipsum, sed eius superiores: quae sarcina si non imponatur,*

A a 5

con-

(91) S. Reg. c. 1.

(92) Luc. 11, 33.

(93) L. 19. de ciuit. c. 19.

contemplandae veritati vacandum est, ad quam plurimum valet solitudo.

SECTIO II PRACTICA.

§. 570.

Quidquid fere est officiorum ciuiliū, ab amore patriae pendet, quo omnia ciuitatis membra, et obediētes non minus, quam Imperantes animari debent; quia nimirum in publica patriae incolumitate salus singulorum continetur. *Euersa enim domo* (recte ait Valerius Maximus (a)) *intentatus Reipublicae status manere potest: urbis ruina penates omnium trahat secum, necesse est.* Quare nihil sane aliud patriam amando diligimus, quam nostram ipsorum felicitatem: §. 556. atque in eo tantummodo elaborandum est, vtne falsa seu patriae notione, seu felicitatis persuasione decipiamur.

§. 571.

Falsa patriae notione seductus Theodorus Aristippi discipulus, prudentem, dicebat (b), virum non sibi mortem arcessiturum pro patria: neque enim pro insipientium commodis amittendam esse prudentiam, esseque patriam mundum. Eundem errauit errorem Ioan. Clericus, (c) qui illud veterum exagitans: *Dulce esse pro patria mori, nescire ait homines, quid per nomen patriae intelligatur: nam si solum intelligas, — — stultum est, mori pro agello in occasum, aut in septentriones spectante potius; quam viuas in alio, qui magis ad orientem solem, aut ad meridiem vergat.* Si homines malis; quid fuerunt Respublicae, — — praeter societates latronum, si eas probe introspeciamus? Itaque qui pro iis moriebatur, — — pro latronum globo ullem animam profundebat.

§. 572.

(a) L. 5. c. 6.

(b) apud Diog. Laert. L. 2. c. 8. §. 12.

(c) Art. crit. II. 2, 3, 16.

§. 572.

Verum enim quam aliorum incitiam Clericus arguit, ea ipse pariter cum Theodoro laborat. Quid sit patria, et verus patriae amor, iam supra §. 556. in sinuauimus: nempe *Patriam*, vti optime contra eundem Clericum animaduertit Clar. Heineccius, (d) *nec agellus constituit, ad orientem, vel occidentem situs, nec coetus hominum, qua hominum, cui plures inesse possunt latrones, nebulones, et stolidi: sed ipsa illa societas civilis, a cuius salute nostra omnium salus pendet.*

§. 573.

Vnde recte omni retro vetustati Cicero consentit, *Quum omnia*, inquit (e), *ratione, animoque iustraris, omnium societatum nulla est gravior, nulla charior, quam ea, quae cum Republica est unicuique nostrum: chari sunt parentes, chari liberi, propinqui, familiares: sed omnes omnium charitates patria una complexa est, pro qua quis bonus dubitet mortem oppetere, si ei sit profuturus? quo est detestabilior istorum immunitas, qui lacerarunt omni scelere patriam, et in ea funditus delenda occupati et sunt, et fuerunt. Idem porro pergit dicens: sed si contentio quaedam et comparatio fiat, quibus plurimum tribuendum officii; principes sint patria, et parentes. Quod alibi disertius explicans (f) Quid si, ait, pater fana expilet, cuniculos agat ad aerarium: indicetne id magistratibus fikus? Nefas id quidem est. Quin etiam defendat patrem, si arguatur. Non igitur patria praestat omnibus officiis? imo vero: sed ipsi patriae conducit, pios ciues habere in parentes. Quid si tyrannidem occupare, si patriam prodere conabitur pater? silebitne filius? Imo vero obsecrabit patrem, ne id faciat. Si nihil proficiet, accusabit: minabitur etiam:*

ad

(d) I. N. et G. L. 2. c. 10. §. 225. in schol.

(e) Off. 1, 17.

(f) L. 3, 23.

ad extremum, si ad perniciem patriae res spectabit; patriae salutem anteponet saluti patris. En tibi pulchre descriptum amoris ordinem inter patriam, et parentes seruandum, quando debita ambobus officia colliduntur. Ceterum eodem fere modo Ciuitatis, in qua quis versatur, amorem Deus ipse populo suo per Ieremiam commendauit; eundem captiuum exhortans: quaerite pacem ciuitatis, ad quam transmigrare vos feci; et orate pro ea ad Dominum; quia in pace illius erit pax vobis. (g) Haec autem Dei mandata si iusta fuerunt pro Iudaeis respectu vrbs et regni Babylonicum; vti nemo citra blasphemiam dubitare potest: quanto sint aequiora intuitu propriae cuiusque, et nativae patriae per se quilibet facili negotio peruidebit.

§. 574.

Quod si igitur boni ciuis est, vt ne mortem quidem pro patria oppetere dubitet; numquid non e ciuium numero delendi, totisque adeo patriae finibus eliminandi sunt Euclyones pessimi, qui, non dicam sanguine; sed opulentiae sua abundantia laboranti reipublicae subuenire detrectant? Interim quot reperire est homines, qui dum auri aceruis, velut dracones quidam diu noctuque incubant, Iros tamen simulant, quamprimum patriae est succurrendum? qui ad ipsum vectigalium tributorumque nomen haud aliter, quam viso Medusaeo capite pallent, et tantum non lapidescunt? quibus, pereat interim patria, an seruetur ex aequo incuruis, ne peierare quidem vlla est religio, modo si nummis parcere liceat; imo qui summam reipublicae calamitatem non minus auide, quam exoptatissimam exsatiandae auaritiae occupant occasionem, et ex ciuium suorum fame ac lacrymis per vsuras acerbissimas pinguescunt? Hos ciues quisquam dixerit, an potius parricidas, et iuratissimos patriae hostes? Quanto aliter veteres olim Romani, apud quos, *quum secundo punico bello ex-*
hau-

(g) C. 29, 7.

haustum aerarium ne Deorum quidem cultui sufficeret, teste Valerio Maximo, (h) Publicani ultra aditos censores hortati sunt, ut omnia sic locarent, tanquam Respublica pecunia abundaret, seque praestituros cuncta, nec ullum assen, nisi bello confecto, petiuros polliciti sunt. Domini quoque seruorum, quos Sempronius Gracchus ob insignem pugnam Beneuenti manumiserat, pretia ab Imperatore exigere superfederunt: in castris etiam non eques, non centurio stipendium dari sibi desiderauit. Viri atque feminae, quidquid auri, argentiue habuerunt, item pueri insignia ingenuitatis ad sustentandam temporis difficultatem contulerunt: ac nec beneficio Senatus, qui muneribus functos tributi onere liberauerat, quisquam uti voluit, sed insuper id omnes promississimis animis praestiterunt. Atque hoc quidem cum mentis sensu stetit, floruitque res romana, cum hoc patriae amore orbi terrarum imperarunt Quirites, serui ex Dominis facti, quamprimum sua quisque commoda publico coepit bono antehabere. Neque sane aliter vigere poterit quaecunque denique Respublica, ruitura ocyus, atque dispersa priuatorum studia communes vnitasque vires infregerint, ac dissiparint.

§. 575.

Nemo igitur eius se rei iacturam fecisse existimet, quam pro patriae salute contulit; imo tum demum suis se emolumentis praeclare consuluisse credat, si felicitatem publicam bene elocatis opibus potuit promouere. *Stulta nimirum auaritia mortalium*, ait Seneca, (i) possessionem proprietatemque discernit; nec quidquam suum credit esse, quod publicum est. At sapiens nihil iudicat suum magis, quam cuius illi cum humano genere consortium est. Nec enim essent ista communia, nisi pars illorum pertineret ad singulos. -- -- *Adiice nunc, quod magna et vera bona non sic diuiduntur, ut*
exignum

(h) L. 5. c. 6. n. 8.

(i) Ep. 73.

exiguum in singulos cadat: ad unumquemque tota perveniunt.

§. 576.

Hinc homo philosophus, qui veram et genuinam habet patriae notionem, illudque animo defixit, in ipsius civilis societatis incolumitate singulorum civium salutem, vitam, libertatem ac dignitatem contineri; §. 572. neque vero sine Imperantibus stare posse aliquem civilem societatem: non obsequium modo sincerum, sed et animum prae ceteris gratum semper deferret Reipublicae Rectoribus. Vnde iterum Seneca: *errare mihi videntur*, ait (1), *qui existimant Philosophiae fideliter deditos contumaces esse, ac refractarios; et contemptores Magistratum ac Regum, eorumque, per quos publica administrantur. E contrario enim nulli aduersus illos gratiores sunt; nec immerito: nullis enim plus praestant, quam quibus frui tranquillo otio licet. Itaque hi, quibus ad propositum bene viuendi aditum confert securitas publica, necesse est, auctorem huius boni ut parentem colant. Et post multa: Cogitat itaque sapiens, per quem sibi horum ususfructus contingat; per quem non ad arma illum, sed ad seruandas vigilias; nec ad tuenda maenia, et multiplex belli tributum publica necessitas vocet: agitque gubernatori suo gratias. Hoc docet Philosophia praecipue, bene debere beneficia, bene soluere. Interdum autem solutio est ipsa confessio. Confitebitur ergo multum se debere ei, cuius administratione ac prouidentia contingit illi pingue otium, et arbitrium sui temporis, et imperturbata publicis occupationibus quies.*

§. 577.

Quodsi iam genuina patriae notio eiusdem charitatem necessario post se trahit; quoniam nimirum *civium felicitas cum ipsius civilis societatis felici-*

(1) *Ibid. in principio.*

felicitate indissolubili nexu coniungitur: §. 570. interest sane, vtne *falsa felicitatis idea* nobis aliquando imponi patiamur. Qua de re grauiter perorans Aristoteles: (m) *quoniam*, inquit, nobis optimum ciuitatis genus propositum est ad considerandum, idque est, quo sapientissime ciuitas administratur; eoque tandem ciuitatis status sapientissime administratur, quo facillime esse beata ciuitas potest: certe quid sit beata vita intelligendum est. Haec autem si cum illis conferantur, quae de hominis felicitate iam in ipso Ethicae principio exposuimus: patet enimvero, omnia iterum vltimato ad *primum Iuris naturae principium* redire, nempe ad *amorem Dei*, qui noster vltimus finis et summa nostra beatitudo est: quare non immerito *veram ciuitatis felicitatem*, quatenus eam Imperantes tanquam vnicam potestatis suae regulam respicere debent, iam supra §. 492. fini vltimo subordinauimus. Sed enim quum in qualibet societate omnes omnino focii ad eundem finem collimare, et per idonea media tendere debeant, sequitur, veram tum ciuium, tum ipsius ciuitatis felicitatem haud minus ab *ultimo fine* pendere, neque illum vquam ex oculis esse amittendum. Igitur quum *Sapientia* et *Virtus* sint efficacissima et velut proxima ad vltimum finem media: §. 18. et 19. eadem sint validissima ciuilibus felicitatis praesidia oportet. Hoc ergo princeps cuiuslibet est ciuis officium, hoc ante omnia cuique, vt ait Aristoteles, (n) *videndum est, quonam pacto vir bonus, ac sapiens possit effici.*

§. 578.

Accedit, quod ciuilibus societas, haud minus, atque omnes aliae; quin magis adhuc, quam multae ex ceteris *amicitia* nitatur. Etenim gradus, inquit Cicero, (o) *plures sunt societatis hominum.*
Vt

(m) *Politic. L. 7. c. 13.*(n) *Ibid.*(o) *1. Off. 17.*

Vt enim ab infinita illa discedatur, propior est eiusdem gentis, nationis, linguae, qua maxime homines coniunguntur: interius etiam est, eiusdem esse ciuitatis. Multa enim sunt ciuibus inter se communia: forum, fana, porticus, viae, leges, iura, iudicia, suffragia, consuetudines praeterea, et familiaritates, multisque cum multis res, rationesque contractae. Verum autem amicitiae fundamentum virtus est (id quod pridem in officiis phileticis monstrauimus) et bona, quorum communio in amicitia vigere debet, nunquam sunt veri nominis bona, nisi vltimato, et saltem tanquam media ad bonum summum ordinentur. §. 31.

§. 579.

Tamque igitur praecepta quaedam DD. Auditorum meorum conditioni accomodata tradenda, vel potius tot aliis de *Virtute et Sapientia* iam passim traditis addenda sunt, quonam pacto quis vir, cuiusque bonus, atque sapiens esse possit. Atque imprimis quidem quum amici, et socii omnes communem societatis finem, siue bonum a singulis ad omnes, et ab omnibus ad singulos peruenturum pro viribus promouere, atque curare teneantur; hoc nempe ab homine (et multo magis a ciue §. praec.) exigitur, ait Seneca, (p) *ut proficit hominibus; si fieri potest, multis: si minus, paucis: si minus; proximis: si minus; sibi. Nam quum se utilem ceteris efficit, commune agit negotium. Quomodo qui se deteriorem facit, non sibi tantummodo nocet; sed etiam omnibus eis, quibus melior factus prodesse potuisset: sic si quis bene de se meretur, hoc ipso aliis prodest; quod illis profuturum parat.*

§. 580.

Vides profecto, quantum momenti ad finem ciuitatis sit in officiis, quae vel ipsis etiam iuuenibus incumbunt; quam bene possint homines iam inde

(p) *L. de vita beata, vel ut recentiores editiones separarunt, de otio Sap. c. 30.*

inde a teneris de Republica mereri; quantamque perniciem eorundem neglectus officiorum ciuili afferat societati. Id quod multo magis de studiosa iuuentute, et ea praecipue studiosorum parte verum est, quae Paedagogiis vitam sustinet, victumque meretur. *Nec enim is solum Reipublicae prodest, qui candidatos extrahit, et tuetur reos, et de pace, belloque cenjet: sed qui iuuentutem exhortatur, qui in tanta bonorum praeceptorum inopia virtute instruit animos, qui ad pecuniam luxuriamque cursu ruentes prensat, ac retrahit, et si nihil aliud, certe moratur; in priuato publicam causam agit. An ille plus praestat, qui inter peregrinos et ciues, aut urbanus Praetor praeiudicibus assessoribus tria verba pronuntiat, quam qui docet, quid sit iustitia, quid pietas, quid sapientia, quid fortitudo, quid mortis contemptus, quid Deorum intellectus, quantum bonum sit bona conscientia? Ergo si tempus in studia conferas, quod subduxeris officiis, non deserueris; nec munus detrectaueris. Neque enim ille solus militat, qui in acie stat, et cornu dextrum laeuumque defendit: sed et qui portas tuetur, et statione minus periculosa, non otiosa tamen fungitur, vigiliasque seruat, et armamentario praest. Quae ministeria quamuis incruenta sunt, in numerum stipendiorum veniunt.* Ita Seneca. (q)

§. 581.

Verum altius plerique, qui ingenio valent, eluctantur, et per ipsa litterarum studia ad honoris templum ascendere anhelant ac publica quaedam ciuitatis munera properant emereri. Recte quidem; et recta via: vnum tamen moneo, ne nimium, ne improuide festinent. *Ante omnia, iterum praeclare docet romanus Philosophus, (r) necesse est, se ipsum aestimare, quia fere plus nobis videmur posse, quam possumus. — — aestimanda sunt dein-*

(q) De Tranquill. animi. c. 3.

(r) Ibid. c. 4. et 5.

deinde ipsa, quae aggredimur, et vires nostrae cum rebus, quas tentaturi sumus, comparandae. Debet enim semper plus esse virium in latore, quam in onere. Neesse est, opprimant onera, quae ferente maiora sunt. Quaedam praeterea non tam magna sunt negotia, quam foecunda, multumque negotiorum ferunt. Et haec refugienda sunt, ex quibus nova occupatio, multiplexque nascetur. Nec accedendum eo, unde liber regressus non sit. His admouenda manus est, quorum finem aut facere, aut sperare possis. Relinquenda, quae latius actu procedunt, nec ubi proposueris, desinunt.

S. 582.

Denique si votorum compos factus et ad munus publicum tuis accommodatum humeris fueris vocatus: nihil magis desidia fugiendum est: callidum hoc est vitium, nec alios magis latendo decipit, quam quos prae ceteris inquinavit. Quo quisque suis in rebus ignavus est, atque suscepti muneris negligentior; tanto sibi magis blandiri solet, ac de solertia etiam gratulatur sua, eo potissimum errore persuasus, quod plures videat, et plus semet ipso pigritare. Iniquum est, ait, (s) bonum virum debilitari, aut constringi, aut alligari; malos integris corporibus solutos ac delicatos incedere. Quid porro? non est iniquum fortes viros arma sumere, et in castris pernoctare, et pro vallo obligatis stare vulneribus; interim in urbe securos esse praecisos, et professos impudicitiam? — Labor optimos citat. Senatus per totum diem saepe consulitur; quum illo tempore vilissimis quisque aut in campo otium suum oblectet, aut in popina lateat, aut tempus in aliquo circulo terat. Idem in hac magna (mundi) republica fit. Boni viri laborant, impenduntur, et volentes quidem, Nempe languida ingenia, et in somnum itura, aut in vigiliam somno simillimam, inertibus nectuntur elementis: viri boni, probique ciues vltro se labori offerunt, et

(s) Sen. de Promid. c. 5.

et virtuti in obscurum casurae occasionem, per quam enitescat, etiam per dura ac aspera conqui-
runt.

SECTIO III.

SCHOLASTICA.

DE IURE SUMMORUM IMPERAN- TIUM CIRCA SACRA.

§. 583.

Inuitos nos DD. protestanticorum importunitas ad quaestionem rapit, quae ipsa iam fronte difficultatem altioribus, quam pro foro Ethicae, principiis et theologice praecipue fundamentis innexam proponit: quoniam autem illi hanc ipsam summorum Imperantium in sacra potestatem *ex Iure naturali* descendere passim, et velut victoria iam pridem relata iactant; quidam vero ex Catholicis, theologorum principiorum non ignari magis, quam incurii ita ouantium clamores non solum auide excipiunt, verum etiam eruditionis, quam aduersarii ostentant, fulgore decepti admirantur; et non raro regulas, quas Protestantes pro suo caetu ex istis principiis deducunt, catholicae etiam Ecclesiae obtrudere haud verentur: operae pretium me facturum existimaui, si iam nunc contra noxia huius generis praeiudicia studiosae iuuentutis animos praemunire laborarem, supradictam quaestionem eatenus breuiter pertractando, quatenus ab ipsis Protestantibus ad *Ius naturae* referatur; ceteris nimirum argumentis, quae sublimiora sunt, omissis, aut potius altiorum disciplinarum inquisitioni reseruatis.

§. 584.

Porro autem nemo dubitat, et nos ipsi saepius monuimus, esse summorum Imperantium, diligenter vt curent, quo vera Religio in illorum ditio-
nibus conseruetur, confirmetur, et amplificetur; hoc ipso, quia finis *saltem extrinsecus et ultimus,*

quem in administranda Republica prae oculis habere debent, *aeterna est* subditorum felicitas: §. 492. Igitur Principes *Iure naturae* sunt aduocati, defensores, et vindices Ecclesiae; adeoque in eadem protegenda, iuuanda etc. competit illis *Ius in sacra indirectum*. Praeterea neque illud quisquam temere negauerit, iuste se Principes opponere, si Hierarchae ecclesiastici suos transfiliendo limites turbare civilem velint Rempublicam. Namque quum certos atque distinctos vtrique summae potestati fines prouidentia diuina praefixerit: in alterius iura inuolare laesio est, atque iniuria, cui ex pridem dictis se merito pars offensa opponit.

§. 585.

Verum his minime contenti Protestantes Principibus suis *ius in sacra directum* vindicare nituntur. Atque huius quidem erroris fundamenta iam pridem alii Sectarii iecerunt, Donatistae, Nouatiani, Albigeneses, Waldenses, Wiclefi asectae, Hussitae etc. et quicumque contra Ecclesiae, potissimum romanae, auctoritatem insurrexerunt. Successit Lutherus, qui vt vatinianum in eandem Ecclesiam odium expleret; simulque sectae suae Principum fauorem ac patrocinium emeretur, omnem Pontificum, ac Episcoporum auctoritatem in illos transtulit; verum sane argumentis non *ex iure naturae*, sed ex arbitraria Scripturae interpretatione petitis, fines praeterea istius iuris incertos plane relinquens; vnde hac in re Calvinum acerrimum habuit aduersarium, cuius etiam Sectatores, in tot factiones deinceps diuisi, aliud ex alio sibi systema eorundem Iurium procuderunt.

§. 586.

Porro etiam post Lutheri tempora origo Iuris sacrorum non statim ad *Ius naturae* a Protestantibus relata videtur. Mosheimius certe eiusdem prima fundamenta nouissimis adhuc temporibus in pace religiosa, ac demum in *Westphalica* quaesuit, ademque omnia alia systemata aut defectu laborare,

aut

aut periculosa esse edixit; omnium autem minime tolerandum iudicauit illud, quod in *superioritate territoriali*, vt vocant, fundamentum collocat. Pfaffius denique aperte fatetur: neminem ante *Puffendorfium* fuisse, qui illud certis regulis fundamentalibus superstruxerit: *Hic*, ait, *primus fuit qui Ecclesiam nonnisi societatem, et Collegium aequale in ciuitate erectum esse docuit, tradidit, et commonstrauit.* Igitur libellus ille Puffendorfianus de *habitu religionis christianae ad vitam civilem*, in quo auctor omnem bilem in hierarchiam ecclesiasticam, maledictis pluribus, quam rationibus pugnans, euomit, est *lapis ille angularis*, cui totum *ius Sacrorum* hodie superstruunt Protestantes; at vero idem liber inter illos est *petra scandali*. Quamuis enim omnes conueniant, *Ius* in sacra Principibus competere: de eius tamen regundis finibus *Politici* ipsorum cum *Theologis* inter se acerrime diglantur; nunc praecipue, postquam illi priores ita hos fines protulerunt, vt tota auctoritas *Pastorum* his nostris temporibus *Principum* potentia obruatur verius, quam opprimatur, et his vix aliquando ex vltimis demum subselliis suffragium de rebus ecclesiasticis ferre, aut potius consilium subministrare liceat, quod ipsum vti raro admodum exquiritur; ita fere propter contrarias politicas rationes leuius adhuc negligi consuevit. (t)

§. 587.

Namque qui modestissimi sunt ex supradictis *Politicis*; ii tamen sub *iure circa sacra* ea omnia complectuntur, et *Principum* vindicant potestati, quae circa actus cultus diuini externi nec rectae rationi, nec reuelationi refragantur, adeoque contendunt, ipsius *naturalis Legis* vigore summis Imperantibus competere ius ritus arbitrarios (id est quos ratio nec improbat, nec praescribit) in me-

Bb 3

lius

(t) Vide his de rebus Magnif. P. Zallmain Princip. I. E. T. 1. Q. 1. c. 7. §. 2. et Tom. 4. Q. 1. c. 3. §. 5. et seqq.

lius reformandi, et abusus tollendi, publicandi et emendandi Leges ecclesiasticas, Episcopos, ac ecclesiae ministros constituendi non minus, quam amouendi, curam gerendi bonorum ecclesiasticorum, iurisdictionem circa personas, res et causas ecclesiasticas exercendi, Synodos atque Concilia indicendi, ac dirigendi; coetus dissentientium vel recipiendi, vel iisdem emigrationem imperandi. Porro ne *Synodis* quidem, et multo magis *singularibus ecclesiae ministris* *Legislatoriam* permittunt *potestatem*, nisi Principis accedat auctoritas: ius vero *dogmata fidei definiendi* tanquam naturae, ac indoli Religionis penitus aduersum explodunt. (v)

§. 588.

Multo autem longius alii progrediuntur, qui ex *Machiaveli*, et *Hobbefi* pestilentissimis principiis *Religionem* et ipsam adeo *conscientiam* Imperantium arbitrio subiiciunt, atque sic Ecclesiam totam statui politico non accommodant tantum, sed velut vilem subiugant ancillam. Neque procul ab illis recessit siue *Thomasius*, cuius systema ex ipsis Protestantibus Theologis Zalluueinius (w) exponit; siue *Houtuynus* ab ipso Puffendorffio in appendice supradicti libelli refutatus. Quantum vero ab illis differant quidam ex hodiernis Pseudopoliticis; ipsorum quidem scripta, et machinationes satis superque loquuntur. Verum nos hisce omissis illud potius videamus, quibus *argumentis* Ius illud in sacra ex ipso *iure naturae* stabilire molliantur Protestantes, et Protestantium sectatores.

§. 589.

Atque I. quidem, collegia, ait Cl. *Heineccius*, (x) et *societates simpliciores* magis *compositis* ita sunt subordinata, vt nihil, quod maiori illi societati manifeste refragetur; agere salua iustitia possint:

(v) *Vid. Heinecc. I. N. et G. L. 2. c. 8. §. 187.*(w) *L. sup. cit. T. 1. Q. 1. c. 7. §. 2. f. 51.*(x) *Loc. cit. §. 183.*

sunt: igitur et ecclesiam subordinatam esse oportet reipublicae, adeoque Imperanti competere debet ius dirigendi res Ecclesiae. II. In Republica non nisi vna debet esse voluntas; §. 458. talis vero non esset futura, si ecclesia particularis non subesset imperio; sed singuli alias imperio subiecti, eo ipso, dum in hanc societatem coalescunt, collegium liberum, et a summo Imperante independens, adeoque *statum in statu* (monstrum politicum biceps, et sibi semper aduersum) constituere possent. III. Ea omnia iura cum maiestate coniuncta sunt, sine quibus *securitas civium* obtineri non potest: §. 461. experientia vero docet, securitatem hanc tum internam, tum externam vel maxime turbasse homines obtentu Religionis.

§. 590.

His Heineccianis argumentis, quantum ad nostrum forum ista quaestio spectat, addi potest IV. ex Grotio, (y) *Finis potestatis etiam politicae est felicitas supernaturalis* §. 584.: ergo ius etiam in sacra eidem competit. V. Ex Puffendorfio: (z) Ciuitates non sunt institutae propter *Religionem*, vtpote quae independenter ab illis potest exerceri: neque religio alio sensu recte dicitur esse *vinculum societatis*, quam quia amota reuerentia diuini Numinis *fides publica pactorum*, quibus ciuitatum compages superstructa est, stare non posset: ergo frustra fingitur in ciuitate potestas sacra distincta a ciuili; cultum enim *externum*, quatenus est ad fidem pactorum seruandam necessarius, satis per se curare Princeps profanus potest. VI. Ex eodem: (r) In lege *naturali Mosaica*, atque etiam *Christiana* potestas sacra et profana semper fuit coniuncta in Principibus, vsque dum romanae Ecclesiae Pontificum et Sacerdotum arrogantia illam ad se tum fraudibus, tum vi iniusta traxit: illa vero totius

B b 4

retro

(y) *De Imperio summarum Potestatum circa sacra, liber posthumus.*

(z) *De Habitu Religionis* §. 5.

(r) *Sparsum per citatum libellum.*

retro *antiquitatis consensio* euidenter ostendit, Ius in sacra vigore *Legis naturalis* summis Imperantibus competere. Verum his non obstantibus fit cum omnibus genuinis Catholicis nostra

§. 591.

Propositio.

Vigore iuris naturalis nulla omnino Magistratibus politicis ac profanis directa potestas circa sacra competere potest.

Quippe, quum maiestas Imperantium non sit nisi *mediate* a Deo, et quidem tanquam *auctore naturae*, §. 472. et seqq. habeatque pro fine *intrinseco*, et proximo non nisi *felicitem civilem et naturalem* huius vitae: §. 456. et 492. contra vero apud omnes Christianos in confessio fit, ecclesiam totam esse *immediate* a Deo, tanquam *auctore supernaturali*, et ad *finem supernaturalem* per *media* eodem modo *supernaturalia* dirigi; quis non videt, haec duo ita esse disparata, vt a maiestate profana nullum sane *intrinsecum* argumentum, nulla necessaria consecutio possit duci ad *potestatem circa sacra in vno eodemque Imperante coadunandam*? igitur vi *Iuris naturae* maiestas Principum ad sacra, id est ad Ecclesiam, eius res, actiones et personas (saltem in quantum sunt *sacrae*, (et *directe*) extendi minime potest. *Extrinseca* autem argumenta, seu talia, quibus probaretur, Deum *positiua aliqua Lege* ius Sacrorum profanis Principibus dedisse, imprimis non sunt huius loci, vbi de *solo iure naturae* agimus, non de *Lege diuina positina*: deinde nulla omnino suppetunt; Vbi enim *locus aliquis clarus Scripturae* potestatem in sacra profanis Magistratibus demandantis? sed talem in suae sectae principiis Protestantes omnino producere deberent.

§. 592.

Et sane licet heic Clar. Heineccii argumentum in ipsum auctorem stringere: *Quis non videt*, ait ille,

Ille, (2) *quantam lanienam excitatura sint haec principia* (Machiaueli et Hobbesii. *Vide supra §. 588.*) *si Nero aliquis, aut Domitianus, aut Diocletianus rerum potiatur, qui sibi persuadeat, religionem christianam minus prodesse Reipublicae, quam paganam aut Mahumetanam, aut qui aliam comminiscatur?* At vero an non idem futurum esset, si quis nunc hodie Nero, Domitianus, aut Diocletianus exurgeret? Iure sacrorum is in principiiis Protestantium polleret; praeclarus enimvero pastor ouium, quem aiunt lupum: At vero cohiberet hic nempe se intra limites actionum arbitrariarum; nihil auderet in actiones cultus diuini externi cum cultu interno necessario connexis, quas Principum potestati ipse Heineccius (3) subtrahit; contra vero intra illa, quae Imperantibus idem auctor circa sacra concedit (*vid. §. 587.*) integerrime scilicet, et sine villo religionis detrimento exerceret? Enimvero *quis non videt, quantam lanienam excitatura sint haec Protestantium principia, imo quis non videt eam doctrinam insuper habito vero religionis sine eam in instrumentum dominationis conuertere?* (4) quod re ipsa factum esse, qui cum Phrygibus nunc tandem sapiunt, ipsi Protestantici Theologi palam lamentantur. (5)

§. 593.

Iam vero antequam ad soluenda aduersariorum argumenta accedamus, illud *ex fidei dogmatibus* tanquam certum supponimus, Christum in Ecclesia sua veri nominis *hierarchiam sacram* instituisse, in qua Pontifices, et reliqui sacerdotes vera gaudent *potestate legislatoria, vera iurisdictione, vero imperio*, licet haec omnia fini ipsius Ecclesiae sint attemperata; vt adeo Protestantes *argumentum paritatis a ciuitatibus profanis*, quarum etiam origo

B b 5

ple-

(2) *L. c. §. 184. in scholio.*(3) *L. c. §. 186.*(4) *Idem cit. §. 184.*(5) *Vid. Zalluocin legis supra §. 586. citatis.*

plerumque fuit vitiosa, prorsus inepte ducant ad istam *Reipublicam sacram*. Quasi nimirum Deus suam instituendo Ecclesiam consilia sua humanis inuentis attemperare debuisset. Porro autem *postulatum* nostrum haud sane propterea minus verum est, quia istam Hierarchiam a Theologis catholicis inuicte ex S. Scripturae oraculis, et perpetua XVII. saeculorum traditione demonstratam peruicaciter negant Protestantes. Quare serio moneamus Catholicos, vt si qui forte temeraria et perniciosa curiositate (vti fert peruersus nostri saeculi genius) aut quacunq; alia causa allecti in aduersantium inciderint libros, praecipitem saltem non ferant, cum ipsius fidei dispendio, sententiam; sed alteram alteri parti aurem ad minimum referrent, et grauiorum etiam nostrorum Theologorum argumenta serio expendant: tum enim uero facile patebit, quanto haec validiora sint toto illo eruditionis apparatu, quo fere solo veritatem obscurant, improvidosque animos decipiunt Protestantes. His ergo praesuppositis

§. 594.

Respondeo ad I. et nego suppositum, quod Ecclesia sit *collegium simplex*. Nouum hoc Puffendorffii commentum §. 586. quam infirmo nitatur pede, manifestum est ex controuersis inter ipsos Protestantes feruentibus, qui neque de iuribus istius collegii, neque de modo, quo in Principes translata sint, neque de ratione limitum, secundum quos possint vel debeant seu a Principe, seu ab ipso Collegio praedicta iura exerceri, secum possunt conuenire. (6)

§. 595.

Ad II. *dist.* In republica debet esse vna voluntas eiusdem generis; *conc. diuersi generis; nego.* Mutua, vt aiunt, *independentia* Ecclesiae, et profani regiminis sese inuicem haud excludit; quum
vtra-

(6) *Zallaeus*, I, 1. Q. 1. 6. 7. §. 2. f. 65. et seqq.

utraque fines habeat omnino diuersos, et medijs etiam vtatur diuersissimis; §. 591. quare *status Ecclesiae catholicae in statu profano* non nisi per calumniam *monstrum biceps*, et *sibimet semper aduersum* dici potest, quum certe orthodoxa haec Ecclesia per suasmet leges fundamentales plurimum contribuat, vt profanae etiam Reipublicae *unitas* per *sincerum* obsequium firmior euadat, id quod exemplo catholicarum ciuitatum ac Rerumpublicarum, et (si paritatem haud ineptam ab *oeconomicis* ducere libeat) ex ipsa etiam patet confessione Protestantium: Ita noui ego, quod in vrbibus, vbi Catholici simul viuunt, multi Lutherani ex Catholicis potius, quam suae Religionis hominibus famulos, et ancillas conducant, non alia ratione persuasi, quam quod sciant, nostros per *clauium potestatem* negato etiam *absolutionis beneficio* ad fidele obsequium praestandum, et si qua quantumlibet occulta damna dederunt, ad eadem sarcienda multo efficacius compelli.

§. 596.

Ad III. *retorqueo* argumentum: Ea omnia iuribus maiestatis amputanda sunt, quae securitatem ciuium euertunt: experientia vero docuit, securitatem hanc tum internam, tum externam vel maxime ab Imperantibus turbatam fuisse *obtentu Iuris in sacra*, vt patet non tantum exemplis Imperatorum ethnicorum, Arianorum, Iconoclastarum etc. sed etiam Anglorum tempore Henrici VIII. et Elisabethae etc. Scotorum sub Rege Ioanne Knoxio, Suecorum tempore Gustauæ Erichsonii etc. Sarracenorum item, ac Mahumetanorum Imperantium, et nostrae praecipue Germaniae Saec. XV. et XVI. Igitur diligenter distinguendus est *usus Religionis ab abusu*. Rectus religionis orthodoxae vsus non turbat securitatem profanae Reipublicae; sed firmat, §. *praec.* quodsi autem Imperantes per *suae potestatis abusum* Religionem simul, et Rempublicam turbant: quis hoc, amabo, Ecclesiae imputabit, existimabitue, propterea illorum iura amplifi-

can-

tanda, et potestatem etiam ad sacra extendendam esse? Contra si aut *Hierarcha quisquam sacer per suae potestatis abusum*, aut *plebs vano religionis obtentu*, atque adeo iterum per *abusum*, securitatem publicam turbet, et in Imperantium iura inuolet: illi obfisti posse iam supra §. 584. monuimus: hanc autem compesci debere vltro largimur, ex principiis §. 479. positis: At inde minime sequitur, Principibus ius competere circa sacra, quod a fine ciuitatis quam maxime alienum, §. 591. et a Deo non nisi sacris Hierarchis concessum est §. 592. Iam igitur qua fronte in medio Romano-Germanici Imperii quidam ex Protestantibus scribere audent, *Religionem catholicam* (nempe Caesaris, et tot Principum ac Statuum Imperii Religionem) vel ideo ex omnibus aliis sectis perniciosissimam esse Reipublicae, quod ius sacrorum Sacerdotio tribuat. Hocne est pacem Westphalicam seruare, quam illi leuissimis nixi causis toties violatam exclamant? haecne est reuerentia tot Principum debita maiestati? Quid si reponeremus nos, ius in Sacra merito apud Protestantes a Principibus occupari, edoctis nempe *bello illo rustico* (cui faces Lutherum per seditiosos suos libros supposuisse nemo nisi in historia penitus hospes ignorat) quos arbitraria illa fidei et scripturae exponendae Regula, *spiritus nimirum priuatus fructus natus sit progerminare?* Quodsi autem haec per abusum Religionis excusare coguntur Protestantes: desinant igitur eiusmodi abusus cum sacris catholicae religionis dogmatibus confundere, et discant tandem ipsa conuicti experientia, Politicos hodiernos nullis continendos Iuris sacrorum limitibus, id vnum agere, vt *in super habito cuiuscunque religionis sine eam in instrumentum dominationis conuertant.* quod quidem consilium non potuit non ipse CL. Heineccius execrari. (7)

§. 597.

Ad IV. dist. Finis potestatis politicae *extrinsecus et remotus* est felicitas supernaturalis c. *intrinsecus*

secus et proximus; n. ergo Principibus ius in sacra competit *indirectum*, quale §. 496. et 584. descripsimus; c. *directum*, quale volunt Protestantes, §. 587. et 588. n. Aut forte debuit Christus Protestantium arbitrium expectare, vtrum sibi peculiarerit in sua Ecclesia hierarchiam instituire liceat?

§. 598.

Ad V. dico, si ciuitates non sunt institutae propter religionem, et haec potest independenter ab illis exerceri (quod *sano sensu*, et de *sine intrinseco* ac *proximo* intellectum, vtrumque admittimus) igitur hoc ipso non potest Principibus *vigore iuris naturalis* competere *ius directum in sacra*. Cetera, quae addit Puffendorfius, plane sunt *machiuellistica*, et religionem non nisi aliquam externam ad finem ciuitatis necessariam; imo quamcunque denique, quae modo *Deum* illum *fidium* non tollit; suffecturam esse probare contendunt; adeoque Religionem totam, ipsiusque Dei cultum fini ciuitatis plane submitunt, et consequenter Imperantis arbitrio subiiciunt; quas horrendas blasphemias non refutare, sed execrari oportet, quamquam illis iam pridem obuiam iuimus §. 492.

§. 599.

Ad VI. *nego maiorem per omnia prorsus membra*. Inprimis in *Lege naturae* non vtique propter *essentialem* vtriusque *sacrae*, et *profanae potestatis nexum*; sed ea de causa iidem fere fuerunt familiae, aut populi Principes, et sacrorum antistites; (vti Abrahamus, Melchisedech, Iobus, Iacobus etc.) quia nullo adhuc singulari hierarchico ordine diuina ordinatione instituto congruum existimabant, ipsimet vt *officiorum ad Deum et illius cultum spectantium* munus, quod semper hominibus primum, et grauissimum videri debet, per se potius obirent, quam aliis inferioribus demandarent.

Aliud longe fuit in *Lege Mosaiica* sacrorum cura tribui leuiticae, et familiae Aaraonis Numinis lege commissa; licet istius posterius saepius simul hebraei popu-

populi Principes fuerint. Ceterum non alias peius, quam in huius statu Legis profanis Regibus cessit; si Protectorum transgressi limites in sacerdotum munia temerarias iniecere mantis, vti Saul, et Ozias funestis sane exemplis docuerunt: Igitur quod a reliquis piis Regibus ad promouendum Numinis cultum (neque enim huc malorum quadrant facinora) bene gestum est; merito creditur, non sine Sacerdotum ac Pontificum auspicio, neque vltra *munus aduocati* actum fuisse, aut certe non absque diserto Numinis imperio fuit factum; adeoque iterum non est huius loci: sicut etiam generaliter loquendo a statu hebraici populi *theocratico* ad alias Respublicas non satis firmum duci potest argumentum.

In *lege autem euangelica* si de *iure in sacra directo* loquamur, quod vnanimi consensu genuini omnes Catholici profanis Imperantibus abiudicant, et quod solum ad hanc pertinet quaestionem; adeoque si amputemus controuersias illas de *iure indirecto*, quae nondum definitae sunt, et adhuc sub disputatione Doctorum sine ipsius praecipui dogmatis detrimento feruent; quod si ea etiam segregemus, quae Imperantes *ex officio Aduocati* bene, aut per vim ac *usurpationem iniustam*, ex omnium confessione perperam gesserunt; mera et aperta est calumnia, quod obiicitur. Non est autem huius loci ea singula refellere, quae ex factis historicis obiici solent. Sufficiat ergo *Constantini M. et coaeuorum Ecclesiae Antistitum* exemplum, quorum ille haud sane, siue tam rudis fuit, vt quae iura ad Imperantem spectant, ignoraret; aut ita superstitiosus, Legisue christianae in perpetua illa cum Episcopis familiaritate ignarus, vt sibi inanibus commentis imponi pateretur: isti vero Antistites sanctitatis, prodigiorum, ac confessionis etiam gloria plerique illustres haud minus ab improbae ambitionis, et malaram fraudum suspitione remoti sunt. Et tamen quum in primo Concilio Nicaeno multi ex sacerdotibus quasi pro suis ipsorum negotiis certaturi accusationis libellos contra alios sui ordinis Imperatori offer-

offerrent: hic omnes simul, ne lectos quidem, palam flammis dedit; *accusationes istae*, inquit, *opportunitum tempus habent, magni iudicii diem, et iudicem tunc omnibus indicaturum. Mihi vero fas non est, quum homo sim, huiusmodi sacerdotum cum accusantium, tum accusatorum cognitionem mihi ipsi vindicare.* (8) Vicissim quum Constantinus (vti saepius factum est) animosiore, quam prudentiore feruore turbatas Ecclesiae res in pristinam restitueret tranquillitatem festinaret, celeberrimus ille Hosius Cordubensis eidem se cordate opponens, scripsit: *Desine, quae so, imperator, ne te immisceas ecclesiasticis, neque nobis in hoc genere praecipis; sed potius ea a nobis disce. Tibi Deus imperium commisit; nobis, quae sunt Ecclesiae, concredidit. Et quemadmodum, qui tuum imperium malignis oculis carpit, contradicit ordinationi diuinæ; ita et tu caue, ne, quae sunt Ecclesiae, ad te trahens magno crimini obnoxius fias.* Cui narrationi magnus ille Athanasius (9) ista subiicit verba: *Quando a condito aeuo auditum est, quod iudicium Ecclesiae auctoritatem suam ab Imperatore accepit? aut quando unquam hoc pro iudicio agnitum est?* Porro autem aliorum etiam, maximi nominis Imperatorum similem Constantinianae moderationem, et liberriam confessionem, nihil sibi iuris in sacra esse, passim catholici recensent Doctores. Euanescent igitur, quam Protestantes iactant, *totius retro antiquitatis pro iure sacrorum ad profanos Principes spectante consensus;* Et optimi quique Imperantium melius multo, quam illi sciuerunt, suam potestatem, maiestatemque Iuri diuino, subiectam non vtique meram externam et temporariam ciuium felicitatem securitatemque spectare, sed etiam aeternam prae oculis habere, debere, quam reuelata proponit Religio, cuiusque iura et instituta bonum publicum ciuitatis, ita non euertunt, vt quam maxime robovent, atque confirment.

§. 600.

(8) Sozom. Hist. Eccl. L. 1. c. 17.

(9) Epist. ad solitarios.

§. 600.

Hoc autem ipsum in tota Ethica iurisque naturalis disciplina spectandum est. Sicut enim hactenus omnia ad Deum tanquam ultimum finem et velut ad communem metam reduximus: ita plane non sufficit, ut eidem tantum qua naturali rerum omnium auctori et fini nostro ac summæ felicitati secundum sanæ rationis principia, et per amorem ipsi, nobis, proximo, coniunctis, patriæ Magistratibus ac ciuibus rite exhibitum debita deferamus obsequia; sed altius eluctari oportet, ut ex reuelatis principiis vitam componentes Deo O. M. heic quidem per supernaturalem fidem, spem, et quæ maior horum est, charitatem coniuncti, cum illo in coelis per æternam et suauissimam fruitionem vniri mereamur, utque ita idem

naturæ et gratiæ auctor *in omnibus glorificetur*

D E U S.



ELEN.



E L E N C H U S

TOTIUS OPERIS.

PROLEGOMENA ETHICAE.

CAPUT VNICUM.

De natura, qualitatibus, fontibus et principiiis Ethicae.

SECTIO I.

De natura et qualitatibus Ethicae.

	Folio
D efinitio nominalis, et munus Ethicae.	2
2. Eiusdem brevis historia ante Christum,	2
3. et post Christum natum.	3
4. Protestantium contra Catholicos calumnia.	4
5. Definitio realis Ethicae secundum aliorum sententiam.	4
6. Eadem in nostra sententia proponitur, declaratur,	5
7. et probatur.	6
8. Soluuntur obiectiones.	6
9. Supradicta Protestantium calumnia uberiorius refutatur.	9
10. Ethicae obiectum, subiectum, et finis.	11
11. Ethicae partes.	12

SECTIO II.

De fontibus Ethicae seu Iuris naturae.

12. Protestantium accusationes	12
13. expenduntur.	13
14. Praesupposita ad hanc quaestionem.	14
15. Recta ratio per se est propria regula cognoscendi I. N.	15
<i>P. Schwarzhueber Eth. P. II.</i>	16

Cc

§. 16.

Elenchus totius Operis.

	<i>Folio</i>
§. 16. Eadem tamen in moderno corruptionis statu indiget criterio auctoritatis, praecipue diuinae;	15
- 17. id quod vel ipsa patet experientia.	16
- 18. Soluuntur obiectiones.	17
- 19. Quid valeat auctoritas humana?	22

SECTIO III.

De principio iuris naturae.

§. 20. Sermo est de principio cognitionis practico.	22
- 21. Proprietates eiusdem principii.	23
- 22. Opiniones aliquae Protestantium,	23
- 23. et Catholicorum reiiciuntur.	26
- 24. Nostra sententia proponitur, et probatur tum ratione,	27
- 25. tum auctoritate.	29
- 26. Soluuntur obiectiones.	29
- 27. Quid generaliter loquendo I. N. praecceptum, prohibitum, aut permiffum fit?	32
- 28. Accusatio Protestantium repellitur.	32

ETHICAE

PARS PRIOR, SIUE GENERALIS.

CAPUT I.

Eudomonologia, seu de felicitate hominum naturali.

SECTIO I.

DOGMATICA.

§. 1. Finis definitio.	33
- 2. Finis alius intermedius; alius vltimus.	33
- 3. Quidquid est, propter finem est.	33
- 4. Homo est, et operatur propter finem.	34
- 5. Igitur finis et bonum sunt idem.	34
- 6. Notio boni in genere.	34
§. 7.	34

Elenchus totius Operis.

Folio

§. 7. Notio determinata boni veri, et apparentis.	35
- 8. Non quaelibet cuilibet bona.	35
- 9. Notio veri mali.	35
- 10. Bonum verum hominis diuiditur in bona exteriora, et interiora;	35
- 11. Nec non in bonum summum, et non summum: illud est bonum finis; hoc bonum medii.	36
- 12. Vltimus finis, et summum hominis bonum sunt idem.	36
- 13. Proprietates summi boni.	36
- 14. Summum bonum stabiliter habens est beatus.	36
- 15. Definitio felicitatis, quae nihil differt a fine vltimo, et summo bono;	37
- 16. adeoque nec in bonis exterioribus;	37
- 17. nec in bonis corporis;	37
- 18. nec in sapientia etc.;	38
- 19. neque in virtute;	38
- 20. neque tandem in vita secundum naturam vndequaue perfectam:	38
- 21. sed in Deo,	39
- 22. siue secunda eius possessione consistit.	39
- 23. Deum non sine Spiritu possumus possidere.	39
- 24. Igitur beatitas consistit in eius cognitione et amore perfecto.	39
- 25. Felicitas naturalis pro vita praesente datur quidem vera:	40
- 26. Perfecta autem est reseruata vitae aeternae.	40
- 27. Cuius spes priorem perficit.	40
- 28. Beatitas perfecta ex solo naturae lumine ad solam spectat animam,	40
+ 29. cuius clariorem notionem reuelationi debemus.	41
- 30. Priuatio possessionis Dei summum hominis malum.	41

Elenchus totius Operis.

SECTIO II. PRACTICA.

	<i>Folio</i>
S. 31. Nihil vere bonum existimandum est, quod non ad vltimum finem conducit.	42
- 32. Omne illud malum iudicandum, quod ab hoc fine retrahit.	42
- 33. Igitur Philosopho non ex populari opinione viuendum :	42
- 34. sed mens illius ad Deum erecta	43
- 35. et a voluptatibus,	43
- 36. immodicoque externorum bonorum amore auulsa	43
- 37. nulla de re nimis anxie laboret,	44
- 38. quam vt cum Deo coniungatur.	44
- 39. Huius rei praecipua praesidia sunt sapientiae et Virtutis studium,	44
- 40. quae nos ad veram illam beatitatem introducunt.	45
- 41. Omnia igitur vitia contra naturam pugnant;	46
- 42. primaque et maxima peccantium poena est, peccasse.	46

SECTIO III. SCHOLASTICA.

De opinione Wolfii Deum a summo hominis bono excludentis.

S. 43. Protestantium quorundam circa summum hominis bonum errores.	47
- 44. Ill. Wolfii non impeditus ad maiores perfectiones progressus refertur,	47
- 45. et refutatur.	48
- 46. Deus nequit excludi a summo hominis bono.	49
- 47. Soluuntur obiectiones.	49

CA-

CAPUT II.

Praxeologia, sive de actuum humanorum natura, moraliter et regulis.

SECTIO I.

DOGMATICA.

ARTICULUS I.

De actuum humanorum natura.

	<i>Folio</i>
§. 48. Homo ad finem tendit per suas actiones.	50
- 49. Agit autem vel sine, vel cum praeuia cognitione rei; et attentione ad finem.	51
- 50. Inde patet, quid sit spontaneum, et quid voluntarium,	51
- 51. quidque actus hominis, et contra actus humanus sit.	51
- 52. Definitio actus humani.	51
- 53. Potest esse elicitus, vel imperatus.	52
- 54. Solus, et semper est propter finem.	52
- 55. Igitur actus hominis non est nostri fori.	52
- 56. Principia actus humani sunt cognitio intellectus, et electio voluntatis.	52
- 57. Cognitioni opponitur Ignorantia. Huius diuisiones.	52
- 58. Ignorantia inuincibilis tollit actum humanum:	53
- 59. Vincibilis eundem tantum minuit.	54
- 60. Quid de ignorantia comitante?	54
- 61. Quid requiratur ad electionem voluntatis?	54
- 62. Sensualis hominis facultas a rationali probe distinguenda.	55
- 63. Quomodo actus hominis transeat in actum humanum.	55
- 64. Voluntarium aliud est directum; aliud indirectum.	56
- 65. Indirectum non tollit actum humanum.	56
- 66. Quid, et quotuplex sit inuoluntarium?	56

Elenchus totius Operis.

	<i>Folio</i>
§. 67. Quid, et quotuplex fit violentum?	56
- 68. Violentum proprie tale;	57
- 69. non autem improprie tale tollit actum humanum.	57
- 70. Prius nec in actus elicitos, nec imperatos; sed tantum externos cadit.	57
- 71. Nouae diuisiones inuoluntarii.	58
- 72. Simpliciter tale tollit;	58
- 73. Secundum quid tale minuit actum humanum.	58
- 74. Corollaria de actibus ex concupiscentiae impetu,	59
- 75. et a metu extrinsecus incusso,	59
- 76. nec non ab eodem intrinsecus orto pro- fectis.	60

ARTICULUS II.

De actuum humanorum moralitate.

§. 77. Quid moralitatis nomine intelligatur?	60
- 78. Fontes actus humani moralis sunt rectus finis, rectusque ad finem tendendi modus.	61
+ 79. Moralitas supponit libertatem,	61
- 80. qua homo gaudet,	62
- 81. quidquid veterum, et nouiorum errores contradicant:	62
- 82. quamuis libertas fati saluetur per in- differentiam exercitii.	62
- 83. Praeterea ad moralitatem requiruntur quaedam regulae morum.	63
- 84. Corollaria inde deducta.	63
- 85. Finis alius operis; alius operantis.	63
- 86. Qua ratione tam prior,	64
- 87. quam posterior det speciem actui?	64
- 88. Corollaria practica.	65
- 89. Non datur actus indifferens in indiui- duo.	66
- 90. Quid modus ad finem tendendi conferat ad moralitatem actus.	66

ARTI-

ARTICULUS III.

De actuum humanorum regulis.

Folio

- | | |
|--------------------------------------------------------------------------------------------|----|
| §. 91. Ad moralitatem necessariae sunt regulae agendorum, et omittendorum, | 67 |
| - 92. quae igitur sunt Lex Dei | 67 |
| - 93. aeterna, | 67 |
| - 94. mundi huius hypothefi accommodata, | 68 |
| - 95. adeoque etiam pro hac hypothefi necessaria ac immutabilis, | 68 |
| - 96. dirigens actiones hominum liberas, | 68 |
| - 97. et per lumen rationis promulgata: | 68 |
| - 98. consequenter ipsa Lex naturae, | 69 |
| - 99. quatenus nimirum est hominis animo indita. | 69 |
| - 100. Vnde facile refelluntur erroneae Iuris naturae definitiones. | 69 |
| - 101. Proprietates legis, seu iuris naturalis. | 70 |
| - 102. Actibus humanis in indiuiduo ponendis applicata Lex naturae dicitur Conscientia. | 71 |
| - 103. Definitio conscientiae. | 71 |
| - 104. Conscientia est regula fallibilis; | 71 |
| - 105. hinc bene diuiditur in rectam, et erroneam, | 71 |
| - 106. itemque in certam, et probabilem: | 72 |
| - 107. quin tamen opus fit alias praeterea diuisiones procudere v. g. conscientiae dubiae, | 72 |
| - 108. scrupulosae, perplexae, | 73 |
| - 109. antecedentis et consequentis. | 73 |
| - 110. Homo tenetur ad obseruantiam L. N. quatenus per conscientiam applicatur: | 73 |
| - 111. Obligatio tamen ista humanis est viribus commensurata. | 74 |
| - 112. Igitur tenetur sequi conscientiam rectam, | 74 |
| - 113. et inculpabiliter erroneam; | 75 |

Elenchus totius Operis.

	<i>Folia</i>
§. 114. minime autem potest ex conscientia vincibiliter erronea agere.	75
- 115. Praeterea tenetur sequi conscientiam certam;	75
- 116. Vbi autem certitudo haberi nequit, licet agere ex conscientia probabili, relicta via tutiore, modo sit minus probabilis.	76
- 117. Corollaria practica.	76
- 118. Nefas est operari ex conscientia dubia.	77
- 119. Quid agendum, si conscientia sit scrupulosa,	77
- 120. aut perplexa?	78
- 121. Conscientia debet se etiam legibus positivis, diuinis et humanis accommodare.	78

SECTIO II.

PRACTICA.

§. 122. Rex noster est animus noster: cauendum igitur, ne inhonesta imperando Tyrannus fiat:	79
- 123. adeoque sapientia et fortitudine imbuendus est,	79
- 124. vsque immoderate quidquam vel cupiat, vel timeat.	80
- 125. Neque hoc nimis arduum videri debet:	80
- 126. Talis enim vita naturae conueniens	81
- 127. ad veram ducit libertatem.	81
- 128. Solamen bonae; calamitas malae conscientiae.	82

SECTIO III.

SCHOLASTICA.

Vtrum inter plures opiniones de actus honestate minus, aut aequae probabilem sequi liceat?

§. 129. Origo, status, et grauitas quaestionis.	82
§. 130.	82

- §. 130. *et seq.* Argumenta pro benigniore sententia. 83. *et seq.*
- 137. Non licet sequi sententiam minus probabilem, relictā probabiliore, quod probatur, 85.
- 138. et magis adhuc 86
- 139. confirmatur. 87
- 140. *et seq.* Soluuntur argumenta aduerfiorum. 88. *et seq.*
- 147. Inter opiniones aequae probabiles tutior est amplectenda. 93
- 148. Aliquando relictis etiam probabilioribus tutiora sectanda sunt. 94

CAPUT III.

A R E T O L O G I A.

Siue

De virtutibus, et vitiis oppositis.

SECTIO I.

D O G M A T I C A.

ARTICULUS I.

De virtutibus, et vitiis in genere.

- §. 149. Actiones liberae fiunt morales per respectum ad regulas morum. 93
- 150. Frequentatae pariunt habitum seu virtutis, seu vitii. 95
- 151. Definitio virtutis, et vitii. 96
- 152. Vterque habitus ad eodem actus morales, e quibus oritur, tendit, adeoque easdem etiam agendi potentias ad promptius exercitium disponit. 96
- 153. Igitur aliae virtutes sunt intellectuales, aliae morales, idemque de vitiis dicendum. 96

Elenchus totius Operis.

	<i>Folia</i>
§. 154. Definitiones utriusque generis virtutum, et vitiorum.	96
- 155. Passionum ratio, et diuisio.	97
- 156. Non sunt ex natura sua malae.	98
- 157. Possunt tamen plerumque, et debent regi arbitrio rationis;	98
- 158. quod officium virtuti incumbit;	99
- 159. qualiter impleri debeat?	99
- 160. Virtutes intellectuales subseruiunt moralibus.	100
- 161. Virtutes morales perfectae omnes sunt connexae,	100
- 162. quod tamen nec de intellectualibus;	101
- 163. nec de moralibus imperfectis;	101
- 164. et multo minus de vitiis procedit.	101
- 165. neque transferri potest ad stoicam virtutum, aut vitiorum aequalitatem.	102
- 166. Virtus moralis tenet medium, a quo vitium semper recedit.	102
- 167. Virtute nullus male; vitio nemo bene uti potest.	102
- 168. Quo modo actus virtutis, et vitii tum numero, tum specie distinguantur?	103

ARTICULUS II.

De virtutibus, et vitiis intellectualibus in specie.

§. 169. Virtutis intellectualis obiectum est verum vel speculatiuum, vel practicum.	103
- 170. Verum speculatiuum aut versatur circa prima principia:	104
- 171. aut circa conclusiones inde deductas, quae vel in genere suo;	104
- 172. vel in tota cognitione humana vltimae sunt.	104
- 173. Verum practicum aut factibilia respicit, quae per artem gubernantur;	105

§. 174.

§. 174. aut agibilia, quae per prudentiam generaliter acceptam diriguntur. 105

NB. *Vitia per oppositionem expenduntur.*

ARTICULUS III.

De virtutibus, et vitiis moralibus in specie.

- §. 175. Omnium virtutum moralium radices sunt virtutes cardinales, 105
- 176. quarum prima est Prudentia. 106
 - 177. Actus prudentiae 106
 - 178. Versatur circa singularia vtendo principii vniuersalibus. 107
 - 179. Diuiditur in cognoscitiuam, et praeceptiuam. 107
 - 180. Quae circa cognitionem, 107
 - 181. et cognitionis acquisitionem consideranda sint? 107
 - 182. Quibus praesidiis opus habeat prudentia praeceptiua? 108
 - 183. Quae necessaria sint ad perfectam prudentiam? 108
 - 184. Partes subiectiuae prudentiae. 109
 - 185. Vitia prudentiae opposita. 109
 - 186. Secunda inter virtutes cardinales est Iustitia, 110
 - 187. non generalis, sed specialis; 110
 - 188. huius notio. 110
 - 189. Illius actus est seruare proportionem mediū inter ius vnius, et obligationem alterius. 111
 - 190. Ista proportio potest esse vel arithmetica, vel geometrica. 111
 - 191. Inde iustitia diuiditur in explettricem, et attributricem. 111
 - 192. Vtraque vel est publica, vel priuata. 112
 - 193. Quale medium a iustitia seruari debeat? 112

§. 194.

Elenchus totius Operis.

	<i>Folio</i>
§. 194. Contra iustitiam semper peccatur per defectum.	113
- 195. Virtutes affines iustitiae.	113
- 196. Vitia eidem opposita.	113
- 197. Reliquae virtutes cardinales perficiunt appetitum sensualem.	113
- 198. Et quidem concupiscibilem Temperantiam, quae inter illos tertia numeratur.	114
- 199. et refrenat delectationes,	114
- 200. maxime ad gustum, et tactum spectantes.	115
- 201. Actus huius virtutis.	115
- 202. Partes eiusdem subiectivae.	115
- 203. Virtutes affines.	115
- 204. Vitia opposita.	116
- 205. Appetitui irascibili praeest quarta inter cardinales virtus, siue fortitudo.	116
- 206. Illius actus,	117
- 207. et partes subiectivae.	117
- 208. Virtutes affines.	118
- 209. Fortitudo generale est reliquarum virtutum praesidium.	118
- 210. Vitia fortitudini opposita.	118

SECTIO II.

PRACTICA.

§. 211. Habere; non nosse virtutem bonum facit hominem.	118
- 212. Igitur in primis ratio sanis est perficienda principiis,	119
- 213. ad quod otii fuga non magis, quam prudenter moderata sciendi aviditas inuat.	119
- 214. Deinde Passiones sub auctero et constanti retinendae imperio.	120
- 215. Remedia contra Passiones, et Temperamenta.	122

§. 216

Elenchus totius Operis

Folio

- §. 216. Virtutis adipiscendae compendium facit, qui alacriter incipit, et fortiter in incepto perficit. 123
- 217. Neque heic animis vnquam cadendum. 124
- 218. Documenta pro sectanda Prudentia; 124
- 219. pro tuenda Iustitia; 125
- 220. pro retinenda Temperantia; 125
- 221. pro Fortitudine comparanda. 126

SECTIO III.

SCHOLASTICA.

Vtrum vitiosum sit solius delectationis sensitivae causa agere?

- §. 222. Quinam in negantem deflectant sententiam? 127
- 223. Affirmatiua probatur, 127
- 224. et confirmatur. 128
- 225. Obiectiones 128
- 226. Soluuntur. 129
- 227. Multo minus admitti potest peccatum mere philosophicum. 130

ETHICAE

PARS POSTERIOR, SEU SPECIALIS DE OFFICIIS.

Notiones proëmiales.

- §. 228. Notio, et definitio officii ethici. 131
- 229. Diuisiones officiorum. 131
- 230. Officia negatiua; non autem posituiua obligant simul semper, et pro omni casu. 132
- 231. Quid sit status hominis moralis? 133
- 232. Homo potest sub triplici conditione considerari. 133
- 233. Inde eius status alius est naturalis, alius aduentitiuus. 133
- §. 234.

- §. 234. Primo respondent officia monastica:
secundo oeconomica, et politica. 133

CAPUT I.

De officiis monasticis.

SECTIO I.

DOG MATICA.

ARTICULUS I.

*De officiis monasticis in genere, et erga
Deum in specie.*

- §. 235. Officia monastica (vti amor, qui est
primum I. N. principium) alia Deum,
alia nos ipsos, alia Proximum re-
spiciunt. 134
- 236. Triplex ille amor est sibi inuicem sub-
ordinatus, adeoque vnus quoad ob-
iectum. motiuum principale. 134
- 237. Eadem subordinatio reperitur in officiis. 135
- 238. Officia erga Deum fundantur in amore
Dei. 136
- 239. Amoris definitio, et diuisio. Deo de-
betur amor deuotionis. 136
- 240. Inuoluit demississimum venerationis
cultum, et perfectissimem obsequium. 137
- 241. Cultus Dei eiusdem notitiam praere-
quirit, adeoque huius comparandae
obligationem inducit, 137
- 242. quam quum sana doceat ratio, inex-
cusabilis est Dei ignorantia. 138
- 243. Cognitio Dei amorem beneuolentiae,
et concupiscentiae, 138
- 244. et reliqua interni obsequii officia post
se trahit; 139
- 245. Vti etiam obligationem eius venerationem apud alios promouendi. 140
- 246. Igitur quidquid insanat Thomafius, 140
- §. 247.

Elenchus totius Operis.

	<i>Folio</i>
§. 247. praeter cultum internum etiam exter- nus Deo debetur.	141
- 248. Vanitas argumentorum Thomafiano- rum.	141
- 249. Generalia officia cultus externi.	143
- 250. Officia praecipua in specie, vti Ado- ratio externa.	143
- 251. Sacrificium.	144
- 252. Oratio.	144
- 253. Iusiurandum.	145
- 254. Votum.	146
- 255. Reuerentia personis, rebus, locis, ac temporibus sacris exhibenda.	146
- 256. Necessitas Legis revelatae, vt his et aliis nostris officiis rite perfungamur.	147

ARTICULUS II.

De officiis monasticis erga se ipsum.

§. 257. Id genus officiorum fundatur in amore sui ipsius, quatenus est subordinatus finitimo,	148
- 258. ad cuius affectionem Deus homini bona animae, corporis, et exteriora dedit.	149
- 259. Homo non est Dominus sui ipsius: igi- tur circa media se secundum Dei fi- nes gerere debet.	149
- 260. Officia hominis circa bona animae.	149
- 261. Vitam, quae est radix ceterorum bo- norum, tueri obligamur.	150
- 262. Quare Autochiria est I. N. prohibita;	151
- 263. idemque dicendum de qualicumque ne- cis acceleratione,	152
- 264. nisi mortis patientia a Deo iussa, aut probata sit.	152
- 265. Quando iussa censerit debeat?	152
- 266. Quando probata credi possit?	153
- 267. Rigor vitae christianae defenditur con- tra quosdam Nouatores.	154
	§. 268.

	<i>Folio</i>
§. 268. Possitne, aut debeat aliquis seruandae causa vitae mortis periculum subire?	154
- 269. De iure defensionis bonorum vitae etc. remissio ad sectionem scholasticam.	155
- 270. Officia circa bona corporis, et in primis circa membrorum integritatem, et valetudinem;	156
- 271. circa conseruationem corporis per victum,	156
- 272. et circa decentem eiusdem honestatem per castimoniae, et modestiae studium.	157
- 273. Officia circa bona exteriora, et primo quidem circa bonum famae;	158
- 274. nec non circa bona fortunae.	159

ARTICULUS III.

De officiis monasticis erga Proximum in genere, et de absolutis in specie.

§. 275. Haec officia fundantur in amore, quem vi primi L. N. principii proximo debemus.	160
- 276. Debetur autem omnibus hominibus amor amicitiae, pro norma habens amorem sui ipsius.	161
- 277. Officia igitur erga Proximum sunt alia connata; alia hypothetica.	162
- 278. Officia connata interna affirmatiua.	162
- 279. externa generalia;	163
- 280. Specialia circa bona animae,	163
- 281. et reliqua bonorum genera.	164
- 282. Quando ab executione eiusmodi officiorum excusamur?	165
- 283. Obligatio eleemosinae, et operum misericordiae.	165
- 284. Regulae pro collisione officiorum simpliciter;	166
- 285. Eaedem pro collisione officiorum, si respectus personarum simul sit habendus.	168

§. 286

Elencus totius Operis.

	<i>Folio</i>
§. 286. Licet aliquando propria detrimenta periculo Proximi posthabere.	168
- 287. Officiorum negativorum radix.	168
- 288. Officia negativa interna.	169
- 289. Externa circa intellectum Proximi. Malitia mendacii.	169
- 290. Mendacia alia sunt verbalia, alia realia.	170
- 291. Quis mendax dicendus sit?	171
- 292. Quando et qualiter liceat veritatem reticere?	171
- 293. Protestantes falsiloquium a mendacio distinguentes, ac permittentes	172
- 294. Refelluntur.	173
- 295. Restrictiones pure mentales repugnant I. N.	175
- 296. Peccata male docentium.	175
- 297. Officia externa negativa circa voluntatem Proximi. Malitia scandali.	175
- 298. Distinguendum inter scandalum pharisaicum, et pusillorum.	176
- 299. Officia externa negativa circa vitae, corporis, et aequivalentia Proximi bona.	177
- 300. Eadem circa bona honoris, et famae.	178
- 301. Laesio Proximi obligationem reparandi damni post se trahit.	178

ARTICULUS IV.

De officiis hypotheticis erga Proximum.

§. 302. Officiorum hypotheticorum radices sunt Dominium, et Pactum.	179
- 303. Notio domini, proprietatis, communionis positivae, et negativae.	179
- 304. Qualiter communioni negativae positivae;	179
- 305. et positivae ius proprietatis successerit?	180

P. Schwarzhuber Eth. P. II. Dd §. 306.

Et enchir totius Operis.

	<i>Folio</i>
§. 306. Proprietatis adquisitio alia est origina- ria, alia derivatiua: prior fit vel per occupationem; vel per accessionem.	181
- 307. Quid sit, et quomodo fiat occupatio? vbi etiam de possessione.	181
- 308. Quid et quotuplex sit accessio, quales- que sequatur I. N. regulas?	182
- 309. Modi derivatiui acquirendae propieta- tis principales sunt diuisio, cessio, et traditio.	182
- 310. Quaenam ad originarios modos refe- rantur? an etiam praescriptio huc spectet?	183
- 311. Quae ad derivatiuos pertineant; vbi de donationibus, testamentis, et suc- cessionibus ab intestato.	184
- 312. Huc etiam reuocantur pacta, et con- tractus.	185
- 313. Quid pactum sit, et requirat?	186
- 314. Antiquissimum pactum est permutatio;	186
- 315. Inde nata sunt commodatum, deposi- tum, et mandatum.	186
- 316. Pecuniae inuentiq	187
- 317. emtionem, et locationem etc. subintro- duxit.	187
- 318. Mutui autem, pignoris, hypothecae, fideiussionis, ac societatis contractus saltem celebriores fecit.	188
- 319. Regulae generales	188
- 320. pro iure domini.	189
- 321. Quando, et qualiter ius domini re- stringatur?	190
- 322. Regulae pro pactis. Inualida sunt pa- cta, si dolus aut error iisdem praec- cipuam;	191
- 323. non autem si secundariam solum cau- sam dedit, etc.	191
- 324. Pacta priuata metu iniusto graui;	192
- 325. haud vero leui, aut iusto extorta sunt inutilia,	192

§. 326.

Elenchus totius Operis.

Folio

§. 326. Pacta debent esse de re possibili et honesta;	
- 327. secus non obligant.	193
- 328. A pactis iniqua abesse debet Proximi laesio.	193
- 329. Pacta legitima pariunt obligationem;	193
- 330. quae tamen tollitur mutuo consensu, aut dissensu.	194
- 331. Laesio officiorum hypotheticorum post se trahit obligationem restitutionis.	194
- 332. Ista oritur vel ex iniusta damnificatione, vel ex iniqua detentione.	195
- 333. Regulae pro iniusta damnificatione.	195
- 334. Quid si a pluribus fuerit facta?	196
- 335. Regulae pro iniqua detentione.	196
- 336. Quid si detentor fuerit in mora culpabili reparationis faciendae?	197

SECTIO II.

PRACTICA.

§. 337. Verus Dei cultus est illius bonitatem imitari.	
- 338. Omnipraesentis memoria conseruanda.	198
- 339. In boni studio perseverandum.	198
- 340. Malum quodcunque auctori pessimum.	199
- 341. Remedia contra cupiditatem, et prava exempla, praecipua vitiorum irritamenta.	200
- 342. Nocere homini contra naturam est.	201
- 343. Homileticorum officiorum necessitas.	202
- 344. Natura beneficii.	203
- 345. Referendae gratiae obligatio.	203
- 346. Ingrati animi turpissima culpa.	204

SECTIO III.
SCHOLASTICA.

De iure defensionis contra nostrarum aggressores bonorum.

	<i>Folio</i>
§. 347. Defensionis definitio.	205
- 348. Nunquam habet locum contra iustos aggressores.	205
- 349. Etiam violenta sui, ac bonorum suorum defensio permiffa est contra aggressores iniustos in statu mere naturali.	206
- 350. Eadem tamen non competit priuatis in statu ciuitatis, nisi in necessitate nullus pateat ad Magistratum recursus.	206
- 351. Quid sit moderamen inculpatae tutelae, et quae requirat?	207
- 352. Licet etiam cum occisione iniusti aggressoris tueri vitam propriam.	208
- 353. Id quod verum est de aggressore quomodolibet iniusto,	209
- 354. atque etiam ad membrorum integritatem, pudicitiam, ac libertatem merito extenditur.	209
- 355. Obiectiones	209
- 356. soluntur.	210
- 357. Non licet aliquem occidere, grauiter mutilare, aut vulperare pro tuendis solis fortunae bonis,	211
- 358. nisi ad conseruationem vitae, et status necessaria aliter defendi, aut recuperari nequeant.	212
- 359. Moderatio huius sententiae.	212
- 360. Obiectiones	212
- 361. Soluntur.	213
- 362. Corollaria practica.	213
- 362. Nefas est violentam honoris et famae defensionem suscipere.	214

Elenchus totius Operis.

	<i>Folio</i>
S. 363. Duelli notio. Publica iusta causa interueniente sunt licita ;	215
- 364. Priuata autem sunt I. N. prohibita.	215
- 365. Obiectiones	216
- 366. Soluuntur.	217

CAPUT II.

De officiis oeconomicis.

SECTIO I.

DOGMATICA.

ARTICULUS I.

De officiis oeconomicis in genere, et phileticis in specie.

S. 367. Origo societatum, et Iuris gentium.	220
- 368. Notio societatis, et status socialis in genere.	220
- 369. Quomodo societatum minorum, seu oeconomicarum vna alteram post se traxerit?	221
- 370. Nostra coniectura sacrae historiae haud repugnat.	222
- 371. Societas philetica est fundamentum reliquarum. Societatis oeconomicae, et id genus officiorum definitio.	223
- 372. Notio amicitiae, seu societatis phileticae.	223
- 373. Officia philetica sunt alia pro ineunda, alia pro colenda, alia pro dissolnenda amicitia.	224
- 374. Quenam sint obseruanda ad rite comparandam,	225
- 375. ad bene colendam ;	226
- 376. et ad recte dissoluendam amicitiam?	227

ARTICULUS II.

De officiis societatis coniugalis, seu gamicae.

	<i>Folio</i>
§ 377. Notio coniugii.	228
- 378. Est societas licita, et de se aequalis, ex cuius natura, et sine officia gamica deriuantur.	229
- 379. Nititur consensu coniugum,	229
- 380. qui debet esse praesens; non mere futurus.	230
- 381. Ad finem coniugii physice inhabiles non possunt contrahere matrimonium;	230
- 382. a quo etiam moraliter inepti merito arcerentur.	231
- 383. Igitur per se corrumpit Lutheri commentum, vniuersale nubendi praeceptum obtrudentis.	231
- 384. Polyandria repugnat Iuri naturae,	233
✓ 385. cui Polyginia quamuis non primario;	233
- 386. at tamen secundo aduerfatur.	234
- 387. Similiter coniugia inter ascendentes et descendentes nunquam non I. N. reprobantur:	235
- 388. Inter collaterales autem non nisi secundo vi eiusdem I. N. prohibentur.	236
- 389. Pari modo indiffolubilitas coniugii est I. N;	237
- 390. quamuis iterum secundarii.	238
✓ 391. Coniuges praeter officia philetica etiam ad alia tum vtrique communia, tum cuiuslibet specialia obligantur.	238
✓ 392. Officia communia reducuntur ad amorem, fidem, et mutuum obsequium.	239
- 393. Officia specialia mariti continentur gubernatione, sustentatione, et defensione vxoris.	240

- §. 394. Officia specialia vxoris consistunt in obedientia erga maritum, et rei domesticæ administratione. 241.
- 395. Qualiter coniugia possint esse inaequalia? 241.

ARTICULUS III.

De officiis parentalis, quasi parentalis, et paedeuticae societatis.

- §. 396. Parentalis societatis notio 242
- 397. paulo exactius tradita. 242
- 398. Potestatis parentalis natura, et qualiter vtrique competat parenti? 244
- 399. Haud se extendit in perniciem liberorum. 244
- 400. Quamuis ceteroquin eorundem personas, et actiones sibi subiiciat, 245
- 401. et latius diffundatur respectu infantium liberorum. 246
- 402. Parentes possunt ex liberorum operis emolumenta percipere. 246
- 403. Qualis potestas illis competat in eorundem res et bona? 247
- 404. Generalia principia officiorum, quae parentibus erga liberos incumbunt. 247
- 405. Officia parentum circa vitam, integritatem, sanitatem, victum, vestitum, et haereditatem liberorum. 248
- 406. Officia matris circa lactandos infantes. 249
- 407. Officia parentum circa facultates animi in liberis excolendas. 249
- 408. Reliqua parentum officia. 250
- 409. Officia liberorum erga parentes fundantur in amore deuotionis. 250
- 410. Veneratio parentibus debita. 251
- 411. Quale iisdem obsequium sit exhibendum? 252

Elenchus totius Operis.

	<i>Folio</i>
§. 412. Quomodo potestas parental solvatur?	253
- 413. Hac soluta quaenam adhuc maneant parentum erga liberos;	254
- 414. et liberorum erga parentes officia?	254
- 415. De ordine amoris inter personas coniunctas servando.	255
- 416. Societatis quasi parental, et paedagogicae notio.	257
- 417. Potestas et officia eorum, qui parentum vice funguntur.	258
- 418. Officia alumnorum erga eiusmodi educatores.	258

ARTICULUS IV.

De officiis quaestuariae, et herilis societatis.

§. 419. Quaenam personae istud societatis genus constituent?	258
- 420. Eiusdem exactior notio.	259
- 421. Illius fundamentum respectu famulorum est pactum locationis etc.	259
- 422. Potestas Dominorum in famulos.	260
- 423. Officia Dominorum erga eosdem.	260
- 424. Correlata famulorum officia.	261
- 425. Furtivae maioris laboris compensationes prohibitae sunt.	261
- 426. Servitutis proprie dictae, origo, notio, et iustitia.	262
- 427. Quae Domino in servos potestas competat?	263
- 428. Restrictiones eiusdem potestatis.	264
- 429. Mutua Herorum, et servorum officia.	264
- 430. Generales societatis quaestuariae regulae.	265

SECTIO

SECTIO II.
PRACTICA.

	<i>Folio</i>
§. 431. Quo quisque est coniunctior; tanto cum illo benignius agendum.	266
- 432. Ad id prudentia opus est, et sedula exercitatione, ac animi magnitudine.	266
- 433. Cautelae pro amicorum delectu, et cultu.	267
- 434. Consilia pro illis, qui ad coniugium aspirant.	268
- 435. Pietatis erga Parentes illorumque vicem obeuntes commendatio.	270
- 436. Indignitas nimii fastus erga famulos, et seruos.	272

SECTIO III.
SCHOLASTICA.

*Sitne extra legitimum coniugii usum omnis
venus iure naturae pro-
hibita?*

- 437. Errores Protestantium quorundam, et Catholicorum circa praesentem quaestionem.	273
- 438. Affirmatiua sententia probatur,	274
- 439. et ad quaecunque impudicitiae genera,	275
- 440. ipsasque adeo morosas delectationes,	275
- 441. imo etiam ad coniuges difformiter fini coniugii agentes extenditur.	276
- 442. Obiectiones	276
- 443. et seq. soluuntur.	277 et seq.

CAPUT III.

De officiis ciuilibus.

SECTIO I.

DOGMATICA.

ARTICULUS I.

De natura, et origine ciuitatis.

	<i>Folio</i>
§. 448. Transitio ad officia ciuilia.	282
- 449. Definitio ciuitatis.	282
- 450. De origine ciuitatis: variae variorum opiniones refelluntur.	283
- 451. Homines hominibus coniuncti pluri- mum sibi mutuo prouidere, aut nocere possunt.	284
- 452. Felicitatis seu verae, seu falsae per ta- lem coniunctionem adipiscendae, et securitate muniendae cupiditas ge- nuina est ciuitatum origo.	285
- 453. Igitur ab improborum licentia primum ortae sunt; et deinde eiusdem socie- tatis constituendae necessitatem etiam bonis imposuerunt.	285
- 454. Huius sententiae cum sacra et anti- quissima historia consensio.	286
- 455. Prioris generis ciuitates latronum coe- tus; posteriores iustae Respublicae fuerunt.	288
- 456. Corollaria de origine, fine, notione, subiecto, amplificatione et mutatio- ne ciuitatum.	288
- 457. De interna ciuitatis structura.	290
- 458. De pactis ad eius constitutionem ne- cessariis.	290
- 459. Haec (idemque de omnibus pactis pu- blicis dicendum) etiam metu iniusto extorta sancte seruanda sunt.	291

§. 460.

Etendus totius Operis.

	<i>Folio</i>
§. 460. Variæ regiminis formæ.	292
- 461. Inde ortæ sunt Maieftas, et iura Maieftatis.	292
- 462. Notio Monarchiæ, et oppositæ Tyrannidis.	292
- 463. Notio Aristocratia, et oppositæ Oligarchiæ.	293
- 464. Notio Democratia, et oppositæ Olochratia.	294
- 465. Anarchiæ notio, et calamitas.	294
- 466. Quid sentiendum de forma regiminis, quæ vulgo irregularis, aut melius mixta dicitur.	294
- 467. De systemate ciuitatum.	295

ARTICULUS II.

De summa Imperantium potestatis origine, ac limitibus.

§. 468. Quo sensu veteres Theologi summam Imperantium potestatem immediate a Deo deriuarint?	296
- 469. Gallorum ea de re sententia.	296
- 470. Nouiorum quorundam conatus ad eandem potestatem proxime a Deo deducendam.	298
- 471. Argumenta huius opinionis.	298
- 472. Summa potestas est immediate a Deo populo in iustis Rebuspublicis concessa.	301
- 473. Apud latronum autem coetus, et populos etiam iusto bello subactos proxime descendit a pactis humanis.	302
- 474. Idemque obtinet in ceteris quoque Rebuspublicis iustis.	303
- 475. Vti satis vel ex ipsa constat historia.	304
- 476. Nihilo minus Principes populo re ipsa superiores non tantum personali, sed reali gaudent maiestate,	306
§. 477.	

Elenchus totius Operis.

	<i>Folio</i>
§. 477. et sine pacto commissorio eucti tanquam sacrosancti non nisi a Deo possunt iudicari.	307
- 478. Ceterum autem pactis, quibus omnes Reipublicae adstringuntur, stare;	309
- 479. et si ab his temere, ac peruicaciter resilierint, desereri a populo possunt.	311
- 480. Cautiones in destituendo Principe euerfore necessario obseruandae.	311
- 481. Quae demum iusta sit eiusmodi secessionis causa, et quid in Principem destitutum liceat?	312
- 482. Respondetur argumentis ex Scriptura, SS. PP. et primorum exemplis Christianorum petitis.	315
- 483. Soluuntur argumenta Alexandri Natalis, et Hornii,	316
- 484. itemque Hugonis Grotii,	317
- 485. et reliqua	319
- 486. aliorum aduersantium.	320
- 487. Quo modo summa potestas ab vno ad alterum siue per electionem, siue per successionem transferatur?	321
- 488. Sine iusto titulo imperium occupantibus merito resistitur.	322
- 489. Regna patrimonialia gratis excogitata videntur.	322
- 490. De interregno.	323

ARTICULUS III.

De effectibus summae Imperantium potestatis in genere, et in specie, quantum ad ciues; seu de iuribus maiestatis immamentibus.

§. 491. Iura maiestatis omnia ad finem ciuitatis necessaria complectuntur.	324
-----------------------------------------------------------------------------------	-----

§. 492.

Elenchus totius Operis.

Folio

- S. 492.** Finis iustae ciuitatis non est mera securitas, sed vera felicitas sociorum, quatenus est fini vltimo, et beatitati hominum etiam supernaturali subordinata. 324
- **493.** Ad hunc finem obtinendum Principi necessaria sunt tum iura maiestatis immanentia respectu ciuium; tum transeuntia respectu exterorum. 326
- **494.** Ad priora in primis pertinet potestas ferendi leges fini ciuitatis accommodatas. 326
- **495.** Materia generalis legum ciuilium. 327
- **496.** Quid Imperantes possint circa leges naturales, ac diuinas positiuas? 327
- **497.** Materia propria legum ciuilium. 327
- **498.** Vtrum, et quo modo actus interni subsistent legibus ciuilibus? 328
- **499.** Scientiarum et artium honestarum cultura dignissimum est legum ciuilium argumentum. 329
- **500.** Ad legum vigorem necessariae sunt sanctiones poenales. 329
- **501.** Istae autem iudiciariam potestatem tam in ciuilibus, quam in criminalibus post se trahunt. 330
- **502.** Igitur vindicta priuata I. N. semper est prohibita. 331
- **503.** Contra iniustam minorum Iudicum sententiam appellatio ad summos Imperantes patere debet. 331
- **504.** Puniendi non sunt, nisi fontes. 332
- **505.** Solus numerus nunquam excusat nocentes. 332
- **506.** Lapsus haud adeo graues, aut noxii dissimulandi. 333
- **507.** Quae poenae quantitas seruanda? vbi etiam de mortis supplicio. 333
- **508.** Quid circa poenam talionis? 334

S. 509.

Elenchus totius Operis.

	<i>Folio</i>
§. 509. Reus ad tolerandam; haud inferendam sibi met poenam obligatur.	334
- 510. Imperantes tenentur ad infligendam poenam, cuius tamen aliquando gratiam facere possunt.	335
- 511. Ad finem ciuitatis publico opus est aerario.	335
- 512. Igitur Imperantium est tributa, et vectigalia imponere,	336
- 513. et de recta bonorum administratione leges sancire.	336
- 514. Quid circa eiusmodi contributiones iniungendas;	337
- 515. atque praestandas iustum sit?	337
- 516. De immunitate ecclesiastica circa eiusmodi contributiones caute iudicandum.	338
- 517. Necessitas extra ordinem premens fundat dominium, seu potius Imperium eminens Principibus in bona et actiones ciuium competens.	338
- 518. Quando hoc dominium, et quomodo locum habere possit?	339
- 519. Non se extendit, nisi ad solos ciues.	340
- 520. Debita Principi dignior et magnificentior sustentatio necessitatem Fisci introducit.	340
- 521. Quae bona ad fiscum pertineant?	341
- 522. Non possunt sine populi consensu alienari.	341
- 523. Ius Principis in eligendis Administris, et creandis Magistratibus.	342
- 524. Officia Principis circa eosdem, vbi etiam de iure creandi Nobiles.	343

ARTICULUS IV.

De effectibus summae Imperantium potestatis quantum ad externos, seu de iuribus maiestatis transeuntibus.

§. 525.

Elenchus totius Operis.

Folio

- §. 525. Ad haec primum pertinet Ius belli.
Huius definitio. 344
- 526. Bellum de se licitum quibus gerere
competat? Qualiter differat a sedi-
tionibus etc. quem finem habeat?
Est status Reipublicae praeternatu-
ralis. 345
- 527. Quaenam sint iustificae belli causae? 346
- 528. Expungenda ex illis punitio scelerum. 346
- 529. Denegatio iuris imperfecti, 347
- 530. Sola accrescens vicini potentia, 348
- 531. Aequilibrium europaicum, 349
- 532. et solius ratio vtilitatis. 350
- 533. Bella debent esse vltima summae ne-
cessitatis praesidia. 350
- 534. Igitur non possunt geri absque causa
grauissima, 351
- 535. eaque saltem moraliter certa, 352
- 536. mitioribus omnibus mediis exhaustis
(ubi etiam de manifestos, et bello-
rum indictione) 353
- 537. et propriae ciuitatis salute in tuto po-
sita. 353
- 538. Quo pacto, et quando pro aliis bel-
lum gerere liceat? 354
- 539. Quae belligerantibus liceant ad bellum
parandum? 355
- 540. Quae fas sint aduersus hostem ad bel-
lum conficiendum? 356
- 541. Quae contra in bello prohibita sint? 357
- 542. Quid de Repressalibus? 357
- 543. De iure pangendi foedera, eorumque
definitio. 358
- 544. Foederum diuisio. 358
- 545. Quibuscum foedera inire liceat? 359
- 546. Quid in foederibus pangendis facere
possint, ac debeant Mediatores, et
Administri? 360
- 547. De foederum obligatione. 361
- §. 548.

Elenchus totius Operis.

	<i>Folio</i>
§. 548. De officio sponſorum.	362
- 549. De obligatione, et iure obſidum.	362
- 550. Quid ſit foedus pacis, et qua ratio he differat ab induciis?	363
- 551. Vtrum, et quando laeſionis, aut metus exceptionem admittat?	364
- 552. Valeatne pax cum rebellibus ſubditis inita?	364
- 553. De iure mittendi legatos, et eorum priuilegiis.	365
- 554. De iure Principum in exteros ſuam ditionem ingreſſos.	366

ARTICULUS V.

De officiis ciuium.

§. 555. Correlata fini ciuitatis, et iuribus Imperantium officia ciuium alia ſunt generalia; alia ſpecialia.	367
- 556. Officia generalia ipſi Reipublicae debita.	367
- 557. Officia generalia Rectoribus exhibenda conſiſtunt in obedientia, ac fidelitate,	368
- 558. quae vtraque etiam in conſcientia debetur.	368
- 559. Quod idem dicendum de tributis, et vectigalibus,	370
- 560. modo ſi iuſtitiae limites non excedant.	370
- 561. Praeterea Imperantibus debetur amor deuotionis.	371
- 562. Generalia ciuium erga ciues officia.	371
- 563. Specialia ciuium officia.	372
- 564. Quamdiu quisquam ciuis reputandus ſit?	372
- 565. Vitae monaſtica et ſolitaria I. N. et ſocietati ciuili repugnet?	373
- 566. Eadem quam maxime congruit I. N.	374
- 567. et ſocietatem ciuilem ita non euertit, vt iuuet magis.	375

§. 568.

Elenchus totius Operis.

Folio

- §. 568. Vnde praeferendi sunt quorundam clamores; 376
§. 569. et vana Monachomastigum lamenta. 376

SECTIO II. P R A C T I C A.

- §. 570. Amor Patriae quam sit necessarius. 378
- 571. Cauendum ne falsa patriae notione decipiamur. 378
- 572. Genuina eiusdem notio. 379
- 573. Officia erga patriam. 379
- 574. Quantum contra haec peccetur. 380
- 575. Bene elocatur, quidquid pro patriae felicitate profunditur. 381
- 576. Gratus erga ciuitatis rectores animus demonstrandus. 382
- 577. Quanam sit vera patriae felicitas? 382
- 578. Eadem nititur sine ultimo, et praesidio virtutis. 383
- 579. Cuius igitur. cui prodesse studeat. 384
- 580. Quantum hac in re ipsi etiam iuuenes praestare valeant? 384
- 581. Monita pro prensantibus publica Reipublicae munera. 385
- 582. Eadem adeptis desidia summopere fugienda. 386

SECTIO III. S C H O L A S T I C A.

De iure summorum Imperantium circa sacra.

- §. 583. Necessitas huius quaestionis intra I. N. limites pertractandae. 387
- 584. Principibus competit ius in sacra indirectum, cum potestate se opponendi Hierarchis, iuris profani violatoribus. 387


P. Schwarzhueber Eth. P. II. E. §. 585.

Elenchus totius Operis.

	<i>Folio</i>
S. 585. Vnde Protestantes doctrinam de iure directo hauserint?	388
- 586. Cui illud fundamento subinde super- struxerint?	388
- 587. Quousque illud tum modestiores,	389
- 588. tum liberiores proferant?	390
- 589. Istorum omnium	390
- 590. Argumenta ex I. N.	391
- 591. Principibus profanis nullum ius dire- ctum in sacra competere probatur	392
- 592. vel ex ipsis fundamentis Heineccia- nis.	392
- 593. Inepte ducitur argumentum a rebus- publicis profanis ad sacras.	393
- 594 <i>et seq.</i> Respondetur argumentis Prote- stantium.	394 <i>et seq.</i>
- 600. Conclusio Operis.	400

Vt in omnibus glorificetur

D E U S.



ERRA.

ERRATA.

Page.	Linea.	Loco.	Leg.
2	I	Hæc	Hæc
38	6	reficiendum	perficiendum
43	15	illam	illum
46	24	possunt. <i>supple</i>	<i>secura non possunt.</i>
94	23	sectari. <i>supple</i>	Intus tutiora etiam reli- ctis probabiliori- bus sequenda sunt.
129	31	Patribus	Pontifice.
143	14	implorar	implorare
143	21	praecipue	praecipuae
151	23	multaeque	multoque
160	17	quaerens	quaerit.
164	34	famae bonae	famae bona
223	21	et philetica	est philetica
231	28	ea etiam	eaque etiam
238	29	conuolare. <i>supple.</i>	illudque seruata etiam mutuo con- sensu continentia subsistere.
253	13	institutioni	institutione.
259	18	et eiusdem <i>supple</i>	Patrisfamilias, et eiusdem
260	1	personam;	non personam;
262	32	victa	victo
297	<i>litt. t.</i>	Grammondus ad	Gramondus apud
304	24	Plesbisfcitis	Plebisfcitis.
314	35	Kochlerus	Koehlerus.
328	13	inter nos	internos.

IN ELENCHO.

In P. I. C. I. Sect. I. §. 23. loco *sine Spiritu*, lege
nisi Spiritu.

Ibid. C. II. loco *moraliter lege moralitate.*

P. II. C. 3. Sect. I. A. 4. §. 536. loco *manifestos*, lege
manifestis.

1. 1. 1.

5



